This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Library
of the
University of Wisconsin

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THE

WHOLE WORKS

OF THE

MOST REV. JAMES USSHER, D. D.

LORD ARCHBISHOP OF ARMAGH,

AND

PRIMATE OF ALL IRELAND.

VOLUME IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

463430
DEC 12 1938
CD
U S 7
4

CONTENTS

OF

THE FOURTH VOLUME.

PAG.

I.

Gotteschalci et Prædestinatianæ Controversiæ ab eo motæ Historia una cum duplice ejusdem confessione nunc primum in lucem edita 1

II.

A Discourse of the Religion anciently professed by the Irish and British 235

III.

Veterum Epistolarum Hibernicarum Sylloge 383

IV.

Immanuel, or the Mystery of the Incarnation of the Son of God 573

Digitized by Google

Digitized by Google

GOTTESCHALCI,

ET

PRÆDESTINATIANÆ CONTROVERSIÆ

AB EO MOTÆ,

HISTORIA:

UNA CUM DUPLICE EJUSDEM CONFESSIONE, NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA.

DUBLINII
1631.

Digitized by Google

Digitized by Google

JACOBUS ARMACHANUS,

GERARDO JOHANNI VOSSIO,

V. CL.

SALUTEM.

PERVENERUNT in manus meas, abhinc amplius annis tredecim, Johannis Latii de Pelagianis et Semi-pelagianis commentarii: quibus eorum originem et progressum usque ad tempora Johannis papæ, qui Severino successit, studiose diligenterque est persecutus. Delectatus scriptionis genere, ab anno in quo ille desiit ducto principio, proximorum temporum historiam adjeci: ex Lugdunensis Ecclesiæ scriptis et Flodoardo, majore ex parte, eam contexens; de meo vero (illius, quem suscepi continuandum, exemplo) nihil adferens nisi ordinem. Vix dum autem ista absolveram, cum historia tua Pelagiana prodiit, et cura et vigiliis elaborata: in cujus parte extrema, ea fere omnia occupata a te comperi, quæ ego tumultuaria opera in adversaria mea conjeceram. Itaque tum quidem ῥάκος illud ἄγναφον abjeci penitus: verum ubi obtulissent sese mihi postea alia ad Gotteschalci causam pertinentia, quæ in nostri utriusque collectaneis desiderari videbam; ante exorsa retexere placuit, et ad priorem illum centonem etiam ista attexere ἐπιβλήματα. Quæ, cujusmodicunque sint, ad te allegare visum fuit: si cui forte usui, in nova

Digitized by Google

historiæ tuæ editione adornanda, esse poterint. Ea tu, ut ab homine existimationis tuæ cupidissimo profecta, æquo ac libenti animo accipies. VALE.

DUBLINII,
V. Kalend. Julias: anno æræ nostræ Christianæ
MDCXXXI.

Digitized by Google

HISTORIÆ PELAGIANÆ

CONTINUATIO.

CAPUT I.

De Pelagianismo in Britannicis nostris insulis et Hispaniarum partibus revivíscente: una cum Pelagianæ historiæ ab anno Christi 639. usque ad finem octavi seculi deductione.

Postquam interquievissent jam díu quæ cum Pelagianis habuit Ecclesia certamina: in Hibernia pestis illa demum erupit. Ad quam reprimendam, anno salutis sexcentesimo tricesimo nono, a Clero Romano, paulo post mortem Severini pontificis, ad Tomianum[a] antistitem Armachanum cæterosque Scotiæ nostræ doctores sequens missa est epistola.

"Doctissimis et sanctissimis, Tomiano[b], Columbano, Cromano, Dimao, et Baithano episcopis; Comano, Erniano-que, Laistrano, Scelano, et Segeno presbyteris; Sarano, cæterisque doctoribus seu abbatibus Scottis: Hilarus archipresbyter et servans locum sanctæ sedis apostolicæ, Johannes diaconus et in Dei nomine electus[c], item Johannes primicerius et servans locum sanctæ sedis apostolicæ, et Johannes servus Dei consiliarius ejusdem sedis apostolicæ."

[a] ab anno 624. ad 662. ut ex nostris annalibus intelligimus.

[b] Nomina propria ex duobus Bedæ MSS. codicibus restituimus: quorum alterum D. Robertus Cottonus, alterum D. Samuel Wardus possidet; omnium qui uspiam extant antiquissimos.

[c] Severini in pontificatu successor.

Digitized by Google

"Scripta quæ perlatores ad sanctæ memoriæ Severinum papam adduxerunt, hac de luce eo migrante, reciproca responsa ad ea quæ postulata fuerant siluerunt. Quibus reseratis, ne diu tantæ quæstionis caligo indiscussa remaneret, reperimus quosdam provinciæ vestræ, contra orthodoxam fidem, novam ex veteri hæresim renovare conantes; Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, et quartadecima luna cum Hebræis celebrare nitentes, &c."

"Et hoc quoque cognovimus, quod virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuo reviviscit; quod omnino hortamur, ut a vestris mentibus hujusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda hæresis damnata est, latere vos non debet: quia non solum per istos ducentos annos abolita est, sed et quotidie a nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur; et hortamur, ne, quorum arma combusta sunt, apud vos eorum cineres suscitentur."

Nam quis non execretur superbum eorum conamen et impium, dicentium, posse sine peccato hominem existere ex propria voluntate, et non ex gratia Dei? Et primum quidem blasphemiæ stultiloquium est dicere esse hominem sine peccato; quod omnino non potest, nisi unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui sine peccato est conceptus et partus. Nam cæteri homines cum peccato originali nascentes, testimonium prævaricationis Adæ, etiam sine actuali peccato existentes, portare noscuntur, secundum prophetam dicentem: *Ecce*[d] *enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccato peperit me mater mea.*"

Quem effectum sortitæ sint istæ literæ, Beda, qui eas historiæ[e] suæ inseruit, non aperit: successu tamen caruisse, vetus author vitæ Kiliani subindicat; causam hanc reddens, quare post annos quadraginta septem[f] Romam profectus fuerit Kilianus noster, ut a Conone papa ordi-

[d] Psal. 51. ver. 7.
[e] Bed. hist. eccl. lib. 2. cap. 19.
[f] Ann. DCLXXXVI.

Digitized by Google

naretur episcopus: "Hibernia siquidem olim Pelagiana fœdata fuerat hæresi, apostolicaque censura damnata; quæ nisi Romano judicio solvi non poterat." Quæ narratio ejusdem apud me est fidei, cujus illa Matthæi Parisiensis alter: "Doctrinam[g] et scholas Anglorum, a temporibus S. Augustini, per Romanos pontifices fuisse interdictas, propter assiduas hæreses quæ in adventu Anglorum in Britanniam emerserant; dum pagani Christianis permixti, sanctæ conversationis gratiam et Christianam fidem corruperant." Eam fabellam assumentis quibusdam auxit Johannes Rossus Warwicensis, indeque enatum est recentiorum illud[h] commentum; Pelagianismi abigendi prætextu, interdixisse Gregorium I. ne Britanni extra monachorum cœnobia gymnasia aut scholas aperirent.

Quascunque vero radices vel in Hibernia vel in Britannia hæresis illa egerit: in ea stirpitus evellenda egregiam apud Britannos operam navasse ipsum Bedam[i], scripta illius fidem faciunt. Scripsisse vero refert Bostonus Buriensis, Contra Julianum episcopum Eclanensem de Campania librum. Quem et hodie, præfationis loco interpretationi libri Canticorum præfixum, legimus, ac præterea, In defensione gratiæ Dei, libros septem, quos in Gissebornensis cœnobii bibliotheca suo tempore asservatos fuisse Bostonus annotat: ego vero eosdem cum Fulgentii de gratia Dei et libero arbitrio libris responsionum septem fuisse suspicor, quos nunc tantopere desiderant eruditi. In libro qui extat de gratia Christi adversus Julianum, censura sua perstringit Beda, primo Juliani in Salomonis Cantica commentarium, deinde ejusdem librum De bono constantiæ, ac demum quidem ejusdem, ut ille putavit, vel ipsius potius Pelagii, ut ex Augustino docuit Gregorius[k] Ariminensis, epistolam ad Demetriadem virginem. "Quem videlicet librum," inquit Beda, "nonnulli nostrum studiose legentes, sancti et Catholici doctoris Hie-

[g] Matth. Paris. et ejus exscriptores, Matth. Westmonast. et Roffensis historiæ author: ad ann. 727.

[h] Jo. Bal. scriptor. Britan. cent. 13. cap. 5.

[i] Cir. ann. DCCXX.

[k] Greg. in 2 sent. dist. 26. quæst. 1. artic. 3.

Digitized by Google

ronymi esse temere arbitrantur: minime pervidentes, quod et suavitas eloquentiæ demulcentis, et hæreseos perversitas seducentis, manifeste probat hoc illius opusculum non esse." Quandoquidem vero adhuc inter opera Hieronymiana habetur, ejusque authoritas a pontificiorum nonnullis in quæstione de libero arbitrio adversus nos urgetur: ne quis deinceps specioso damnati libelli titulo decipiatur, loca inde excerpta visum est hic subjungere, quæ obelo suo venerabilis Beda jugulanda esse censuit.

Bedæ, in Pelagii epistolam de virginitate ad Demetriadem, Stricturæ.

PELAGIUS.

Quam multos philosophorum et audivimus et legimus, et ipsi vidimus, castos, patientes, modestos, liberales, abstinentes, benignos, honores mundi simul ac delicias respuentes, et amatores justitiæ non minus quam sapientiæ? Unde, quæso, hominibus alienis a Deo, ista quæ Deo placent? Unde hæc illis bona, nisi de naturæ bono?

BEDA.

Quicunque philosophorum Christum Dei virtutem et Dei sapientiam nescierunt, hi nullam veram virtutem nec ullam veram sapientiam habere potuerunt. In quantum vero vel gustum aliquem sapientiæ cujuslibet, vel virtutis imaginem habebant, totum hoc desuper acceperunt: non solum munere primæ conditionis, verum etiam quotidiana Ejus gratia, qui, creaturam suam nec se deserentem deserens, dona sua, prout ipse judicaverit, hominibus, et magna magnis, et parva largitur parvulis.

PELAGIUS.

Et cum ista quæ dixi, vel omnia in uno, vel singula in singulis haberi videamus, cumque omnium natura una sit; exemplo suo invicem sibi ostendunt, omnia in omnibus esse posse, quæ vel singula inveniuntur in singulis.

Digitized by Google

BEDA.

Contradicit Scriptura, quæ ait: " Nec[m] enim omnia possunt esse in omnibus, quoniam non est filius hominis immortalis." Ubi manifeste insinuatur, quia cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc demum possunt esse omnia in omnibus bona virtutum: et ne tunc quidem de naturæ bono, sed per gratiam ejus, de quo scriptum est; " Ut sit Deus omnia in omnibus." Sed et quotidiana nostræ fragilitatis documenta probant, non omnia in omnibus esse posse: ubi tam multi inveniuntur, qui summa nitentes instantia, nequaquam ad eas, quas alios vident habere, possunt pervenire virtutes.

PELAGIUS.

Quod si etiam sine Deo homines ostendunt, quales a Deo facti sunt: vide quid Christiani possint, quorum in melius per Christum instaurata natura est, et qui Divinæ quoque gratiæ juvantur auxilio.

BEDA.

Quod homines sine Deo dicit ostendere, quales a Deo facti sunt; adeo longe a veritate abest, ut nec homines Deo proximi valeant ostendere in hac duntaxat vita, quales a Deo protoplasto facti sunt. Quis enim sapientia vel vita major esse poterit eo qui, priusquam carnis debitum solveret, usque in paradisum vel tertii cœli ad adyta raptus, civium supernorum et conversationem contemplatus est et audivit colloquia? qui tamen dicit: " Condelector[n] enim lege Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ." Quod parentes generis humani, quamdiu naturæ bonum intemeratum custodiere, constat dicere non potuisse.

Quod Christianorum naturam in melius dicit instauratam esse per Christum, et eos Divinæ gratiæ juvari auxilio:

[m] Eccles. cap. 17. ver. 29.

[n] Rom. cap. 7. ver. 21, 23.

Digitized by Google

si de his solummodo, quæ in remissione peccatorum per baptisma nobis donata sunt, vult intelligi, hæreticum est; si autem et de quotidiana ejus gratia, qua nos in mente et corpore instaurare et juvare non cessat, catholicum est.

PELAGIUS.

B. JOB aperiens occultas naturæ divitias, et in medium proferens, ex se quid omnes possemus ostendit.

BEDA.

Quanto melius diceret, quod aperuit ineffabiles Divinæ gratiæ divitias; et in se, quia hæc omnibus quibuscunque vellet dare posset, ostenderet.

PELAGIUS.

Neque vero nos ita defendimus naturæ bonum, ut eam dicamus malum facere non posse, quam utique boni ac mali capacem etiam profitemur: sed ab hac eam tantummodo injuria vindicamus, ne ejus vitio ad malum videamur impelli, qui nec bonum sine voluntate faciamus nec malum; et quibus liberum est unum semper agere, cum semper utrunque possimus.

BEDA.

Quod dicit, nos vitio naturæ ad malum non impelli, qui nec bonum sine voluntate, nec malum faciamus; repugnat apostolo dicenti: " Scio[o] quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago."

Quod dicit, liberum nobis esse unum semper agere, cum semper utrumque possimus; contradicit prophetæ, qui Deo supplex loquitur, dicens: " Scio[p], Domine, quia non sit hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus

[o] Rom. cap. 7. ver. 18, 19. [p] Jer. cap. 10. ver. 23.

Digitized by Google

suos." Sed et apostolo majorem se facit, qui dixit: " Ego[q] igitur ipse mente servio legi Dei; carne autem, legi peccati."

PELAGIUS.

Unde enim alii judicaturi sunt, alii judicandi, nisi quia in eadem natura dispar voluntas est, et quia, cum omnes idem possimus, diversa faciamus?

BEDA.

Contradicit Catholicæ fidei, quæ etiam parvulos esse judicandos confitetur; eos qui in eadem natura positi, priusquam aliquid boni malive facere aut velle aut saltem nosse poterant, sine baptismo rapti sunt.

PELAGIUS.

Adam de paradiso ejicitur; Enoch de mundo rapitur. In utroque Dominus libertatem arbitrii ostendit. Non enim a justo Deo aut ille puniri meruisset, aut hic eligi; nisi uterque utrunque potuisset. Hoc de Cain et Abel fratribus; hoc etiam de Esau et Jacob geminis intelligendum est: ac sciendum, solam voluntatis esse causam, cum in eadem natura merita diversa sunt.

BEDA.

Contradicit apostolo; qui de eisdem loquens ait: "Cum[r] enim necdum nati fuissent, aut aliquid egissent bonum aut malum; ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante, dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est; Jacob dilexi, Esau autem odio habui."

PELAGIUS.

Neque vero alia nobis causa difficultatem bene vivendi facit, quam longa vitiorum consuetudo.

[q] Rom. cap. 7. ver. 25.

[r] Id. cap. 9. ver. 11, 12, 13.

Digitized by Google

BEDA.

Contradicit Scripturæ, quæ dicit: "Grave[s] jugum super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum."

PELAGIUS.

Nec impossibile aliquid potuit imperare, qui justus est: nec damnaturus est hominem pro eo quod vitare non potuit, qui pius est.

BEDA.

Quod dicit, Dominum non impossibile aliquid præcepisse, qui justus est: verum profecto dicit, si ad ejus respicit auxilium, cui Catholica vox supplicat; "Deduc[t] me in semita mandatorum tuorum." Si vero viribus animi sui fidit; refellit eum veridica ejusdem justi conditoris sententia, qua dicit: "Sine[u] me nihil potestis facere."

Quod dicit, eum, qui pius est, non damnaturum esse hominem, pro eo quod vitare non potuit; contradicit ejusdem pii Redemptoris et justi judicis sententiæ, qua etiam de parvulis ait, "Nisi[w] quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest videre regnum Dei, &c."

Hæc, de causa Dei contra Pelagium, venerabilis Beda: qui solus (quod sciam) hisce temporibus ex professo adversus inimicos gratiæ certamen suscepit. Alii enim non nisi obiter ista attigerunt: in quibus Ambrosius Ansbertus[x], ad locum illum Apocalypseos, capite vicesimo secundo, versu decimo septimo: "Qui sitit, veniat; et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis;" quæstionem de concordia gratiæ et liberi arbitrii ita explicat. "Quomodo[y] qui vult beatæ potationis aquam accipit; si cuilibet gratis tantummodo datur? Et certe apostolus dicit: *Non[z] volentis neque currentis sed miserentis est Dei.* Quomodo qui vult accipiat; nisi quia

[s] Eccles. cap. 40. ver. 1.
[t] Psal. 119. ver. 35.
[u] Joh. cap. 15. ver. 5.
[w] Id. cap. 3. ver. 5.
[x] Cir. ann. DCCLX.
[y] Ambr. Ansbert. in Apocalyps. lib. 10.
[z] Rom. cap. 9. ver. 10.

Digitized by Google

in utrisque Dei gratia commendatur? quæ et ex nolente quolibet volentem efficit; et tamen jam volentem ad hoc quod desiderat, gratuite perducit. Ac si ejusdem gratiæ largitor dicat: Qui gratuite inspiratus æterna desiderare cœpit, gratuite etiam ad ea se pertingere posse confidat. Non enim alius, nisi qui vult, aquam vitæ gratis accipit: quia nemo ad æternam vitam gratis etiam perducitur, nisi qui prius velle cœperit gratia præventus. Hinc alibi per egregium prædicatorem dicitur: *Deus*[a] *est enim qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.* Huic autem suæ sententiæ quasi contrarius esse videtur idem apostolus, cum alio in loco dicit: *Velle*[b] *adjacet mihi, perficere autem bonum nom invenio.* Sed sciendum est nobis, quia in eo sibi velle adjacere dicit, quo se hoc ipsum velle divinitus accepisse cognovit. Quod ipse quoque comprobans, ait: *Quid*[c] *habes quod non accepisti?* subaudis, per omnia nihil. Dicatur itaque: *Qui sitit, veniat;* ac si diceretur: Qui æternas delicias præveniente se gratia desiderare cœpit, passibus amoris ad eas tendat. *Et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis,* subaudis, Qui ex nolente volens effectus est nullis præcedentibus bonorum actuum meritis, sed gratuita Dei voluntate, ex invisibili fonte ubertim hauriat aquam æternæ delectationis."

Non multo post in Hispania[d], veteres illæ a B. Augustino[e] commemoratæ, de divina prædestinatione et humani arbitrii libertate, quæstiones sunt suscitatæ: dicentibus aliis, Quod prædestinatio ad vitam, sive ad mortem, in Dei sit potestate, et non nostra; aliis quærentibus, Ut quid conamur vivere, quod in Dei est potestate? aliis ex diversa parte sciscitantibus: Ut quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate, quasi libertate arbitrii? Ad istas controversias componendas, ab Hadriano I. Romano pontifice ad Egilam et omnes Hispaniæ episcopos missæ sunt literæ: in quibus consideranda illis

[a] Philipp. cap. 2. ver. 13.
[b] Rom. cap. 7. ver. 18.
[c] 1 Cor. cap. 4. ver. 7.
[d] Cir. ann. DCCXC.
[e] Augustin. in Evang. Johannis, tract. 53. Op. tom. 3. par. 2. pag. 646.

Digitized by Google

proponit, quæ simili occasione data, contra Pelagiani cujusdam sermonem scripserat olim ad Eugyppium presbyterum B. Fulgentius Ruspensis episcopus. Quæ, quia in operibus ejus hodie non extant; et ostendunt, mutatis tantum personis, eandem nunc a Pelagianorum reliquiis actam esse fabulam: non abs re visum fuit huc adscribere.

Oppositio Pelagiani cujusdam veteris, contra veritatem prædestinationis; ab Hispanis quibusdam postea renovata.

"Illi, dum pro se gratiam solum reprehensibiliter intromittunt, in se damnabiliter calcaverunt, qui alios ad vitam, alios ad mortem asserunt destinatos. Adverte quibus impietatis se nexibus ligant. Si ad bonum prædestinatus sum, contra malum resistere necesse mihi non erit: si vero ad malum natus, bonum mihi exercere nihil proderit. Ac sic in utraque parte, intercluso appetitu laudis et gloriæ, unus securitate, alius desperatione torpebit: ac per hoc otiabitur omnis justitiæ exercitatio, oratio cessabit, languebit operatio. Sed non ita est: quin potius incessanter oremus, quia ipse Dominus dicit; *Sine*[f] *intermisssione orate, ne intretis in tentationem.* Nihilominus contra omne peccatum, non solum oratione, sed etiam labore luctemur: quia ipse Dominus præsenti lectione testatus est; *Quia*[g] *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*"

Responsio B. Fulgentii: ab Hadriano I. confirmata.

"Opera misericordiæ ac justitiæ [suæ] præparavit Deus in æternitate incommutabilitatis suæ: et, sicut futurorum operum suorum nunquam fuit ignarus, sic in eorundem operum præparatione nunquam improvidus. Præparavit ergo justificandis hominibus merita, præparavit iisdem glorificandis et præmia: malis vero non præparavit voluntates

[f] Luc. cap. 22. ver. 40, 46. [g] 1 Cor. cap. 1. ver. 8.

Digitized by Google

malas, aut opera mala; sed præparavit eis justa et æterna supplicia. Hæc est æterna prædestinatio futurorum operum Dei; quam, sicut nobis apostolica doctrina semper insinuari cognoscimus, sic etiam fiducialiter prædicamus. Beatus enim Paulus prædestinationem eorum, quos Dominus gratis salvat, et evidenter et frequenter insinuat. Ipse enim dicit de Deo: *Nam*[h] *quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imagini filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Et post: *Quos*[i] *autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Non utique alios, sed quos prædestinavit, hos vocavit, hos justificavit. Nihil incertum in Dei operibus nutat, quia nihil suæ prædestinationis evacuat: prædestinationis igitur suæ opera vocatione Deus inchoat, glorificatione consummat. Non tamen in omnibus quos vocat, sed quos secundum propositum vocat: *Diligentibus*[k] *enim Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt.*"

"Teneatur ergo prædestinationis veritas a fidelibus cunctis: quia quisquis divinum non credit in hac prædestinatione consilium, non perveniet ad gloriosum ejusdem prædestinationis effectum: quisquis autem non est prædestinatus ad gloriam, invenitur sine dubio præscitus ad pœnam; quæ ideo in Dei præparatione prædestinata cognoscitur, ut per eam infidelitas atque iniquitas puniatur. Propter quod beatus Judas apostolus, quosdam prædestinatos dicit in judicium his verbis: *Subintroierunt*[l] *enim quidam homines impii, qui olim præscripti et prædestinati erant in hoc judicium Dei nostri.* Vigilanter autem in doctrina Spiritus Sancti prædestinatos impios non dicit ad peccatum, sed ad judicium; id est, non ad impietatem sed ad punitionem. Non enim prædestinati sunt ad hoc, quod vitiosas impietates admittunt; sed ad illud, quod judicio æquitatis divinæ recipiunt. Ipsorum enim opus est, quod impie faciunt, Dei autem opus est, quod juste recipiunt."

"Proinde quod auctor illius sermonis subsequenter ad-

[h] Rom. cap. 8. ver. 29.
[i] Ibid. ver. 30.
[k] Rom. cap. 8. ver. 28.
[l] Jud. ver. 4.

Digitized by Google

junxit, dicens: Quin potius incessanter oremus, quia ipse Dominus dicit; Sine intermissione orate, ne intretis in tentationem. Et post: Nihilominus contra omne peccatum, non solum oratione, sed etiam labore luctemur. Et iterum: Sic laborantes vocat Dominus dicens; *Venite*[m] *ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam.* Sed nos a Deo humiliter gratiam poscamus; quam collaborantem jugiter habeamus, per quam nos Deus et in labore custodiat, et ad mercedem peracto labore perducat."

Hæc ex Fulgentio, Hadrianus: cujus hac de re literæ, inter epistolas[n] pontificum, anno septingentesimo nonagesimo primo a Carolo magno in unum volumen collectas, leguntur. Unde etiam ab ipso Carolo doctrinam hanc approbatam fuisse intelligimus. Etsi enim initio libri tertii Capitularis sui de imaginibus, quadriennio ante habitam synodum Francofordiensem editi, libellum fidei Pelagii ad Innocentium, ut traditionem a sanctis patribus acceptam, inseruerit, Hieronymi fuisse arbitratus ad Damasum (cujus titulo quoque inter ψευδεπίγραφα Hieronymiana adhuc retinetur); tamen quæ in illo ipso capitulari, ut alia omittam, libro primo, capite quindecimo, scripta habentur, sanam de Christi gratia sententiam amplexatum fuisse, satis ostendunt. Quomodo et proximo seculo eandem fidei professionem ut Hieronymianam a Remigio Lugdunensi archiepiscopo laudatam invenimus: quem tamen et Pelagianorum et Semipelagianorum summum fuisse oppugnatorem constat. Atqui tantum abest, ut illa fidei confessio sit Hieronymi: ut ipsius sententiam, velut blasphemam et execrabilem, in ea damnatam videamus. Cum enim libro primo Dialogi adversus Pelagium scripsisset Hieronymus: " Possibilia præcepit Deus, et ego fateor, sed hæc possibilia cuncta singuli habere non possumus:" Pelagius suam hic opponit ἀντίθεσιν: " Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini a Deo esse præceptum; et mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in communi posse servari."

[m] Matt. cap. 11. ver. 28.

[n] Epist. 96 et 97. Codicis Carolini, edit. Ingolstad. ann. 1613.

Digitized by Google

Pelagius, inquam: neutiquam vero Augustinus, uti putavit Vossius° noster; minime advertens sermonem illum centesimum nonagesimum primum de tempore, qui Augustino tribuitur, eundem ipsum esse cum hoc de quo jam agimus libello Pelagii.

° Voss. histor. Pelag. lib. 5. part. 1. antithes. 6.

Digitized by Google

CAP. II.

De Gotteschalco Orbacensi monacho; ac Tritheitarum et Prædestinatianorum hæresibus, quæ ab eo dicuntur fuisse suscitatæ.

Ut sub finem superioris seculi in Hispania[a], ita subsequente nono hoc seculo multo vehementius in Germania et Gallia, graves illæ de prædestinatione et libero arbitrio controversiæ agitatæ sunt; a Gotteschalco quodam Benedictino, Orbacencis cœnobii monacho, altercationum istarum ducta origine. Orbacum, hodie Orbez, ad Suessionensem quidem episcopatum spectat, ad archiepiscopatum vero Ecclesiæ Remorum, quæ provinciæ Belgicæ secundæ fuit metropolis. Unde monachus iste a Trithemio[b] natione Gallus, ab Aventino[c] Belga fuisse memoratur. Cæsar[d] Baronius, cum asseclis suis Severino Binio et Antonio Possevino, Scotum fuisse innuit; cum ipsum nomen Francicæ vel Germanicæ fuisse originis plane prodat: Gott enim Germanis Deum, schalck servum, denotat; ut Gotteschalcus Θεόδουλον sive Dei servum sonet.

Fuit is Augustinianæ doctrinæ studiosissimus; et earum præcipue quæstionum, quæ a communi intellectu magis remotæ videbantur, curiosissimus indagator. Ejusmodi erant illæ de modo videndi Deum post resurrectionem inquisitiones, de quibus eruditissimos sui seculi viros sollicitaverat: num oculi carnis aliquid sint mentis simile habituri, an ita potius nobis futurus sit Deus notus atque conspicuus ut videatur spiritu. Qua de re a Lupo abbate

[a] Circ. ann. DCCCXL.

Jo. Trithem. vit. Rabani lib. 3. ubi Botescalcus pro Gotescalcus perperam excusum est.

[c] Jo. Aventin. annal. Boior. lib. 4.

[d] Baron. ann. 855. sec. 1. Bin. not. ad concilium Valentinum (eo anno celebratum), et Possevin. apparat. sacr. in Valentin. concil.

Digitized by Google

Ferrariensi, diœcesis Senonensis, scripta ad eum extat epistola; hoc habens exordium. "Ni[e] veritus fuissem, ut me ab observatione charitatis aversum, nullius flecti posse precibus, putando, eandem charitatem offenderes, etiam nunc silentii latebram fovens, nihil ad ea quæ consuluisti respondissem; duabus videlicet ex causis: altera, ne otio tuo materiam exercendi ingenii vel imminuerem vel detraherem; altera, ut, habita consideratione illorum quos super eadem quæstione te sollicitasse olim cognovi, mediocritatem meam non præjudicare quorundam excellentiæ æstimatione propria comprobarem." Nec minus gravem atque salubrem epilogum. "Proinde semper solvendo, et nunquam persolvendo, charitatis debito, te suspiciende frater exhortor, ut nequaquam ultra in talibus tuum ingenium conteras; ne, his ultra quam oportet occupatus, ad utiliora vestiganda sive docenda minus sufficias."

Verum hac admonitione nihil ille a proposito deterritus, altissimum illud Divinæ electionis et reprobationis pelagus est ingressus; de prædestinatione et gratia capitulis nonnullis publicatis, quæ magnis postea turbis occasionem præbuerunt. Unde factus commotior Hincmarus, qui anno octingentesimo quadragesimo quinto Remensis factus est archiepiscopus, in epistola[f] ad Nicolaum I. pontificem ita in eum invehitur. "Antequam ad episcopatus ordinem pervenirem, sicut abbas suus et monachi inter quos fuerat conversatus ei testimonium perhibent, in metropolis Ecclesiæ Remorum monasterio, in Suessonica parochia, quod Orbacis dicitur, habitu monachus, mente ferinus, quietis impatiens, et vocum novitate delectans, ac inter suos mobilitate noxia singularis de omnibus, quæ in his regionibus perverse tunc temporis sensa cognoverat, quædam sibi elegit capitula; ut novitate vocum innotesci valeret, utque simplicium et devotorum sensus pervertere, et magistri sibi nomen usurpando post se discipulos trahere, illisque qui ad sua vota, auribus prurientes, magistros sibi coacervare decertant, quærere indebite, quoniam legitime non poterat, simulatione vitæ religiosæ et doctrina præesse."

[e] Lup. epist. 30.

[f] Apud. Flodoard. histor. Remens. lib. 3. cap. 14.

Digitized by Google

Eadem, et iisdem fere verbis, sed paulo contractioribus, habet idem in undecimo capite posterioris voluminis ad Carolum Calvum regem adversus Gotteschalcum et ejus defensores conscripti: tantum, ubi dixisse illum audivimus, "quædam sibi elegisse capitula" Gotteschalcum, hic "quatuor sibi elegisse capitula" affirmat; "omnium pene perversitatum illarum fœtidas et cænulentas fæces in se continentia." Quænam vero illa fuerint, partim ex antithesi quatuor capitulorum, quæ in Carisiaca synodo Gotteschalco sunt opposita, intelligere possumus, de quibus in capite septimo plura videbimus: partim etiam ex jam dicta Hincmari ad Nicolaum I. epistola; in qua sequentes propositiones contra Catholicam fidem, eum docuisse affirmat.

1. "Sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinavit ad mortem æternam."

2. "Non vult Deus omnes homines salvos fieri, sed tantum eos qui salvantur. Omnes autem salvantur, quoscunque ipse salvare voluerit: ac per hoc, quicunque non salvantur, penitus non est voluntatis illius, ut salventur; quoniam si non omnes salvantur, quos vult Deus salvos fieri, non omnia quæcunque voluit fecit: et si vult quod non potest, non omnipotens sed infirmus est. Est autem omnipotens, qui fecit quodcunque voluit, dicente Scriptura: *Omnia*[g] *quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis.* Item: *In*[h] *voluntate tua, Domine, cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere tuæ voluntati: si decreveris salvare nos, continuo liberamur.*"

3. "Non pro totius mundi redemptione, id est, non pro omnium hominum salute et redemptione, Dominus et Salvator noster Jesus Christus est crucifixus et mortuus, sed tantum pro his qui salvantur."

4. "Deitas sanctæ Trinitatis trina est."

Ad postremam refellendam blasphemiam peculiarem librum ad Remenses suos scripsisse Hincmarum notat Flodoardus, "collectum[i] ex orthodoxorum dictis patrum, quod

[g] Psal. 135. ver. 6.
[h] Esth. cap. 13. ver. 9.
[i] Flodoard. lib. 3. hist. cap. 15.

Digitized by Google

Divinæ Trinitatis Deitas trina non sit dicenda": et ad Carolum regem super hac eadem re librum alium. Verum a blasphema Tritheitarum hæresi satis hic Gotteschalcum (qui in confessione sua Deum, naturaliter quidem unum, sed personaliter trinum, clarissime prædicat) vindicat Flodoardi scholiastes Georgius Colvenerius, theologiæ in academia Duacensi professor regius: in loquendi modo, potius quam in ipsa re, errorem commissum esse demonstrans. " Id[k] quidem (inquit) minus recte, et improprie dicitur; cum trium personarum in Sancta Trinitate non sit, nisi una numero Deitas. Sed eo sensu dici potest trina Deitas, quia est in tribus personis. Unde in Ecclesia Romana, a trecentis et quinquaginta circiter annis, decantatus est ille S. Thomæ hymnus de venerabili sacramento in quo dicitur.

Te, trina Deitas unaque, poscimus.

Cumque de eo mutando ageretur in postrema correctione Romani breviarii sub Clemente VIII. (ut a viris doctis accepi) propter auctoritatem tamen tanti doctoris, nihil est mutatum. Sic apud Chrysostomum, tomo tertio, homilia de S. Joanne Baptista (quæ quidem ipsius non est, sed incerti auctoris) legitur, quod in Patre, Filio et Spiritu Sancto, est triplex et una Divinitas. Ubi triplex pro trina ponitur: sicut et in hymno Prudentii de cereo Paschali, cum ait de Deo;

Regnum continuat numine triplici.

Nam Deus non recte triplex dicitur, sed trinus: ut docent scholastici doctores in primum librum sententiarum, distinctione decima nona."

Priores vero illas propositiones ex veteri hæresi prædestinatiana profluxisse Hincmarus[l] asserit: cujus etiam in vita[m] antecessoris sui Remigii Remensis archiepiscopi, ita

[k] Colvener. schol. in Flodoard. lib. 3. cap. 14.

[l] Hincmar. in epist. ad Nicol. I. apud Flodoard. lib. 3. cap. 14.

[m] MS. in Sarisburiensis Ecclesiæ bibliotheca: nam in vita quam Surius ad diem 13. Januarii edidit, tota illa Hincmari adversus prædestinatianos excursio est omissa.

Digitized by Google

idem meminit. "Ad quem ignem perpetuum Deum quosdam prædestinasse, quos non vult salvos fieri, et ideo salvi esse non possunt, et pro his Christum non fuisse passum; veteres etiam moderni, hæretici Prædestinatiani, mentientes, sicut et Pelagiani de peccato Adæ et libero hominis arbitrio, sine gratia Dei, male sentientes, dixerunt." Et de modernis quidem illic conqueritur, "Quoniam adhuc reliquiæ Prædestinatianorum in istis Gallicanis provinciis fauce susurra mussitant:" de veteribus, quinam illi fuerint, quandoquidem ne ipse quidem Hincmarus satis perspectum habuit, ex antiquioribus authoribus res est perquirenda.

Et eorum quidem originem Tiro Prosper, quisquis ille fuerit (nam a Prospero Aquitanico, Augustini propugnatore, longe diversum fuisse jamdudum demonstravit Arnaldus[n] Pontacus) in Hieronymiani chronici continuatione, sub annum Arcadii et Honorii vicesimum quartum, ita explicat. "Prædestinatorum hæresis, quæ ab Augustino accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa:" Sic enim, tum[o] apud Thomam Waldensem, tum in duobus optimæ notæ MSS. exemplaribus, altero bibliothecæ regiæ, altero Benedictini apud Cantabrigienses collegii, locus est expressus: cum in libris editis, non ab ipso Augustino sed ab Augustini libris male intellectis, hæresis hæc accepisse dicatur initium. Nempe honori Augustini hoc modo consultum esse voluerunt interpolatores illi: nec animadverterunt Semipelagianorum fuisse istas technas; qui, novellæ cujusdam prædestinatianæ hæreseos excogitato odioso nomine, ipsius Augustini orthodoxam de prædestinatione doctrinam prægravare studuerunt.

Eam enim pro hæresi ab illis fuisse habitam, præter ea quæ in Fausti Semipelagiani libris passim occurrunt, etiam Arnobii illa in Psalmum centesimum octavum notatio satis ostendit. "Nota ex arbitrio evenisse ut nollet: propter hæresim, quæ dicit Deum alios prædestinasse ad benedictionem, alios ad maledictionem:" Quod vero eam dixerint ab Au-

[n] Pontac. apparat. ad notas in Euseb. Hieron. et Prosperi chronic. pag. 22, 23.

[o] Waldens. doctrin. fidei. tom. 1. lib. 1. cap. 22.

Digitized by Google

gustino accepisse initium, et contra patrum opinionem atque ecclesiasticum sensum ab eo fuisse introductam, illa Prosperi, in epistola ad ipsum Augustinum scripta de reliquiis Pelagianæ hæreseos, fidem faciunt. "Multi servorum Christi qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant patrum opinioni et ecclesiastico sensui, quicquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti." Et post: "Obstinationem suam vetustate defendunt: ut ea, quæ de epistola apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem Divinæ gratiæ prævenientis electorum merita, proferuntur, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirment." Quibus et illud Hilarii addi potest, in alia ad eundem Augustinum data epistola. "Hæc sunt quæ Massiliæ, vel aliis etiam locis in Gallia, ventilantur: NOVUM, et inutile esse prædicationi, quod quidam secundum propositum eligi dicantur." Denique hujus doctrinæ assertoribus Prædestinatorum nomen, quod Tiro (et eum secutus Sigebertus) usurpat, fuisse impositum ex dicti Arnobii verbis illis liquet, in expositione Psalmi centesimi quadragesimi sexti. "Nota tibi, PRÆDESTINATE, quod loquor: omnium generaliter bonam voluntatem Christi gratia hoc ordine, quo diximus, antecedit: si tamen pro omnibus natus, si tamen pro omnibus passus." cui geminum est et alterum illud Prædestinatianorum cognomentum, quo utitur Hincmarus, Gennadium Massiliensem imitatus: qui, in appendice[p] ad Hieronymi indiculum de hæresibus adjecta, eorum sententiam, invidiose satis, hunc in modum explicat.

"Prædestinatiani sunt, qui dicunt quod Deus non omnes homines ad hoc crearit, ut omnes salventur; sed ut multitudine hominum ornetur mundus. Quod etsi generali prædicatione dicat: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis; et ego reficiam vos:* non tamen omnes ea voluntate vocet, ut omnes sequantur vocantem. Sed nec omnes qui ipso inspirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exequendi in bono opere perseverantiam; sed post

[p] Edit. Paris. ann. 1617. pag. 26.

Digitized by Google

multos labores et justitiæ fructus, si non sunt de salvandorum numero, subtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono: et e contrario, illos qui prædestinati sunt ad vitam æternam, etiamsi in perfidia, vel in omni genere peccati longo tempore volutentur; accepturos occasionem, qua et credant in Deum, et secundum Dei præceptum vivant, ut possideant societatem justorum. Tali definitione id docere student, quod Deus personas hominum accipiat: quod alios etiam invitos post multa mala opera attrahat ad salutem; alios post bona rejiciat, et compellat in malum, quo pereant in æternum."

Hujusmodi nimirum porismata ex Augustini de absoluta prædestinatione sententia deduxisse Massilienses ex Prosperi ad Gallorum capitula responsione intelligimus: ut "tali[q] commento et detestationem ejus, quem impeterent, obtinerent; et ab his, quæ infamassent, curam exterriti lectoris averterent." Qua a Massiliensibus suis imbutus persuasione Gennadius, quo animo in Augustinum affectus fuerit satis aperuit; quum in scriptorum ecclesiasticorum catalogo illum[r] "ex multiloquio non effugisse peccatum," atque "errorem illius sermone multo contractum, lucta hostium exaggeratum, necdum hæresis quæstionem dedisse," pronuntiat. Itaque Isidorus[s] Hispalensis, relicto hic Gennadio, quem alias in suo Hæreticorum catalogo sequi solet, Prædestinatianorum horum mentione prorsus prætermissa, Pelagianorum hæresim eorum loco, judicio longe rectiore, substituit.

Quin et Vossius ipse noster, qui omnium primus ad monachos Adrumetinos (quibus duos libros, alterum de gratia ac libero arbitrio, de correptione ac gratia alterum, transmisit Augustinus) Prædestinatianorum originem retulit, in illorum tamen descriptione, perstrictam[t] a Gennadio fuisse Augustini de prædestinatione absoluta sententiam, non diffitetur. Nam monachi quidem illi, "sic[u] gratiam prædicabant, ut negarent hominis esse

[q] Prosp. præfat. in respons. ad capit. Gallor.
[r] Gennad. catal. cap. 38.
[s] Isidor. orig. lib. 8. cap. 5.
[t] Voss. histor. Pelag. lib. 1. cap. 10.
[u] Augustin. epist. 214. Op. tom. 2. pag. 791.

Digitized by Google

liberum arbitrium, aut in die judicii redditurum esse Deum unicuique secundum opera ejus"; neque "esse[w] corripiendum qui exorbitat de via justa, sed ei reditum et perseverantiam a Domino tantum esse poscendam:" de aliis vero quæ Prædestinatianis adscribi solent, adeoque de ipsa prædestinatione (unde id cognomenti illis inditum) fuisse ab eis aliquid peculiariter promulgatum, non legimus. Atqui nihil est eorum, quæ Prædestinatianis ab Arnobio, Gennadio, Hincmaro, aut ipso etiam Sigeberto tribuuntur; quod non a Pelagianis et Semipelagianis, ipsi Augustino et ejus sectatoribus, quo jure quave injuria, attributum fuisse comperimus.

Quod "quidam[x] homines scilicet non ad hoc a Deo creati sint, ut vitam adipiscerentur æternam; sed ut habitum tantummodo seculi præsentis ornarent, et ad utilitatem nascerentur aliorum." Quod "non[y] omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum." Quod "majorem[z] partem generis humani ad hoc creet, ut illum perdat in æternum." Quod "hæc[a] sit voluntas Dei, ut magna pars Christianorum salva esse nec velit, nec possit." Quod "Dominus[b] noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute et redemptione sit passus." Quod "non[c] omnes homines vocentur ad gratiam." Quod "qui[d] vocati sunt, non æqualiter sint vocati; sed alii ut crederent, alii ut non crederent." Quod "nolit[e] Deus, ut omnes catholici in fide catholica perseverent; sed velit, ut magna exinde pars apostatet, et magna pars sanctorum a sanctitatis proposito ruat." Quod "pars[f] magna illa Christianorum catholicorum fidelium, atque sanctorum, quæ ad ruinam et perditionem prædestinata est, etiamsi petat a Deo sanctitatis perseverantiam, non impetrabit: eo quod mutari non potest divina prædestinatio, quæ illos præordinavit, præpa-

[w] Id. de corrept. et grat. cap. 3, 4, et 10. Op. tom. 10. pag. 752, 754.
[x] Gallor. object. 13. apud Prosperum.
[y] Eorund. object. 8.
[z] Vincent. object. 3. apud eundem.
[a] Ejusd. object. 7.
[b] Ibid. object. 1.
[c] Gallor. object. 4.
[d] Eorund. object. 5.
[e] Vincent. object. 8, et 9.
[f] Ejusd. object. 14.

Digitized by Google

ravit, præaptavit, ut caderent." Quod "non[g] prædestinati ad vitam, etiamsi fuerint in Christo per baptismum generati, et pie justeque vixerint, nihil eis prosit: sed tandiu reserventur, donec ruant et pereant: nec ante eos ex hac vita, quam hoc eis contingat, auferri." Quod "quibusdam[h] vocatis, et pie justeque viventibus, obedientia subtrahatur, ut obedire desistant." Quod "omnes[i] illi fideles et sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur; sed ipsius vitii causa est Divina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates." Quod "si[k] qui sunt nondum vocati, quos Deus gratia sua prædestinaverit eligendos, accipient eandem gratiam, qua velint, et sint electi: et si qui obediunt, si prædestinati sunt rejiciendi, subtrahentur obedientiæ vires ut obedire cessent." Quod "omnes[l] illi fideles et sancti qui ad æternam mortem prædestinati sunt, posteaquam ceciderint, sic a Deo dispensentur, ne possint vel velint per pœnitentiam liberari."

Ad id quod extremo loco de προσωπολημψία objicitur, et, "rerum[m] indigna confusione," vetus spectat illa Pelagianorum calumnia, initio libri sexti, sive Hypomnesticῶn, sive Hypognosticῶn proposita. "Credere[n] nos vel prædicare suggillatis, quia cum lege Dei et prophetis, cum evangelio Christi ejusque apostolis, prædestinationem dicimus, quod Deus quosdam hominum sic prædestinet ad vitam regni cœlorum, ut si nolint orare, aut jejunare, aut in omni opere divino vigiles esse, eos omnino perire non posse; nec prorsus sui debere esse solicitos, quos Deus, quia voluit, semel jam eligendo prædestinavit ad vitam: quosdam vero sic prædestinavit in gehennæ pœnam, ut etiam si credere velint, si jejuniis et orationibus omnique se voluntati divinæ subjecerint, in his Deum non delectari, et vitam illis æternam in toto dari non posse; sic

[g] Gallor. object. 3. Vincent. object. 13.
[h] Eorund. object. 12.
[k] Genuensium dubium 10. apud eund. ex Augustin. de bono vel dono perseverant. cap. 15.
[l] Vincent. object. 15.
[m] Faust. de lib. arbitr. lib. 2. cap. 6.
[n] Author hypognostic. in Appen. tomi 10. oper. Augustini.

Digitized by Google

electione prædestinatos esse ut pereant. Deum nos talliter operantem personarum esse acceptorem dicere." Necnon et Semipelagianorum illa altera a Prospero in epistola ad Augustinum commemorata: "Hoc propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum et rejiciendorum dicitur facta discretio; ut, secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, et lapsis curam resurgendi adimere, et sanctis occasionem teporis adferre: eo quod in utramque partem superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definivit, accidere, et sub incerta spe cursum non posse esse constantem; cum, si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates: et sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quandam induci necessitatem. Quamobrem nec acquiescunt," inquit Prosper, "prædestinatum electorum numerum, nec augeri posse, nec minui: ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant; ac superflua sit industriæ ac laboris indictio, cujus studium cessante° electione frustrandum sit."

Unde manifestum existit, non ex libris Augustini male intellectis, ut Sigeberto Gemblacensi visum, et qui ex eo corrigendum putarunt Tironis chronicon (quod in nullo, opinor, manuscripto exemplari a Sigeberti illo altero sejunctum cernitur) sed ex Augustini libris rite intellectis, sensisse Massilienses et alias Pelagianorum reliquias justa consequentia deducta fuisse nefanda illa quæ Prædestinatianis adscribebant dogmata. Verba Sigeberti, ad annum Christi quadringentesimum decimum quintum, ista sunt. "Prædestinatorum hæresis hoc tempore cœpit serpere: qui ideo prædestinati vocantur, quia, de prædestinatione et divina gratia disputantes, asserebant quod nec pie viventibus prosit bonorum operum labor, si a Deo ad mortem prædestinati

° *cessante.*

Digitized by Google

fuerint; nec impiis obsit, quod improbe vivant, si a Deo prædestinati fuerint ad vitam. Quæ assertio et bonos a bonis avocabat, et malos ad mala provocabat. Hæc hæresis ex libris Augustini male intellectis initium sumpsisse dicitur." Hæc Sigebertus: ignorans, Semipelagianorum artibus, per Prædestinatorum istorum latus recta petitum fuisse ipsum Augustinum.

Contra Julianum Pelagianum, Augustinus[p] ita disputaverat. " Quid est quod dicis; cum desideriis suis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam in telligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi? quasi non simul posuerit hæc duo idem apostolus et patientiam et potentiam, ubi ait: *Sic*[q] *autem volens Deus ostendere iram et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem.* Ait, inquis, apostolus: *Bonitas*[r] *Dei ad pœnitentiam te adducit.* Verum est, constat: sed quem prædestinavit adducit; quamvis secundum duritiam et cor impœnitens, quantum ad ipsum attinet, thesaurizet sibi *iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus.* Quantamlibet enim præbeat patientiam, nisi ipse dederit, quis agit pœnitentiam? Ex isto numero electorum et prædestinatorum, etiam qui pessimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam; per cujus patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti, ut ostendatur et ipsis et aliis cohæredibus eorum, de quam profundo malo possit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit, quacunque ætate moriatur. Cæteri autem mortales, qui ex isto numero non sunt, et ex eadem quidem massa ex qua et isti, sed vasa iræ facti sunt, ad utilitatem nascuntur istorum. Non enim quenquam eorum Deus temere ac fortuito creat, aut quid de illis boni operetur ignorat; cum et hoc ipsum bonum operetur, quod in eis humanam creat naturam, et ex eis ordinem seculi præsentis exornat. Istorum neminem adducit ad pœnitentiam salubrem et spiritalem, qua homo in Christo reconciliatur Deo; sive illis ampliorem

[p] lib. 5. cap. 5, 6. Op. tom. 10. pag. 634, 635, 636.
[q] Rom. cap. 9. ver. 22. [r] Ibid. cap. 2. ver. 4.

Digitized by Google

patientiam, sive non imparem præbeat. Quamvis ergo omnes ex eadem massa perditionis et damnationis, secundum duritiam cordis sui et cor impœnitens, quantum ad ipsos pertinet, thesaurizent sibi iram in die iræ, quo redditur unicuique secundum opera sua: Deus tamen alios inde per misericordem bonitatem adducit ad pœnitentiam, alios secundum justum judicium non adducit. Habet enim potestatem adducendi et trahendi, ipso Domino dicente: *Nemo*[s] *venit ad me, nisi Pater qui me misit traxerit eum.*"

Ex his et similibus Augustini disputationibus collegit Gennadius, cum Massiliensibus suis, hanc illius fuisse sententiam; "Quod Deus non omnes homines ad hoc crearit, ut omnes salventur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus, &c. quodque alios, etiam invitos, post multa mala opera attrahat ad salutem; alios post bona rejiciat et compellat in malum, quo pereant in æternum." Vel, ut alii adhuc odiosius rem expressere, "quod[t] per potentiam Deus homines ad peccata compellat," atque "ex[u] prædestinatione Dei, velut fatali necessitate, homines ad peccata compulsi cogantur ad mortem," Deo homines "in[w] mortem impellente, et perituris salutis intercludente aditum." Denique "quod[x] Deus absque ullo inter malum et bonum moderatoris examine, non ordine regentis, sed jure dominantis, illum affectu dignum reddat, hunc odio; illum recipiat studio, hunc excludat imperio: et inter duos perditos, nulla consideratio laboris, nulla devotionis habeatur; sed unus sine ratione cessantibus officiis assumatur, alter sine discretione damnetur." Sic enim Faustus, ille Semipelagianorum antesignanus, cujus profundam calliditatem B. Fulgentium destruxisse notavit Isidorus[y], suppresso Augustini nomine, ejus opinionem insectatur: quemadmodum a Sixto[z] Senensi recte est animadversum; quod tamen scriptum adversus Prædestinatianos ab ipso fuisse editum, Maldonatus[a] significat: nec male illud quidem; si per Præ-

[s] Joh. cap. 6. ver. 44.
[t] Gallor. object. 11.
[u] Eorund. object. 1.
[w] Faust. de lib. arbitr. lib. 1. cap. 19.
[x] Id. lib. 2. cap. 6.
[y] Isidor. de vir. illustr. cap. 14.
[z] Sixt. Senens. in biblioth. sanct. lib. 6. annot. 252.
[a] Maldonat. in Joh. cap. 17. ver. 9. et Matth. cap. 20. ver. 27.

Digitized by Google

destinatianos non alios intellexisset quam eos, qui Augustinianam de prædestinatione sententiam sunt amplexi. Nam et in ipso operis hujus initio Leontium episcopum commendat author; "quod in condemnando PRÆDESTINATIONIS errore concilium summorum antistitum congregasset:" et hosce ipsos Fausti libros, Petrus diaconus cum collegis suis, in fine libri de incarnatione et gratia Domini, ut contra PRÆDESTINATIONIS sententiam scriptos, anathematizat.

Summa vero venenati illius scripti duabus epistolis comprehenditur, quarum altera ipsius Fausti est ad Lucidum presbyterum; altera Lucidi, a Fausto seducti, præteritas errores revocantis, seu verius ab orthodoxorum consortio ad Semipelagianorum castra transeuntis. Unde apparet, quid de Henrici Canisii nugamento judicandum sit; qui[b] Lucidum, quod erroneæ Fausti epistolæ subscripsisset, pœnituisse fingit, erroremque publicata epistola damnavisse: quid de contrario Baronii[c], Binii[d] et Becani[e], pronuntiato sentiendum; qui Lucidum, Fausti opera ad catholicam fidem revocatum, Prædestinatianorum errores, quibus detentus fuerat, damnasse autumant. Quid item de Serarii[f] impudentia; qui "eandem hodie toties damnatam, impiam, horrendamque delirationem, e graveolentibus priscorum hæreticorum bustis, ab hodiernis refossam Calvinistis, calumniatur." Quid de Hincmari denique (ut ad illum tandem redeamus) ἀνιστορησία statuendum sit; qui commentitiam hanc Prædestinatianorum hæresim "primum[h] in Africa, postea in Galliis, per idem tempus quando et Nestoriana hæresis, esse exortam; et tempore Cœlestini papæ, ipsius auctoritate, et instantia sancti Prosperi,

[b] Canis. annot. in Faust. epist. 3. bibliothec. patr. tom. 5. part. 1. pag. 526. edit. Colon.

[c] Baron. ann. 490. sec. 16, 17, 24, 29, 30.

[d] Bin. not. in concil. Arelat. III. tomo 2. concil. part. 1. pag. 633. edit. Colon. ann. 1618.

[e] Becan. quæst. 3. Calvinistic. contra Paræum, tomo 1. opuscul. pag. 428. edit. Mogunt. ann. 1610.

[f] Serar. Moguntiac. rer. lib. cap. 33. pag. 130.

[g] Flodoard. hist. Remens. lib. 3. cap. 14.

[h] Baron. ann. 490. sec. 17. et 29. collat. cum ann. 848. sec. 7.

Digitized by Google

revictam" esse asserit. Cui hircum hic mulgenti cribrum supponens Baronius, istorum errores " S. Prosperum confutavisse" addit; " cum adversus calumniatores doctrinæ S. Augustini responsionum, quatuor libros conscripsit."

Et sane ex istis responsionum Prosperi libris constat, non quidem a Prædestinatianis nescio quibus, sed a Pelagianorum reliquiis, Augustini doctrinam in pravum sensum calumniose fuisse detortam: ejusque innocentiam, Prosperi et Hilarii instantia, adversus istorum calumnias a Cœlestino assertam fuisse, ipsa pontificis evincit epistola ad Galliarum episcopos hac de re conscripta. Sed extitisse tum prædestinatianæ alicujus hæreseos defensores alios, a Cœlestino et Prospero refutatos, Hincmari commentum est, odium hinc adversario suo Gotteschalco conflare volentis: quem Prædestinatianos alios nullos in prædestinationis doctrina tradenda secutum fuisse, scripta ipsius declarant, quam ipsum Augustinum, Prosperum, et Fulgentium; quorum postremus, ut inquit ille, " catholicissime[1] necnon et copiosissime disputavit in septem libris contra duos libros Fausti hæretici, Lirinensis quondam monachi, Regensis vero postmodum episcopi: quem convicit idem doctor mirabiliter, contrivitque commenta diaboli; et cum aliis quatuordecim sanctis coepiscopis suis ab Ecclesia Christi repulit et eliminavit lethiferum virus Antichristi."

[1] Gotteschalci confess. in fine hujus libri.)

Digitized by Google

CAP. III.

De Gotteschalci ordinatione, peregrinatione et prædicatione: atque contrariis Hincmari Remensis et Remigii Lugdunensis archiepiscopi de doctrina illius judiciis.

VACANTE post Ebbonis archiepiscopi depositionem sede Remensi, a Rigboldo Remorum chorepiscopo presbyter ordinatus est Gotteschalcus; Rothado Suessonicæ civitatis episcopo inconsulto, sub cujus præfectura Orbacense fuit cœnobium, in quo ille monachatum fuerat professus. Inde a monasterio irregulariter exeuntem, peragratis regionibus plurimis, dogmata sua passim eum disseminasse, narrat in epistola ad Nicolaum I. Hincmarus, Ebbonis in Remensi archiepiscopatu proximus successor. In alia quoque epistola, ad Lugdunensem Ecclesiam missa, postquam eum[a] dixisset, "ultro sibi prædicatoris nomen assumpsisse, atque ad barbaras et paganas gentes (in ultimis, ut videtur, Germaniæ finibus positas) velut evangelizaturum perrexisse;" his verbis seriem prædicationis ejus exequitur, dicens; "Alio prædicationem suam orsus initio quam Joannes, qui dixit, *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum:* et quam Paulus, qui docuit per *visibilia visibilium et invisibilium cognoscere Creatorem:* cœpit prædicare, quod

I. "Ante omnia secula et antequam quicquam faceret, a principio Deus quos voluit prædestinavit ad regnum, et quos voluit prædestinavit ad interitum."

II. "Qui prædestinati sunt ad interitum, salvari non

[a] Eccles. Lugdunens. de trib. epistolis. tomo 9. biblioth. patr. part. 1. pag. 1053. F. Edit. Colon.

[b] Matth. cap. 3. ver. 2. [c] Rom. cap. 1. ver. 20.

Digitized by Google

possunt, et qui prædestinati sunt ad regnum, perire non possunt."

III. "Deus non vult omnes homines salvos fieri, sed eos tantum qui salvantur: et quod dicit apostolus, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, illos dicit omnes qui tantummodo salvantur."

IV. "Christus non venit ut omnes salvaret; nec passus est pro omnibus, nisi solummodo pro his, qui passionis ejus salvantur mysterio."

V. "Postquam primus homo libero arbitrio cecidit, nemo nostrum ad bene agendum, sed tantummodo ad male agendum, libero potest uti arbitrio."

Hic vero operæ pretium fuerit attendere, quid pro Gotteschalco Ecclesiæ[e] suæ nomine, Remigius Lugdunensis archiepiscopus respondeat. "Hoc nobis licet ex parte incredibile videatur, quod videlicet gentibus ignorantibus Dominum prædicans prætermittere potuerit, ut non eos primo omnium ad pœnitentiam provocaret, nec eis inter creaturam et Creatorem rationabiliter discernere persuaderet; ut jam non colerent, neque servirent creaturæ per idololatriæ errorem, sed potius Creatori qui est benedictus in secula: sed quæstiones eis, etiam fidelibus et doctis difficillimas, de divinis judiciis et prædestinationis ac redemptionis mysterio proposuerit. Tamen prætermittentes hujus rei tam absurdam et incongruam objectionem, magis eum credimus inter fideles, vel etiam sacerdotes illarum partium, talia movere et proponere potuisse, quibus magnarum et novarum rerum velut novus atque admirandus prædicator existimaretur; quam tantæ eum fatuitatis et stultitiæ extitisse, ut imputetur omnium rerum divinarum penitus ignaris tam importune et præpostere talia ingessisse, quibus apud eos non audiendus sed penitus ridendus, et ab omnium auribus arcendus judicaretur."

Ad quinque vero illas sententias quod attinet:

I. II.

Duas quidem priores certissimæ veritatis esse, multis et

[d] 1 Tim. cap. 2. ver. 4.

[e] ut supra. pag. 1053. G. H.

Digitized by Google

scripturarum et patrum testimoniis confirmat Remigius, ita tandem concludens. "Ecce[f] beatissimi patres Ecclesiæ uno sensu, uno ore, quia et uno spiritu, divinæ præscientiæ et prædestinationis immobilem veritatem in utraque parte, electorum scilicet et reproborum, prædicant et commendant; electorum utique ad gloriam, reproborum vero non ad culpam sed ad pœnam: et in his non temporalium, neque ex aliquo tempore inchoantium; sed sempiternarum dispositionum Dei immutabilem ordinem nobis demonstrari confirmant: nec aliquem electorum posse perire, nec ullum reproborum propter duritiam et impœnitentiam cordis sui posse salvari. Hoc et divinarum scripturarum veritas, et sanctorum atque orthodoxorum patrum auctoritas, consonanter annunciant, indubitanter nobis credendum et tenendum inculcant. Quapropter, etsi illius miserabilis monachi improbatur levitas, improbatur temeritas, culpatur importuna loquacitas, non ideo divina neganda est veritas; quia, juxta præmissam catholicæ fidei rationem, omnipotens Deus ante constitutionem mundi, antequam quicquam faceret, a principio certis et justis atque immutabilibus causis æterni consilii sui quosdam ad regnum gratuita bonitate sua, ex quibus nemo sit periturus protegente misericordia sua: et quosdam prædestinaverit ad interitum justo judicio suo, propter meritum quod præscivit impietatis eorum, ex quibus nemo possit salvari; non propter violentiam aliquam Divinæ potestatis, sed propter indomabilem et perseverantem nequitiam propriæ iniquitatis. Quid ergo restat, nisi, ut si aliquid aliter sapuimus, hoc nobis Deo revelante humiliter abnuamus, et clarescentem veritatem fideliter amplectamur? quia, ut apostolus docet, non debemus posse aliquid adversus veritatem, sed pro veritate."

III.

De tertia sententia ita disputat. "Quid[g] causæ est ut Deus, qui omnes homines vult salvos fieri, non omnes homines salvet? Voluntatem eorum non expectat, quia vo-

[f] Pag. 1058. D. E.

[g] Pag. 1059. F. G.

Digitized by Google

luntatem veræ salutis suæ nemo habere potest nisi per illum. An quod vult non potest omnipotens? ut (quod absit) velit salvare omnes homines, non possit. Quid ergo restat, nisi ut ille, qui omnia quæcunque voluit fecit, ideo hoc non faciat quia nolit, non quia non possit? Quia, sicut vere omnia quæ voluit fecit, ita vere noluit quæ non fecit. Cur ergo noluit? nisi quia in hac re sicut justum ita et occultum est judicium ejus cui psalmista dicit; *Judicia tua abyssus multa:* et de quo apostolus dicit; *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* et iterum; *Numquid iniquitas apud Deum? Absit.* Quos ergo voluit salvare, salvavit; quia omnia quæcunque voluit fecit: quos autem salvare noluit, ubi, nisi in illa ex Adam veniente massa damnationis, reliquit? Ita fit, etiam si secundum pium quorundam patrum piorum sensum Deus omnes homines vult salvos fieri bonitate Creatoris, qua creaturam suam bene a se conditam perire non vult; id ipsum iterum non vult judicis æquitate, qua eandem creaturam suam, vel originali vel etiam actuali peccato nequiter inquinatam et vitiatam, impunitam esse non sinit. In tantum enim neminem vult perire, nec voluntas ejus alicui causa perditionis existit, ut per prophetam etiam juret et dicat; *Vivo*[h] *ego, dicit Dominus, quia nolo mortem impii, sed ut revertatur a via sua impia et vivat:* et tamen ipse, qui non vult mortem impii, perseverantem in impietate sua impium proculdubio punit. Ita in uno atque eodem homine et bonitatem et severitatem suam ostendens: bonitatem, qua non vult eum perire; severitatem, qua perseverantem in iniquitate non vult impunitum relinquere. Si ergo hoc, quod de uno homine diximus, de universo genere hominum pereuntium similiter intelligatur: potest forsitan non absurde dici, quod Deus omnes homines velit salvos fieri bonitate Creatoris; et tamen eos, quos indignos salute judicaverit, justa judicis severitate, non salvet. Nam et in uno homine, ut jam dictum est, utrumque fieri posse ostendit apostolus, dicens: *Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei, in illis quidem*

[h] Ezech. cap. 33. ver. 11.

Digitized by Google

qui ceciderunt severitatem; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris: quod est aperte severitatem denunciare illi, qui non permanserit in bonitate."

Locum vero illum apostoli, " Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire" quatuor[i] modis in scriptis catholicorum patrum explanatum esse dicit.

I. " Ut omnes homines omnia hominum genera accipiamus: id est, Judæorum et gentium; liberorum et servorum; virorum et mulierum; divitum et pauperum; nobilium et ignobilium; et quæcunque hujusmodi. Isto namque locutionis modo ipse Dominus in evangelio dicit: *Et*[k] *ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me.* Et apostolus: *Conclusit*[l] *enim Deus omnio in incredulitate, ut omnium misereatur.*"

II. " Ut[m] illos solos salvari intelligamus, quos ipse salvare voluerit: id est, non quod omnes salventur, sed quod nemo nisi miserationis ejus voluntate salvetur: de quo Psalmista dicit; *Salvum*[n] *me fecit, quoniam voluit me* Et iterum: *Et*[o] *vita in voluntate ejus.* Iste enim locutionis modus in verbis apostoli etiam aliis locis invenitur; ut in illo: *Sicut*[p] *per unius hominis delictum in omnes homines in condemnationem; ita et per unius hominis justitiam, in omnes homines in justificationem vitæ:* Non quia nullus hominum est qui per illius justitiam non justificetur; sed quia præter ejus justitiam nemo justificetur. Omnes ergo per primum Adam in condemnationem, et omnes per novissimum Adam in justificationem: quia nemo in condemnatione, nisi per illum; nemo in justificatione nisi per istum. Tali sensu et illud accipiendum est: *Sicut*[q] *in Adam omnes moriuntur; ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Vere nempe in Adam omnes moriuntur; quia nemo in mortem nisi per illum: et vere in Christo omnes vivificabuntur; quia nemo in illa resurrectione vitæ nisi

Pag. 1058. G. H.
[i] Rom. cap. 11. ver. 32.
[n] Psal. 18. ver. 20.
[p] Rom. cap. 5. ver. 18.
[k] Joh. cap. 12. ver. 32.
[m] Pag. 1058. H. 1059. A. B.
[o] Psal. 30. ver. 6.
[q] 1 Cor. cap. 15. ver. 22.

Digitized by Google

per ipsum. Quo etiam sensu manifestissime illud in Psalmo dictum est: *Allevat*[r] *Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos.* Quia vel ex omni genere peccantium sive criminosorum quos voluerit salvat: vel quia nisi per illum nemo prostratus erigitur aut allevatur, dum non suis viribus, sed Dei miseratione consurgit."

III. "Ut[t] hoc sanctos suos per Spiritum suum velle faciat, id est, velle eis inspiret, ut omnes homines, sicut seipsos, salvos fieri optent; sicut et de Spiritu Sancto intelligendum est quod idem dicit apostolus: *Sed*[t] *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Postulat namque Spiritus, quia, ut beatus Gregorius exponit, ad postulandum eos, quos repleverit, inflammat: et gemit atque desiderat Spiritus quia sanctos in orationibus gementes et desiderantes facit. Juxta hunc itaque sensum Deus vult omnes homines salvos fieri, quia ipse sanctis suis inspirat ut hoc velint; ipse eos ita volentes facit. Sicut inspiraverat beato apostolo, qui dicebat: *Volo*[u] *autem omnes homines esse sicut meipsum.* Et alibi: *Opto*[w] *apud Deum, et in modico et in magno, non solum te, sed et omnes qui me audiunt hodie, tales fieri qualis ego sum.*"

IV. "Ut[x] simpliciter accipiatur hoc de omnibus hominibus, quantum in ipso est Deum velle eo quod omnes salvari velit bonitate Creatoris: sed, quia liberi arbitrii eos condidit, expectet, ut hoc etiam ipsi velint: et si voluerint, juste salventur; si noluerint, juste puniantur."[*]

In[y] tribus prioribus modis, et veram omnino et salubrem intelligentiam esse dicit: in quarto autem modo illud sine dubio cavendum (quia et occasionem Pelagianæ pravitati præbet), quod Deum, ut salvet homines, humanas expectare asserit voluntates. Contra quem errorem ita in antiquis patrum conciliis legitur definitum[z]. "Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem et operationem in nobis fieri, confitetur: resistit ipsi Spiritui Sancto, per Salomonem dicenti;

[r] Psal. 145. ver. 14.
[t] Rom. cap. 8. ver. 26.
[w] Act. cap. 26. ver. 29.
[y] Pag. 1059. H. et 1060. A. B.
[*] Pag. 1059. C. D.
[u] 1 Cor. cap. 7. ver. 7.
[x] Pag. 1059. D.
[z] Concil. Arausican. 2. canon. 4.

Digitized by Google

Præparatur[a] *voluntas a Domino:* et apostolo salubriter prædicanti; *Deus est, qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.*" "Quod autem" inquit "ibi simpliciter intelligitur, Deum omnes homines velle salvos fieri, bonitate scilicet Creatoris, ita, ut putamus, fideliter potest recipi, si hanc voluntatem bonitatis suæ erga salutem hominum non credatur, humana obsistente voluntate, implere non posse; sed, obsistente humana iniquitate, implere nolle. Quæ omnia cum tam obscura sint, et tam profunda atque perplexa: nollemus inter fratres et carissimos nostros aliquid de his contentiose ventilari vel temere definiri, sed potius quod in eis certum est sine dubitatione defendi; quod autem etiam inter magnos, diverso modo sed non diversa pietate sentientes, ambiguum atque incertum remansit, etiam apud nos et reverenter honorari, quia neutrum eorum videtur esse falsum vel fidei contrarium: et magis in talibus inquietos et contentiosos ad tranquillitatis et sobrietatis modestiam provocari, quam pro inusitatis et minus elucentibus rebus aliquem immoderata austeritate ac severitate damnari." Hæc de tertia Gotteschalci sententia, Remigius.

IV.

Quartam vero sententiam omnino veram esse defendit; et ad ejus confirmationem varia tum scripturarum tum patrum testimonia producit: sed magna tamen cum moderatione tandem in hunc modum concludit. "Quod[b] si inveniuntur aliqui patrum, qui etiam pro impiis in sua impietate permansuris Dominum crucifixum dicant: si hoc divinæ Scripturæ certissimis et clarissimis documentis probant; erunt ergo illa, quæ ex verbis Domini de hac re commemoravimus, aliter intelligenda. Quod est omnino mirum, vel potius incredibile, posse fieri. Si autem absque ullis Scripturæ, ut dictum est, non ambiguis, quæ et aliter intelligi possint, sed certis omnino testimoniis hoc dixisse

[a] Prov. cap. 8. ver. 35. (secundum LXX.) Philipp. cap. 2. ver. 13.
[b] Pag. 1063. C. D.

Digitized by Google

inveniuntur: quis non videat potiorem illam esse auctoritatem, quæ et tam evidenti ratione, et tam multiplici Scripturarum attestatione, firmatur? Si autem placet, sicut et nobis multum placet, ut etiam istorum sententia ex pietate veniens, propter pacem, et venerabilem pietatem beatissimorum patrum, non renuatur; nulla ergo contentione pro aliis adversus alios litigetur; non una sententia pro altera damnetur. Et quia vere fieri potest, ut ignorantiam et imperitiam nostram in hac re aliquid lateat, nihil temere definiatur; ut, quolibet quis adquiescat modo, non sit hæreticum, nisi contentione hæreticum fiat."

V.

De quinta sententia ait. "Non[c] solum mirabile et inauditum, sed sibi etiam videri incredibile, ut homo inter fideles et a fidelibus nutritus et eruditus, et in ecclesiasticorum patrum scriptis non parum exercitatus, hoc dicere vel sentire potuerit: quod, post primi hominis lapsum, nemo etiam fidelium ad bene agendum libero possit uti arbitrio, sed tantum ad male agendum; tanquam in nobis non sit liberum arbitrium nisi ad malum, ad bonum autem sola in nobis Dei gratia absque libero arbitrio operetur. Si enim dixisset generaliter, Nemo hominum, sine Dei gratia, libero bene uti potest arbitrio: esset catholicus sensus, et catholica omnino assertio. Cum autem dixisse arguatur, quod nemo nostrum, id est, fidelium, nisi tantummodo ad male agendum libero uti possit arbitrio: quid aliud tali dicto, et tali novitatis præsumptione asseritur, nisi quod humanæ mentis arbitrium, quod ante peccatum ad verum bonum amandum et desiderandum et fruendum erat liberum, ita primo homine peccante vitiatum sit et perierit, ut deinceps tantummodo ad malum remanserit in homine liberum arbitrium; ad bonum vero agendum sive habendum, nullum sit hominis liberum arbitrium, sed tantum divinæ gratiæ donum? Quod genus erroris, nec apud hæreticos, nec apud quenquam catholicorum, nos cognovisse vel audisse meminimus: ita ut etiam de isto hoc nobis, ut jam diximus, incredibile videa-

[c] Pag. 1063, et 1064.

Digitized by Google

tur. Sicut enim unus atque idem homo potest esse sanus, et ex sano qualibet intemperantia effici infirmus, et remedio salutari iterum fieri sanus: sic et liberum humanæ mentis arbitrium, quod prius erat sanum, factum est primo homine peccante infirmum, et quod erat salvum factum est perditum, et quod erat vivum factum est mortuum. Nec aliquis insidiosus et calumniosus objicere nobis conetur, quod ita dicamus liberum arbitrium per peccatum primi hominis perditum et mortuum, quasi naturam suam, in qua naturaliter habet insitam liberi arbitrii voluntatem, perdidisse intelligendus sit. Non enim perdidit naturam, sed bonum naturæ: non perdidit velle, sed perdidit bonum velle. Nec perdit anima naturam suam, cum moritur, in qua semper existit, ita et secundum quendam modum suum semper vivit: et tamen vere moritur, non abolitione substantiæ, sed amissione veræ vitæ suæ; quod illi Deus est. Et ideo prorsus ipsum liberum hominis arbitrium necesse habet requirente et inveniente, ut ex perdito fiat salvum; necesse habet suscitante et vivificante, ut ex mortuo fiat vivum; necesse habet etiam redimente, ut quod erat servituti obnoxium, possit effici liberum. Erat namque servituti obnoxium, quia peccato subjugatum, et *Omnis*[d] *qui facit peccatum servus est peccati.* A qua servitute fit liberum per eum qui dixit; *Si*[e] *vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis:* et per donum Spiritus Sancti, de quo apostolus ait; *Ubi*[f] *Spiritus Domini, ibi libertas.* Perdiderat itaque homo per primæ prævaricationis lapsum, et in eo omne genus humanum, veram arbitrii libertatem, qua antea liberum erat ad appetendum et habendum verum et divinum et æternum bonum. Nec hanc felicem et veram bonæ voluntatis libertatem ullo modo valet recipere; nisi per redemptionem Christi fiat liberum, et per gratiam Spiritus Sancti de servitute peccati in libertatem justitiæ transferatur. Ideo in infidelibus id ipsum liberum arbitrium, ita per Adam damnatum et perditum, in operibus

[d] Joh. cap. 8. ver. 34. [e] Ibid. ver. 36.
[f] 2 Cor. cap. 3. ver. 17.

Digitized by Google

mortuis liberum esse potest; in vivis non potest. Unde ante omnia necessaria est homini omni sanguinis Christi redemptio, per quam et emundetur ab operibus mortuis, et vivificetur ad serviendum Deo viventi. Quod commendans apostolus dicit: *Quanto*[g] *magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram, ad serviendum Deo viventi, ab operibus mortuis?* Vere enim mortua sunt omnia opera infidelium, non solum quando aperte vitiis et peccatis inserviunt, sed etiam quando in naturali bono (in quantum omnipotens Creator tribuit) instigati, vel naturali lege commoniti (quæ quotidie in cordibus eorum clamat; *Quod tibi non vis, alii ne feceris:* et, *Omnia*[h] *quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis*) quædam bona opera, et velut quasdam virtutes, habere atque exercere videntur. Quia fidem Dei et Christi ejus vel ignorantes, vel odio habentes, aut etiam persequentes, quod ex illa fide non operantur, omnino nec bonum opus, nec vera virtus esse potest, quæ non procedit ex radice veritatis et bonitatis. Dum enim illa ipsa, quæ secundum homines videntur esse bona opera, nequaquam vera fide ad Dominum referuntur quem ignorant; nec propter eum agunt; sed aut propter quandam honestatem qua inter homines magni videantur, vel propter cupiditatem alicujus commodi temporalis: ipsa impietate infidelitatis, ipsa inflatione elationis, ipsa perversitate cupiditatis, ita immunda et inquinata sunt omnia; ut apud Deum non virtutes sed vitia judicentur. Unde apostolus ait: *Inquinatis*[i] *autem et infidelibus nihil est mundum; sed inquinata sunt eorum et mens et conscientia.* Et iterum: *Omne*[k] *autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Et, *Sine*[l] *fide impossibile est placere Deo.* Fideles autem Christi sanguine redempti, et per lavacrum regenerationis et renovationis mundati; instaurata in se et quotidie instauranda arbitrii libertate,

[g] Heb. cap. 9. ver. 14.
[h] Matth. cap. 7. ver. 12.
[i] Tit. cap. 1. ver. 15.
[k] Rom. cap. 14. ver. 23.
[l] Hebr. cap 11. ver. 6.

Digitized by Google

eadem gratia per quam semel illuminati sunt cooperante et auxiliante, operantur bona: non ex seipsis neque ex viribus propriis, sed ex Illo cujus Spiritu aguntur. Quia, ut apostolus dicit, *Quicunque*[m] *spiritu Dei aguntur. hi filii sunt Dei.*"

[m] Rom. cap. 8. ver. 14.

Digitized by Google

CAP. IV.

Walafridi Strabi et Rabani Mauri de Gotteschalco diversa judicia: cum rebus in synodo Moguntina adversus eum gestis.

FINEM tandem peregrinationi suæ imponens Gotteschalcus[a], ex Italia in patriam demum rediit: ubi gratulatorio carmine a Walafrido Strabo, Augiæ divitis abbate, exceptus est. Quod ideo adscribendum duxi, quia longe aliis depingit hominem moribus, quam Hincmarus, acerrimus ipsius adversarius, eum nobis exhibuerat[b]. Inscriptum est autem:

Gotteschalco[c] monacho, qui et Fulgentius.

(quod nomen a familiari Strabo ea ratione illi videtur datum, qua Davidis[d] Carolo Magno, Damœtæ Riculpho Moguntino archiepiscopo, et Homeri Angelberto abbati, in Alcuini epistolis passim tributum cernimus.)

Velox Calliope, viam frequenta,
Qua Fulgentius invenitur: illum
Post cunabula longius meantem
Quæsisti, dubiam secuta famam.
Interdum vaga perstrepebat illum
Romana positum ferens in urbe;
Devoto extera cogitare corde
Gratis exiliis adire rura.
Tandem quære suo loco reductum,
Et dic Semper ave, valeque multum:
Cui quondam dederas honore nomen
Ductum, dirigit hic tibi salutem.

[a] Ann. DCCCXLVII. [b] Supr. cap. 2.

[c] Poem. Strabi, tomo 6. antiqu. lect. Henr. Canisii pag. 654.

[d] Sirmond. not. ad tom. 2. concil. Galliæ, pag. 682. de quo videndus quoque Browerus, antiquitat. Fuldens. lib. 1. in fine cap. 14.

Digitized by Google

Dulcia cum nostros sancti natalis amores
Jam propius tractis complerent gaudia votis ;
Addita sunt fasti fulgentia dona secundi,
Quod tua suspensis ingessit epistola nobis.
Ut requies lasso, sitienti ut dulcis aquæ fons,
Lac maternum agnis, pluvia ut squalentibus arvis,
Carcere constrictis ut lucis vena diurnæ :
Sic optata Palatinas mihi metra, tuapte
Scripta manu, nebulas vero pepulere nitore.
Sed quia lucifluo succedunt sæpe sereno
Nubila, non aliter turbant mea gaudia Cauri,
Dum tua scripta sonant, bene me te posse carere,
Ad faciem quantum : cum sit mihi testis in imo
Pectore spes ardens, a te me plurima velle
Lucrari, lucisque tuæ consortia ferre.
Te quoque sit certum multis testantibus, et me
Atque alios exemplorum verbique lucerna
Instruere, et sapidis infundere posse salivis.
Est aliud majore mihi mœrore gemendum ;
Quod cum vita tibi potior sit lege Lycurgi,
Solus in accepto recubes non prodigus auro,
Commissumque premant sudaria nexa talentum.
Atqui in pauperie passa est quam nostra juventus,
Non talem te, care, habui, minus atque benignum
Expertus non sum, fuerat quam cura petentum.
Cur modo divitias mordax testetur in amplis
Fama tuam miror celare peculia dextram ;
Quæ pater usuris clemens augenda reliquit.
Sol radios nec Luna suos cœco invidet orbi,
Imber in arva cadit subjecta, fluuntque volentes
More suo fluvii, partum[e] trahit aera mundus,
Gramina fert tellus, foliis et fructibus arbor
Sponte revestitur, lac manat ab ubere matrum :
Ipse Deus sine dat cunctis discrimine lucem,
Et pluvias, operisque sui jubet ire sequaces.
Quis mihi persuasit sacra munera corde tenaci,
Obstruere, auctori nisi qui contraria sentit ?
Quin potius monuit sancti quod pagina Pauli,
Servemus : Bona, quæ subsunt, operemur ad omnes,
Sed magis in sanctos, quos vita domestica nutrit.
Ergo pater fraterque, meæ pars unica mentis,
Noluerim mea dicta putes lacerare volentis,
Sed tua nolentis reticere pericula ; si quid
Mens mea scit, poteritque fidem servare fideli ;
Non tibi talis ero, qualem meminere Philippum
Fraude in amicitiæ per prisca volumina fasti.
Sis mihi quam merui longe, rogo, major amicus :

[e] forte *purum*.

Digitized by Google

Quantus sum tibi, tantus ero; rescribe per istum
Pacis amatorem nostræ, fidumque sequestrum:
Proque rogante ora, ne, turbine raptus iniquo,
Non meminisse tui queat; hinc in sæcla valeto.

Verum non eadem fronte a Rabano Mauro, qua a discipulo ipsius Walafrido Strabo, exceptum se sensit Gotteschalcus. Scripta enim ad Eberhardum comitem (e principibus, ut[f] videtur, Lotharii unum) epistola Gotteschalcum, tacito licet nomine, ita perstrinxit ille. "Divulgatum[g] in his partibus constat, quendam sciolum apud vos manere, qui dogmatizet, quod prædestinatio Dei omnem hominem ita constringat, ut etiamsi quis velit salvus fieri, et pro hoc fide recta atque bonis operibus certet, ut ad vitam æternam per Dei gratiam veniat, frustra et incassum laboret, si non est prædestinatus ad vitam: quasi Deus prædestinatione sua cogat hominem interire, qui autor est salutis nostræ, non perditionis. Et jam hinc multos in desperationem suimet hæc secta perduxit, ita ut dicant: Quid mihi necesse est pro salute mea et vita æterna laborare? quia, si bonum fecero, et prædestinatus ad vitam non sum, nihil mihi prodest: si autem malum egero, nihil mihi obest; quia prædestinatio Dei me facit ad vitam æternam pervenire. Hæc traditio multis, in istis partibus, scandalum est; et prædicatoribus evangelii homines inobedientes facit, quia jam desperantes de semetipsis eos reddidit. Dicitur enim ipse doctor vester multa testimonia excerpsisse de opusculis beatissimi et doctissimi patris Augustini, quibus nititur suam sententiam affirmare: cum memoratus pater et doctor catholicus, contra Pelagianos scribens, qui gratiæ Dei contrarii prædicatores fuerant, defensor ejusdem gratiæ, non destructor rectæ fidei, fuerit."

Gotteschalcus tamen, nihil ab incepto suo deterritus, in Moguntina civitate habita synodo, et ipsi Rabano archiepiscopo libellum professionis suæ porrexit: ut refert Hincmarus in epistola ad Nicolaum I. papam, et capite

[f] Flodoard. hist. Rem. lib. 3. cap. 26. init.
[g] Apud Magdeburg. centur. 9. cap. 5. col. 225.

Digitized by Google

secundo posterioris operis ad Karolum regem adversus eundem Gotteschalcum scripti. Tres vero sub Rabano Moguntinas synodos habitas fuisse constat. Primam, circa Kalendas Octobres anni octingentesimi quadragesimi septimi. Secundam, sequente anno, circa easdem Kalendas. Tertiam, anno octingentesimo quinquagesimo secundo: indictione Romanorum quinta-decima; ut notat in libro vitæ Rabani tertio Johannes Trithemius. In prima, causam Gotteschalci fuisse agitatam, innuit ibi Trithemius: primam illam, ut videtur, cum secunda confundens. Nam in actis primæ nihil occurrit, quod ad causam Gotteschalci spectat; nisi quis cum Severino Binio eo referenda putet, quæ in fine synodi illius legimus. "Multa quidem alia per diversas quæstiones coram nobis allata sunt: sed pro brevitate temporis in præsenti concilio omnibus respondere, et ea absolvere non potuimus." Sed quænam istæ quæstiones fuerint, non magis scimus, quam quæ illæ, de quibus in tertia synodo actum: ubi episcopos de absolvendis quæstionibus tractatum habuisse, narrant veteres annales Fuldenses a Pithæo et Frehero editi.

Rectius igitur in Hirsaugiensi chronico idem Trithemius, cum aliis, ad secundam synodum[h] damnationem Gotteschalci retulit: ita de illa scribens. "Rabanus archiepiscopus Moguntinus, jussu Lotharii imperatoris (vel potius fratris ipsius, Ludovici regis Germaniæ) synodum apud Moguntiam episcoporum et abbatum convocavit, anno Domini octingentesimo quadragesimo octavo: indictione undecima (Romanorum puta; ut in tertiæ synodi tempore locutus est idem. Alias enim indictio imperatoria, ut appellant, cœpta tum est duodecima): in qua hæreticum quendam, nomine Godschalcum, presbyterum condemnavit; et multa ad decorem et utilitatem ecclesiasticam constituit. Fuerunt inter alios ibi præsentes celeberrimi viri episcopi, Helti archiepiscopus Trevirensis, Hildeboldus archiepiscopus Coloniensis, Altfridus episcopus Hildes-

[h] Ann. DCCCXLVIII.

Digitized by Google

heimensis, Haymo episcopus Halberstatensis, Ludericus episcopus Bremensis, Lintbertus primus abbas S. Aurelii Hirsaugiensis, Waldo abbas Fuldensis, Emhardus abbas Selgenstetensis (ille qui Karoli Magni vitam scripsit), Brunwart abbas Hirsfeldensis, Bertolphus abbas[i] Mediolacensis, Adventitius abbas Metensis (postea ibidem episcopus), Radulphus abbas S. Medardi Suessionensis (postea Bituricensis archiepiscopus), et alii multi episcopi, abbates et monachi, inter quos complures erant vita et doctrina famosissimi."

Duos vero imprimis celebrat, qui in synodo cum Gotteschalco sunt congressi, Lupum Servatum presbyterum (quem cum Lupo Theanensi episcopo Magdeburgenses perperam confundunt), et ipsum Rabanum archiepiscopum. De priore, in jam dicto chronico, ad annum octingentesimum quinquagesimum primum ita scribit. "Lupus Servatus presbyter, vir doctissimus, ad quem Rabanus adhuc abbas scripsit olim octo libros in epistolam Pauli ad Romanos, migravit ad Dominum. Is ante biennium præsens in synodo Moguntinensi presbyterum illum Godschalcum de libero arbitrio, prædestinatione, et sanguine Christi, male sentientem ac multos conturbantem, fortissima disputatione, coram omnibus qui aderant, manifeste vicit et confutavit. Qui etiam, ad evidentiorem declarationem veritatis, inter alia quæ scripsit, de his quoque rebus tractatum pulcherrimum composuit." Cujus tractatus ita meminit et Sigebertus Gemblacensis, de viris illustribus capite nonagesimo quarto. "Lupus Servatus librum composuit de tribus quæstionibus, id est, de libero arbitrio, de prædestinatione bonorum et malorum, de sanguinis Christi quadam superflua taxatione vel redemptione, usque ad salutem impiorum. Nam super hac re orta est quædam fidei turbatio anno Domini octingentesimo quadragesimo nono." Ad hunc enim annum synodum Moguntinam in chronico retulit Sigebertus: quam anno octingentesimo quadragesimo octavo, fuisse habitam, annales Fuldenses, Lambertus As-

[i] Mithlach, in episcopatu Trevirensi.

Digitized by Google

chaffenburgensis, Hermannus Contractus, Lupoldus[k] Babenbergensis, et alii rectius tradiderunt.

De tertia vero quæstione, quæ obscurius a Sigeberto est proposita, quid senserit Gotteschalcus; ex scriptis ipsius plenius exprimit Hincmarus[l]. Exponens enim locum illum 2. Petri capite secundo, versu primo, "Eum qui emit eos Dominum negantes;" ita inquit, "Baptismi sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subiit, neque mortem pertulit, neque sanguinem fudit. Quod autem baptismi perceptio redemptio nuncupatur, doctor gentium manifeste fatetur: *Nolite*[m] *contristare*, inquit, *Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.* At illa, quæ propria et specialis est solorum omnium electorum, quam eis tantummodo crucifixus impertivit pius redemptor ipsorum; sicut a præteritis, ita nimirum a præsentibus, natos et nascituros, vivos et mortuos, videlicet omnes pariter electos redemit, eruit, abluitque peccatis. Ipsi prorsus, ipsi sunt mundus, pro quo passus est Dominus, ut ipse dixit: *Panis*[n], *quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita.*" Item alibi idem Gotteschalcus scribit: "Absit procul a me, ut vel illud solummodo velim somniare, nedum semel susurrare, ut ullum eorum perpetualiter secum periturum antiquus rapere valeat anguis, pro quibus redimendis tam pretiosus Deo Patri, Domini nostri Filii sui fusus est sanguis: Amen." Et loquens ad Deum: "Claret itaque satis aperte, quod nullus tibi perit, quisquis redemptus est per sanguinem crucis tuæ."

De Rabani autem cum Gotteschalco conflictu, in tertio vitæ ipsius libro, ita scribit Trithemius. "Gotteschalcus presbyter quidam, natione Gallus, ex Remorum diœcesi adveniens, de prædestinatione Dei novum et perniciosum seminabat errorem. Dicebat enim tam bonos ad vitam æternæ felicitatis, quam malos ad mortem perpetuam inevitabiliter a Deo prædestinatos esse: et nec illis nocere si peccent, nec malis et præscitis prodesse, si ad melioris vitæ propositum convertantur, eo quod providentia Dei

[k] Lupold. de zelo veterum principium Germanorum. cap. 10.
[l] Hincmar. epist. ad Nicolaum I. apud Flodoard. lib. 3. cap. 14.
[m] Ephes. cap. 4. ver. 30. [n] Joh. cap. 6. ver. 51.

Digitized by Google

omnino sit infallibilis. Contra quem beatissimus archipræsul Rabanus, campum disputationis latum ingressus, tam scripturarum auctoritate, quam evidentia rationis, eum coram omnibus, Deo auxiliante, superavit; et vi argumentationis usque adeo reddidit mutum, quod nihil pro sua opinione amplius potuit inferre. Benedictus per omnia Deus, qui perniciosissimum dogma erroris, per os famuli sui Rabani, confutavit. Rationabiliter itaque a sancto Rabano convictus, superatus, et confusus in conspectu episcoporum, abbatum, et cæterorum omnium qui fuere præsentes, correctionem assumpsit, erroremque suum publice revocavit. De sententia vero synodi sanctæ ad episcopum proprium Hingmarum Remis transmissus est; dato prius juramento confirmationis, ne in regnum Ludovici, hoc est, Germanicum amplius rediret."

In qua narratione, illud primum observandum est; ad Gotteschalci existimationem minuendam attribui illi, non quæ ipse diserte docuit, sed quæ aliorum opinione videbantur ex ipsius doctrina esse consectaria. Quænam enim illius genuina de prædestinatione fuerit sententia, confessio ipsius duplex satis ostendit, quam nunc primum in lucem edimus. Deinde, a veritate illud esse maxime alienum, quod ad rem a Rabano gestam amplificandam subjungit Trithemius; Gotteschalcum, ab eo convictum, errorem suum publice revocavisse. Nam in synodo incorrigibilem eum esse repertum, in epistola synodali ad Hincmarum scripta affirmat Rabanus ipse. Quin et librum contra Rabanum scripsisse illum, Hincmarus narrat. " Alterum autem librum" inquit ille, in libro de prædestinatione, adversus Gotteschalcum edito " scripsit contra Rabanum (venerabilem archiepiscopum, etiam zelosum in sancta religione patrem, et catholicum scriptorem; ut videlicet ab orthodoxo et magno doctore domino Alcuino in sanctæ Ecclesiæ utilitatibus, uberibus ipsius, catholico lacte nutritum) de doctrinæ prato sanctorum auctorum floribus collectum, et confectum: quos flores, catholice a catholicis dictos, aut mutilavit, aut corrupit." Accedat et Sigeberti Gemblacensis testimonium, in chronico suo ad annum Domini octingentesimum quadragesimum nonum ita scribentis.

Digitized by Google

"Godescalcus hæreticus a Rabano archiepiscopo rationabiliter, ut MULTIS visum est, convincitur: sed tamen in suo perseveravit errore." Ubi recte multorum hoc fuisse judicium dixit, non omnium, neque etiam plurimorum: quo verbo usus est, quem ille quum ista scripsit præ oculis habebat, Fuldensium annalium author; sive Ermenoldus is fuerit, sive quis alius. Quod ut in Germania, in qua author ille scripsit, vel Moguntinæ synodi patribus, ad quorum sententiam is videtur respexisse, verum fuisse demus, in Gallia tamen sequens historia omnia exhibebit hic pene paria; episcopos episcopis, synodos oppositas synodis,

——— infestisque obvia signis
Signa; pares aquilas, et pila minantia pilis.

Verba Fuldensium illorum annalium, a Pithæo et Frehero editorum, in anni octingentesimi quadragesimi octavi historia, ista sunt. "Gotescalcus quidam presbyter, de prædestinatione Dei prave sentiens, et tam bonos ad vitam, quam malos ad mortem perpetuam inevitabiliter a Deo prædestinatos esse affirmans, in conventu episcoporum rationabiliter, ut PLURIMIS visum est, convictus, et ad proprium episcopum Ingumarum Remis transmissus est: prius tamen juramento confirmans, ne in regnum Hludouvici ultra rediret." Est autem Ingumarus non alius quam Hincmarus: qui ipse in epistola ad Nicolaum I. hujus rei ita meminit "Damnatus ab omnibus Germaniæ episcopis, cum literis synodalibus ad metropolim Remorum (cui jam, auctore Domino, præeram) est remissus." Quarum° literarum exemplar ita se habet.

"*Reverentissimo fratri et consacerdoti Hincmaro archiepiscopo, Rabanus servus Christi, et servorum ejus in Domino, salutem.*

NOTUM sit dilectioni vestræ, quod quidam gyrovagus monachus, nomine Gothescalc, qui se asserit sacerdotem in vestra parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Mo-

° Concil. Gall. tom. 3. pag. 66, 67.

Digitized by Google

guntiam, novas superstitiones, et noxiam doctrinam de prædestinatione Dei introducens, et populos in errorem mittens, dicens, quod prædestinatio Dei sicut in bono sit ita et in malo: et tales sunt in hoc mundo quidam, qui, propter prædestinationem Dei quæ eos cogat in mortem ire, non possint ab errore et peccato se corrigere; quasi Deus eos fecisset ab initio incorrigibiles esse, et pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in synodo apud Moguntiam habita ab eo audientes, et incorrigibilem eum reperientes, annuente atque jubente piissimo rege nostro Hludouvico, decrevimus eum cum perniciosa sua doctrina damnatum mittere ad vos: quatenus eum recludatis in vestra parochia, unde primum inordinate recessit; et non sinatis eum amplius errorem docere, et seducere populum Christianum. Quia jam multos, ut audivi, seductos habet, et minus devotos erga suam salutem, qui dicunt; Quid mihi proderit laborare in servitio Dei? quia, si prædestinatus sum ad mortem, numquam illam evadam: si autem male egero, et prædestinatus sum ad vitam, sine ulla dubitatione ad æternam requiem vado. Hæc ergo paucis vobis scripsimus, intimantes qualem ejus doctrinam reperimus. Vos etiam valebitis de ore ejus quod sentit plenius audire, et quid inde agendum sit, juste decernere. Dominus omnipotens sanctitatem vestram bene valentem, et pro nobis orantem, in æternum conservare dignetur."

Digitized by Google

CAP. V.

Rabani de prædestinatione et libero arbitrio scripta varia: cum Remigii Lugdunensis episcopi in doctrinam hac de re ab eo traditam censura.

PRÆTER hanc brevem, alteram prolixiorem Rabani, ad Hincmarum eumdem epistolam in manuscripto codice Laudunensi haberi notat Sirmondus[a]: hoc initio. "Proximo vere, hoc est, Martio mense," &c. ubi, prolatis adversus Gotteschalci sententiam argumentis, Hincmarum demum admonet, ut illum nec scribendo, nec loquendo, cuiquam ultra nocere permittat. Hilduinum[b] quoque, Karoli regis archicapellanum, cujus habemus Areopagitica, in quæstione sua cum Gotteschalco idem Rabanus consuluit. Ad Humbertum episcopum etiam scripsit epistolam: in qua decreti divini firmitatem humani arbitrii libertati non satis circumspecte subjicit. "Omnium[c] (inquit) dies in prædestinatione Dei noscuntur esse definiti; sed illis dimidiabuntur dies sui, quibus contra dispositum proprium provenire monstratur occasus. Ideo enim additum est, Suos; ut voluntarios intelligeres, non a Deo constitutos. Et[d], ut liberum significaret arbitrium, dicit se et mala annunciare genti, et regno illi vel illi, et rursum bona: nec tamen hoc venire, quod ipse prædixerit; sed e contrario fieri, ut et bona malis veniant, si egerint pœnitentiam, et bonis mala, si post repromissiones fuerint ad peccata conversi."

Refert etiam in Rabani vita discipulus ipsius Rudolphus[e] Fuldensis presbyter, scripsisse eum ad "Notingum

[a] In tom. 2. concil. Galliæ, pag. 680.
[b] Magdeburg. cent. 9. col. 547.
[c] Ibid. cent. 9. col. 91. [d] Ibid. col. 207.
[e] Tom. 1. oper. Raban. edit. Colon. ann. 1627. pag. 9.

Digitized by Google

episcopum Veronensem de præscientia ac prædestinatione Dei, de gratia et libero arbitrio, librum unum; in quo, quid recte sentiendum esset, ostenderit." Qui videtur liber illius de prædestinatione esse, quam in Sarisburiensi bibliotheca suo tempore extitisse, in scriptorum catalogo notat Bostonus Buriensis: aut, quod ego mihi persuadeo, tertia[f] illa epistola, quam a venerabili episcopo ad alium quendam episcopum scriptum esse affirmat Remigius Lugdunensis archiepiscopus: in qua, " quid de hac re illi tenendum sive docendum esset, sicut ei visum est, exposuit et definivit. Unde et quia ipse (inquit Remigius) ante omnes qui moderno tempore scripsisse referuntur, de hac re scripsit; ejus sibi auctoritatem sequi videntur, qui similiter de eadem divina prædestinatione sentiunt et defendunt. Totum vero disputationis suæ sermonem ad hoc dirigit, quod Deus bonus et justus nunquam alicui esse potuerit causa vel origo vel auctor peccati et iniquitatis; (quod omnes fideles fideliter et indubitanter fatentur:) nullum tamen esse divinam prædestinationem erga justam damnationem eorundem impiorum et iniquorum, et tantummodo in parte electorum esse credendam, hisce verbis ex libello Hypomnesticῶn (libro videlicet sexto Hypognosticῶn, qui in fine decimi tomi operum Augustini extat) desumptis, docere nititur."

" Prius[g] ergo ipsum nomen prædestinationis quid indicet, exponamus: deinde esse apud Deum, qui sine acceptione personarum est, prædestinationem, divinarum scripturarum auctoritate probemus. Prædestinatio quippe a prævidendo, et præveniendo vel præordinando, futurum aliquid dicitur. Et ideo Deus, cui præscientia non accidens est, sed essentia fuit semper et est, omne quod antequam sit præscit, prædestinat; et propterea prædestinat, quia quale futurum sit præscit. Et ideo apostolus: *Nam*[h] *quos præscivit*, inquit, *et prædestinavit*, Sed non omne quod præscit, prædestinat; mala enim tantum præscit, et non prædestinat. Quod ergo bonum est præscientia prædestinat, id est, pri-

[f] Eccles. Lugdunens. de trib. epistolis pag. 1053. E. et 1073. B, C.
[g] Ibid. pag. 1075. B, C. [h] Rom. cap. 8. ver. 29.

Digitized by Google

usquam sit in re præordinat. Hoc cum ipso authore esse cœperit, vocat, ordinat, et disponit. Unde et sequitur: *Quos*[i] *prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, illos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.*" Jam igitur apertius disseramus quod loquimur, quomodo erga humanum genus præscientia sua et prædestinatione Deus, in quo non est iniquitas, utatur. Massæ itaque humani generis, quæ in Adam et Evæ prævaricatione damnabilis mortalisque facta est, non conditione divina generaliter, sed ex debito pœna cruciatusque gehennæ debetur: venia vero non merito, sed Dei justi judicis misericordiæ largitate confertur. Quia vero justus et misericors Deus præsciusque est futurorum, ex hac damnabili massa, non personarum acceptione sed judicio æquitatis suæ irreprehensibili, quos præscit misericordia sua gratuita præparat, id est, prædestinat ad vitam æternam: cæteros autem, ut prædixi, debite punit; quos ideo punit, quia quid essent futuri præscivit: non tamen puniendos ipse fecit vel prædestinavit, sed tantum, ut dixi, in damnabili massa præscivit. Quod si a me quæris scire, cur duo ista differenter Deus faciat, si personarum acceptor non est; quia generaliter, aut punire debet justitia, aut misericordia liberare: contende cum Paulo, imo, si audes, argue Paulum, qui dixit, Christo in se loquente; *O*[k] *homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Ut quid me sic fecisti? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Ego autem hoc dico quod dixi, quia quicquid Deus agit, misericorditer, juste sancteque facit: quia solus ipse præsciendo scit, quod homo nesciendo nescit. *Quis*[l] *enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* aut quis dicit ei, Quid fecisti? Non potest tantum justus dici Deus, aut solum misericors; sed justus et misericors. Sic dicimus, sic credimus. Propterea quando illi cum

[i] Rom. cap. 8. ver. 30.
[k] Ibid. cap. 9. ver. 20, 21.
[l] Ibid. cap. 11. ver. 34, 35.

Digitized by Google

David misericordiam et judicium cantamus, [cantamus] metuentes: non interrogamus quæ sit voluntas ejus de judicio et misericordia conquirentes." Hæc ille; alieni authoris verba, tanquam sua usurpans; quod Rabano familiare fuisse Guilielmus Malmesburiensis animadvertit. "Fuit[m] enim vir ille, (inquit) huic vitio peculiariter assiduus; quasi prorsus desperaret lectores suos memoriam non habere, qui possent ejus furta deprehendere."

Post hæc subjecit author epistolæ prolixam et piam exhortationem: qua omnes fideles, omissis ejuscemodi obscuris et difficillimis quæstionibus, ad bene vivendum, et bene agendum fideliter et salubriter cohortatur; ex divinis scripturis ad hanc rem pertinentes sententias multas et multipliciter sumens. Quia vero in reliqua epistola de præsente quæstione multa incommode sunt ab eo dicta, ac primus, ut audivimus, hic fuit qui huic controversiæ componendæ manum admovit, ejusque authoritatem errori suo prætendebant alii: placet ex principio et fine epistolæ nonnulla transcribere, eisque Remigii Lugdunensis Ecclesiæ archiepiscopi censuram subjungere.

RABANUS.

De hæresi[n] quam quidam de predestinatione Dei inique condunt, errantes et alios in errorem mittentes, convenit inter nos ut de divinis scripturis et de orthodoxorum patrum sententiis aliquod opusculum conficerem:

REMIGIUS.

Hæresim et hæreticos non nominat, qui de divina prædestinatione ita sapiunt, ut juxta auctoritatem scripturarum et sanctorum patrum eam in utramque partem, et electorum scilicet et reproborum, fideliter credant: ut et illos omnipotens Deus magna bonitate sua æternaliter prædes-

[m] Guil. Malmesbur. præfat. in abbreviationem Amalarii, MS. in bibliotheca collegii Benedict. Cantabrigiæ, et Omnium Animarum Oxon.

[n] Ex principio epistolæ.

Digitized by Google

tinaverit ad gloriam; et istos magna æquitate judicii sui prædestinaverit ad pœnam. Et ideo prorsus est admonendus, et ad pietatis revocandus considerationem; ne sub istorum persona, quos tam facile hæreticos vocat, sanctos potius et venerabiles patres, qui ita docuerunt et definierunt, damnare inveniatur.

RABANUS.

Ad convincendum errorem eorum, qui de Deo bono et justo tam nequiter sentiunt, ut dicant ejus prædestinationem facere, quod nec homo ad vitam prædestinatus possit in mortem incidere; nec ad mortem prædestinatus, ullo modo se possit ad vitam recuperare. Cum auctor omnium rerum et conditor Deus naturarum nullius ruinæ atque interitus causa sit, sed multorum origo salutis.

REMIGIUS.

Manifestum est nullo modo esse mendacium, sed certissimam veritatem quam omnes fideles credunt et confitentur: quod bonitas et gratia divinæ prædestinationis faciat, ut ex his, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, nemo possit incidere in mortem æternam. Hanc enim perseverantiæ stabilitatem, et firmitatem in bono, ab eo acceperunt, qui rogavit et rogat pro eis ne deficiat fides ipsorum: sicut ipse ad beatum Petrum dicit; "Ego[o] autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua." Et alio loco evangelii de eisdem electis suis dicit; "Et[p] ego vitam æternam do eis; et non peribunt in æternum." Quod autem eadem divina prædestinatio hoc in reprobos agat, ut, se ad Deum convertendo et in melius commutando, nemo eorum possit se ad vitam recuperare; quasi omnipotens Deus (quod absit) sua prædestinatione eis imposuerit necessitatem male agendi, et in suis malis perseverandi: hoc omnino nullus fidelium dicit; quia auctorem operum et meritorum malorum Deum esse non credit. Quod enim impius et iniquus mala sua corrigendo, et divinam miseri-

[o] Luc. cap. 22. ver. 32. [p] Joh. cap. 10. ver. 28.

Digitized by Google

cordiam implorando, recuperare se possit ad vitam, testatur ipse Dominus per prophetam dicens: "Quod[q] si averterit se impius ab impietate sua, et fecerit judicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit." Similiter et in eo quod addidit, quia "Deus nullius ruinæ atque interitus causa sit;" nullus omnino fidelium contradicit: quia nemo Deum auctorem ruinæ et perditionis impiorum, sed tantummodo justæ eorum damnationis et punitionis auctorem credit.

RABANUS.

Ita ut quidam eorum perditionis suæ Conditorem suum asserant auctorem: dicentes, quod sicut hi qui præscientia Dei ac prædestinatione convocati sunt ad percipiendam gloriam æternæ vitæ; ita et illi, qui ad æternum interitum vadunt, prædestinatione Dei cogantur non posse evadere interitum.

REMIGIUS.

Quod utique nemo dicit. Quia omnes impii et iniqui, pro suis impietatibus et iniquitatibus juste pereuntes, non habent Deum auctorem perditionis suæ, quia ipsi suo merito perierunt, sed tantummodo auctorem pœnæ et damnationis, quam juste exceperunt. Ita et quod ait, illos quos putat hæreticos dicere, quia illi, qui ad æternum interitum vadunt, prædestinatione Dei cogantur non posse evadere interitum: nemo omnium dicit. Quia quod impii ad interitum vadunt, proprium ipsorum est vitium, non divinæ prædestinationis præjudicium: nec eadem Dei prædestinatione coguntur non posse evadere; sed sua perseverantissima iniquitate, quam relinquere noluerunt, merito coguntur perire.

RABANUS.

Quia nullo modo Ille, qui cuncta bona creavit, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum, atque vult omnes

[q] Ezech. cap. 18. ver. 27.

Digitized by Google

homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, aliquem cogit interire.

REMIGIUS.

Et hoc omnino verum est: quia nemini Deus imponit necessitatem pereundi, sicut nemini imponit necessitatem male agendi. Unusquisque enim sibi auctor est iniquitatis suæ, auctor est perditionis suæ: et Deum, quem non habet auctorem culpæ suæ, habet auctorem justissimæ pœnæ suæ.

RABANUS.

Si enim, secundum ipsos qui talia sentiunt, Dei prædestinatio invitum hominem facit peccare: quomodo justo judicio Deus damnat peccantem; cum ille non voluntate, sed necessitate peccaverit?

REMIGIUS.

Nemo ita sentit aut dicit, quod Dei prædestinatio aliquem invitum faciat peccare; ut jam non propriæ voluntatis perversitate, sed divinæ prædestinationis necessitate peccare videatur. Sed hoc agit divina prædestinatio; ut qui volens peccat, et volens in peccatis suis perseverat, nolens justo judicio puniatur.

RABANUS.

Prædestinationis autem fides, firmissima sanctarum auctoritate scripturarum munita est: cui nullo modo fas est ea, quæ ab hominibus male aguntur, adscribi.

REMIGIUS.

Et hoc nemo fidelium facit. Nemo enim per prædestinationis divinæ erga reprobos veritatem, adscribit et deputat Deo male agentium iniquitatem; sed tantummodo eorumdem reproborum et eorumdem male agentium justam damnationem.

Digitized by Google

RABANUS.

Multiplici[r] ergo reatu iste constringitur, qui prædestinationis bonum in pravum sensum convertens, nefandis sermonibus blasphemare præsumit.

Primo, quod Creatorem suum, qui est summe bonus, malivolum ausus est dicere, eo quod opus suum frustra et sine causa decernat interire.

REMIGIUS.

Nemo Creatorem suum summe bonum malivolum dicit, quod absit!, quasi malæ voluntatis sit erga creaturam suam; quia semper ejus voluntas bona est bonis: quæ, etsi mala videtur malis, semper tamen justa est; et ideo mala esse non potest. Unde et Scriptura ad eum dicit: "Cum[s] sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris." De quibus verbis B. Augustinus tractans: "Est," inquit, "occulta profunditas qua intelligeris cum sancto sanctus, quia tu sanctificas: et cum viro innocente innocens, quia nulli noces; sed criniculis peccatorum suorum unusquisque constringitur: et ab eo quem eligis eligeris, et cum perverso videris perversus, quoniam dicunt, Non est recta via Domini, et ipsorum non est recta via." Nec frustra et sine causa ille opus suum decernit interire; sed quos verissime præscivit impios et iniquos futuros, et in sua impietate et iniquitate permansuros, justis et rectissimis de causis decrevit et statuit et prædestinavit perituros; sicut ipse ait; "Qui[t] peccaverit mihi, delebo eum de libro meo."

RABANUS.

Secundo, quod ipsam veritatem fallacem nititur asserere: quæ per Scripturas sacras recte credentibus et bene operantibus æternæ vitæ spondet præmia; et peccantibus atque non pœnitentibus mortis prædicit pœnas.

[r] Ex fine epistolæ.
[s] Psal. 18. ver. 26, 27.
[t] Exod. cap. 32. ver. 33.

Digitized by Google

REMIGIUS.

Nec qui prædestinationem divinam in utramque partem, id est, et electorum et reproborum fideliter credit et confitetur, ipsam veritatem fallacem nititur ostendere; sed omnino veracem et fidelem in omnibus verbis suis, et sanctam in omnibus operibus suis. Quia electis, sicut prædestinavit, æternæ vitæ præmia spondet et reddit: et e contrario reprobis peccantibus nec pœnitentibus, sicut prædestinavit, justo suo judicio æternas retribuit pœnas.

RABANUS.

Tertio, quod justum judicem, qui in æquitate judicaturus est vivos ac mortuos, prædicat in justum; quando bene agentibus præmia, et male agentibus tormenta, eum non reddere affirmat.

REMIGIUS.

Nec justum judicem ista divinæ prædestinationis veritas velut injustum prædicat: quia secundum eam et bene agentibus, atque in bono perseverantibus, præmia restituuntur; et male agentibus, atque in malo permanentibus, juste tormenta inferuntur.

RABANUS.

Quarto, quod Redemptorem mundi frustra sanguinem suum fudisse non timet per errorem suum fingere; quando in se credentibus et sperantibus propter prædestinationis necessitatem non possit subvenire.

REMIGIUS.

Nec Redemptorem mundi aliqua prædestinationis suæ necessitas compellit, ut per gloriosum sanguinis sui pretium in se credentibus et sperantibus subvenire non possit. Quia et omnibus electis suis illo pretio in æternum subvenit; et quod reprobis non subvenit, ipsi per impietatem et iniquitatem suam pretium ejus repellunt:

Digitized by Google

quos etsi potest ille servare, vult tamen aliquos ad ostendendum terrorem [et] severitatem sua justa ultione damnare.

RABANUS.

Quinto, quod invidet bonis angelis eorum numerum, quem diabolus per superbiam corruens minuit, Salvatorem nostrum per hominum conditionem adimplere.

REMIGIUS.

Nec invidet eadem divinæ prædestinationis severitas bonis angelis; ne, propter multitudinem reproborum quotidie pereuntium, non possit adimpleri et instaurari eorum numerus, qui per ruinam diaboli et angelorum ejus est imminutus. Quia certissime novit fides fidelium, tantos illuc electos ex humano genere ascensuros, quantos illic constat electos angelos remansisse: testante Scriptura, quæ dicit; "Statuit[u] terminos gentium, juxta numerum angelorum Dei."

RABANUS.

Sexto, quod magis favet sua opinione diabolo quam Deo: cum ad ejus perditionis sortem tradit eos pertinere, quos divina gratia decrevit ad salutem æternam pertingere.

REMIGIUS.

Nec magis favet hæc prædestinatio diabolo quam Deo: quia et diabolum quotidie compellit amittere quos divina gratia eadem prædestinatione decrevit ad salutem æternam pertingere; et omnino nullum ex electis Dei ad ipsius diaboli sortem posse pertinere confirmat.

RABANUS.

Septimo, quod totius humani generis inimicus sit manifestus; cum eum dicit per Christi fidem, et baptismi sacramentum, a primi parentis lapsu propriorumque scelerum

[u] Deut. cap. 32. ver. 8. in lxx.

Digitized by Google

reatu, nec non et ab hostium potestate non posse erui; sed obligatum noxia opificis sui prædestinatione in tartarum demergi.

REMIGIUS.

Nec compellit aliquem hujus prædestinationis fides, quasi per fidem Christi et sacramentum baptismi, a primi parentis lapsu, et a suorum scelerum reatu sive hostium potestate non posse erui: sed verissime præstat omnibus electis, ut sint "agentes[w] semper gratias Deo et Patri, qui dignos eos fecit in partem sortis sanctorum in lumine; qui eripuit illos de potestate tenebrarum; et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ." Nec reprobis noxia est opificis sui, id est, Dei prædestinatio; quæ perseverantem et indomabilem iniquitatem ipsorum justissime punit; cujus mole et gravissimo onere oppressi demerguntur in tartarum, descendentes in profundum tanquam lapis, et summersi quasi plumbum in aquis vehementibus. Quod etiam liber Apocalypsis de tota civitate hujus seculi, id est, universa multitudine damnatorum terribiliter, extremo judicio, futurum significat et denunciat, dicens: "Et[x] sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon, magna illa civitas, et ultra jam non invenietur."

Quæ cum ita sint; deposita omni contentionis animositate, deposita novitatum præsumptione, agnoscamus fideliter divinam veritatem, sequamur obedienter paternam auctoritatem. Caveamus vigilanter erroris et mendacii fallacissimam vanitatem: servantes, Deo auxiliante, semel depositum nobis veræ fidei inviolatum thesaurum; et fugientes profanas vocum novitates, atque oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.

[w] Coloss. cap. 1. ver. 12, 13. [x] Apoc. cap. 18. ver. 21.

Digitized by Google

CAP. VI.

Synodi Carisiacæ adversus Gotteschalcum acta: cum Remigii Lugdunensis in eadem censura.

ACCEPTA synodali epistola Rabani, Hincmarum ad eum rescripisse narrat Flodoardus[a], "super Gothescalci (quem idem pontifex a parochia sua ob hæresum semina, quæ spargebat, repulsum, ad eundem cum quibusdam complicibus ipsius direxerat) susceptione vel discussione;" atque iterum, "de hac eadem re, et quid post susceptionem ipsius de eodem egerit, qualemve invenerit ipsius vesaniam, consilium ab eo rationabilius, quid sibi adversus eum agendum esset, expetentem." Scripsit et ipsi Gotteschalco, "de quibusdam sententiis auctorum, quas non bene," inquit[b] Flodoardus, "intelligebat vel exponebat, maxime PROSPERI: quarum sensum per sententias præcipue beati Augustini exponit, et cæteros idoneos proponit testes apostolicæ fidei doctores; quorum sequendam in omnibus admonet esse doctrinam, ostenditque testimoniis manifestis, Deum et bona præscire et mala; sed mala tantum præscire, bona vero et præscire et prædestinare: (unde præscientia esse potest sine prædestinatione: prædestinatio autem non potest esse sine præscientia:) et quia bonos præscivit et prædestinavit; malos autem præscivit tantum, non prædestinavit; nec ut perirent sua præscientia compulit. Cui definitioni subscribere idem Gotteschalcus pertinacissime recusavit."

Literas quoque Hincmarus, "pro[c] recipiendo et adducendo ad judicium Gotteschalco," scripsit ad Rothadum Suessonicum episcopum; sub cujus potestate Orbacense fuit monasterium, ex quo Gotteschalcus profectus fuerat.

[a] Flodoard. lib. 3. hist. cap. 21. [b] Ibid. cap. 28.
[c] Ibid. cap. 21.

Digitized by Google

Unde adductus est[d] ille Carisiacum, ubi regium erat palatium, ad[d] Isaram fluvium positum: quo non Hincmarus modo cum Rothado et aliis qui ipsi suberant episcopis, sed Wenilo etiam Senonensis[e] archiepiscopus, et aliarum provinciarum aliquot episcopi, regiorum negotiorum occasione convenerant. Eorum qui conventui interfuerunt nomina, et sententiam in Gotteschalcum ab eis latam, Hincmarus in posteriore opere, quod adversus eum ad Karolum regem scripsit, ita explicat.

" Inde[f]," inquit, " in synodali conventu in Carasiaco palatio iterum auditur Gotteschalcus ab episcopis, et cæteris quamplurimis viris ecclesiasticis, atque religiosis, qui eidem synodo interfuerunt, videlicet Wenilone Senonensium archiepiscopo, Hincmaro Remorum episcopo, Fulcoino Morinensium episcopo, Teuderico Cameracensium episcopo, Hrothado Suessonicæ civitatis episcopo, Ragenario Ambianensium episcopo, Immone Noviomagensium episcopo, Erpoino Silvanectensium episcopo, Lupo Catalaunensium episcopo, Yrminfrido Beluacensium episcopo, Pardulo Laudunensium episcopo, Teutboldo provinciæ Lugdunensis et Lingonicæ civitatis episcopo, Gernobrio Turonensium provinciæ episcopo, Rigboldo Remorum chorepiscopo, Witao Camaracensium chorepiscopo, et aliis, qui nunc Dei gratia episcopi ordinati, tunc autem jam dicta synodo cum episcopis suis secundum ecclesiasticum morem adfuerunt. Wenilo scilicet, tunc cum Ragenario patre suo, nunc autem Rotomagensium archiepiscopus, Æneas notarius sacri palatii, et modo Parisiorum episcopus, Isaac diaconus Parduli, et nunc Lingonicæ civitatis episcopus. Sed et venerabiles abbates synodo ipsi interfuere, Ratbertus Corbeiæ, Bavo Orbacis, et Halduinus Altivillaris monasterii, aliique domini sacerdotes et diaconi. Vulfadus quoque Remorum metropolis œconomus, et Rodoaldus archidiaconus, cum aliis sequentibus cleri ordinibus. In quorum præsentia idem Gothescalcus, sicut et in Moguntina civitate, inventus hæreticus,

[d] Ann. DCXLIX.

[e] Unde et concilium hoc Senonense Andreas Duvalius appellat, in notis ad librum Ecclesiæ Lugdunens. de tribus epistolis.

[f] Concil. Galliæ, tom. 3. pag. 65, 66.

Digitized by Google

atque incorrigibilis, honore presbyterali, quem per Rigboldum chorepiscopum, cum esset Suessonicæ parochiæ monachus, inscio civitatis suæ episcopo, usurpaverat potius quam acceperat, abjectus, et pro sua irrevocabili contumacia, secundum leges et Agathenses[g] canones, et regulam sancti Benedicti, ut improbus virgis cæsus, sicut decreverant Germaniæ provinciarum episcopi, ne aliis noceret qui sibi prodesse nolebat, ergastulo est retrusus."

Sententiæ vero in eum prolatæ formula fuit hujusmodi.

Ecclesiastica[h] sententia in pertinacissimum Gotescalcum, propter incorrigibilem obstinationem illius, in synodo apud Carisiacum habita a duodecim episcopis, ecclesiastico vigore prolata.

" Frater Gotescalc, sacrosanctum sacerdotalis mysterii officium, quod irregulariter usurpasti, et in cunctis moribus et pravis actibus, atque perversis doctrinis eo hactenus abuti non pertimuisti, judicio Spiritus Sancti cujus gratiæ munus est sacerdotale officium, per virtutem sanguinis Domini nostri JESU Christi noveris tibi esse, si quo modo suscepisti, sublatum, et ne ulterius eo fungi præsumas penitus interdictum. Insuper, quia et ecclesiastica et civilia negotia, contra propositum et nomen monachi conturbare, contemnens jura ecclesiastica, præsumpsisti; durissimis verberibus te castigari, et secundum ecclesiasticas regulas ergastulo retrudi, auctoritate episcopali decernimus: et, ut de cætero doctrinale tibi officium usurpare non præsumas, perpetuum silentium ori tuo virtute æterni verbi imponimus."

Eorundem actorum meminit etiam Hincmarus in epistola ad Nicolaum I. " Postea," inquit, de Gotteschalci causa verba faciens, " a Belgicæ Remorum," hoc est, Belgicæ secundæ, quæ Remorum metropoli suberat, " ac Galliarum (fort. aliarum) provinciarum episcopis auditus, et inventus hæreticus, quia resipiscere a sua pravitate non voluit, ne aliis noceret, qui sibi prodesse nolebat, judicio præfatarum provinciarum episcoporum, in nostra parochia (quoniam Rothadus, de cujus parochia erat, illi nesciebat resistere; et novitates amans, timebatur a nobis, ne dis-

[g] Concil. Agathens. can. 38.
[h] Ibid. pag. 680.

Digitized by Google

ceret prava sentire, qui noluit discere recta docere): neve idem Gothescalcus, cum aliis communem vitam ducens, errori suo faceret esse communes, monasteriali custodiæ mancipatus est; docente apostolo: *Hæreticum*[i] *hominem post primam et secundam correptionem devita, sciens, subversum esse hujusmodi, et proprio judicio condemnatum.* Qui[k], ut Leo papa de Eutyche dicit, cum videret insipientiæ suæ sensum catholicis auribus displicere, revocare se a sua opinione debuerat, nec ita Ecclesiæ præsules commovere, ut damnationis sententiam meretur excipere. Quam utique, si in suo sensu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. A qua damnatione si voluisset ad sensum catholicum resipiscere, paratus semper fui, et sum, quoniam sic venerabiles judicaverunt episcopi, eum in Catholicæ Ecclesiæ communionem recipere, sicut ei jubeo quæ sunt corpori necessaria ministrare."

Et in literis hac de re ad Lugdunensem Ecclesiam scriptis: "Quapropter[l]," inquit, "ad episcoporum eum præsentiam, qui tunc regio mandato pro negotiis regis apud Carisiacum accersiti erant, in præsentiam etiam domini Wenilonis, qui illuc convenerat, producere studui: ubi multis audientibus, nihil dignum ratione vel dixit, vel interrogatus respondit; sed ut arreptitius, cum quid rationabiliter responderet non habuit, in contumelias singulorum prorupit, et propter impudentissimam insolentiam suam, per regulam S. Benedicti, a monachorum abbatibus vel cæteris monachis dignus flagello adjudicatus: et, quia contra canonicam institutionem civilia et ecclesiastica negotia perturbare studuit indefessus, et se noluit recognoscere vel aliquo modo humiliare profusus, ab episcopis, et secundum ecclesiastica jura, damnatus."

Videamus jam quid ad hæc ex altera parte responderit Remigius, Lugdunensis archiepiscopus. "In his verbis," inquit, "imprimis illud videtur absurdum, quod præfatum miserabilem monachum in judicio episcoporum productum, prius abbates monasteriorum, qui præsentes aderant, ad cædes et flagella judicasse referuntur; et deinde episcopi,

[i] Tit. cap. 3. ver. 10, 11.
[k] Leo, epist. 13.
[l] Eccles. Lugd. de trib. epistolis, pag. 1064. G.

Digitized by Google

juxta ecclesiastica jura damnasse. Cum homo antequam reddebatur hæreticus, juxta antiquam Ecclesiæ observantiam atque auctoritatem, ad episcopale tantummodo judicium pertineret, sive damnandus sive absolvendus: nec prius ab inferioris loci hominibus[m] (et quidem de re tanta) et postmodum ab episcopis debuerit condemnari. Sed et de ipsis flagellis et cædibus, quibus secundum regulam S. Benedicti dicitur adjudicatus, quibus et omnino fertur atrocissime et absque ulla misericordia pene usque ad mortem dilaceratus; quæ moderatio et mensura, juxta pietatem ecclesiasticam, et sacerdotalem sive monachalem verecundiam, observari debuerit, ipsi potius apud se judicent. Quod autem in episcoporum contumelias dicitur prorupisse; vere hoc et impium est, et insanum, et omnino justa ultione damnandum: licet melius ab aliis, quam ab ipsis, &c."

"Quapropter illud prorsus omnes non solum dolent, sed etiam horrent: quia inaudito irreligiositatis et crudelitatis exemplo, tam diu ille miserabilis flagris et cædibus trucidatus est, donec (sicut narraverunt nobis, qui præsentes aderant) accenso coram se igni libellum, in quo sententias Scripturarum sive sanctorum Patrum sibi collegerat quas in concilio offerret, coactus est jam pene emoriens suis manibus in flammam projicere, atque incendio concremare; cum omnes retro hæretici verbis et disputationibus victi atque convicti sint: et sic pravitas quæ videbatur hominis fuerit coercenda, ut nulla divinis rebus inferretur injuria. Maxime cum illi sensus, qui ipso continebantur libello (excepto uno, quod extremum ponitur) non essent sui, sed ecclesiastici; nec ignibus damnandi, sed pia et pacifica fuerint inquisitione tractandi."

Extremum vero illud capitulum, quod hic excipitur, ad liberum spectabat arbitrium: de quo id sensisse Gottescha1cum, quod ei ab Hincmaro imponitur, sibi incredibile[n] fuisse visum affirmavit Remigius; qui et hic suam de qua-

[m] Trajectionem septem linearum, ab editore nota tam, hic utcunque restituimus.

[n] Pag. 1063. D, E.

Digitized by Google

tuor Gotteschalci propositionibus, in hoc Carisiaco conventu damnatis, sententiam breviter hunc in modum explicat. " De[o] aliis vero sententiis, quas et antea prædicasse, et tunc in synodo proposuisse, nec ullatenus mutare voluisse firmatur: ignoscat nobis unusquisque lector, ignoscat etiam reverendus ille epistolæ scriptor, quia videtur nobis sine dubio,"

I. " Quod illa, quæ de divina prædestinatione dixit, juxta regulam Catholicæ fidei vera sint, et a veridicis patribus manifestissime confirmata; nec ab ullo penitus nostrum, qui Catholicus haberi vult, respuenda sive damnanda. Et ideo in hac re dolemus, non hunc miserabilem, sed ecclesiasticam veritatem esse damnatam."

II. " In illa apostoli sententia, qua de Deo ait; *Qui*[p] *vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire:* putamus eum sensum beatissimi patris Augustini, ab omni semper Ecclesia venerabiliter recepti, et usque in finem sæculi, recipiendi, secutum fuisse; qui de tanta quæstione tractans, et collatis inter se duobus testimoniis, apostolico videlicet et prophetico, qualiter juxta sanam fidei intelligentiam utrumque verum esse accipiendum sit, et in plerisque aliis librorum suorum locis, et maxime in libello qui Enchiridion dicitur, evidentissime declarat. Cujus omnino veridicum sensum non oportuit, sub persona alicujus hominis, a catholicis Dei sacerdotibus condemnari: ne jam non iste, qui errare putatur, sed ille potius, cujus authoritatem sequitur, hæreticus esse judicetur. Et licet alii quidem sancti et venerabiles patres simpliciter illa apostoli verba accepisse inveniantur: utrorumque tamen sententia fuerat honoranda, nec una præ altera damnanda; quia et illa ex divina auctoritate vera esse monstratur, et ista quadam pia ratione non abhorrere a veritate fideliter creditur."

III. " De Dominici sanguinis pretio, quod pro his tantum qui credere voluerint datum sit, manifesta est beatorum patrum sententia: quam iste, ut putamus, et legendo didi-

[o] Pag. 1061. A.

[p] 1 Tim. cap. 2, ver. 4.

Digitized by Google

cerat, et damnare metuebat. Unde etsi inventi sunt alii æque patres, qui illud gloriosum pretium, etiam pro nunquam crediturus et in sua impietate perituris, datum esse non abnuant: melius, ut credimus, utrique honorarentur, nec præ aliis alii damnarentur; quia et illud manifeste divina auctoritate firmatum est, et istud, si pie sentitur, non est abnuendum."

IV. "Quod dixisse firmatur, ad male tantummodo agendum liberum nos habere arbitrium, ad bene vero agendum non habere: si vere ita sensit et dixit, hoc vere non est ex divina auctoritate sumptum, neque ex sanctorum patrum dogmatibus tractum; sed aperte ex proprio errore prolatum. Quia liberum nobis arbitrium, quod peccato fuerat subjugatum, non ablatum est sed liberatum; et ipsum nobis per Dei gratiam excitatur ad bene agendum, ut et ipsi ejusdem gratiæ cooperatores simus. De qua re si iste tam absurde et insipienter erravit; manifesta est apostoli sententia, dicentis: *Fratres*[q], *etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis; considerans teipsum, ne et tenteris.*"

"Et illi quidem, propter intemperantiam et importunitatem atque infrænitatem linguæ suæ, et inquietam mobilitatem instabilitatis suæ, merito forsitan accidit quod in Salomone legitur: *Et*[r] *qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Et iterum: *Qui*[s] *imponit stulto silentium, iras mitigat.* Et alio loco: *Ejice*[t] *derisorem; et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ.* Tamen nullius hominis improbitate et infrænitate ita moveri debemus, ut contemnamus vel impugnemus, aut etiam damnare audeamus divinam veritatem, sive patrum nostrorum venerabilem auctoritatem: memores apostoli, dicentis; *Non*[u] *enim possumus aliquid adversus veritatem sed pro veritate.* Atque ita potius agen-

[q] Galat. cap. 6. ver. 1.
[r] Prov. cap. 13. ver. 3.
[s] Prov. cap. 26. ver. 10.
[t] Ibid. cap. 22. ver. 10.
[u] 2 Cor. cap. 13. ver. 8.

Digitized by Google

dum, ut et patres in filiis, et filii in patribus honorentur."

Quatuor vero istis Gotteschalci propositionibus totidem capitula, ab Hincmaro concinnata, opposuit synodus Carisiaca: de quibus prolixa Lugdunensis Ecclesiæ censura vulgata extat, titulo Libelli[v] de tenenda immobiliter Scripturæ sanctæ veritate, et sanctorum orthodoxorum patrum authoritate fideliter sectanda. Unde excerpta quædam, unicuique synodi capitulo, velut antidoti loco, subjicienda hic curavimus.

[v] Pag. 1082. E.

Digitized by Google

CAP. VII.

Capitula quatuor apud Carisiacum in synodo contra Gotteschalcum constituta : una cum Lugdunensis Ecclesiæ in eadem censura.

LUGDUNENSIS ECCLESIÆ PROŒMIUM.

PERVENIT ad nos, id est, ad Ecclesiam nostram Lugdunensem, quædam schedula : studio fidelium et bonorum virorum, qui et suæ et aliorum salutis devote ac laudabiliter sollicitudinem gerunt, in nostram notitiam perlata ; atque ut ad eam sedulo respondere deberemus, attentius commendata. In qua insunt quatuor capitula maxime novarum definitionum, nuper, ut comperimus, in quodam fratrum nostrorum episcoporum conventu tractata, digesta atque conscripta; velut ad comprimendam et retundendam cujusdam garruli et inquieti hominis loquacitatem, qui novarum, ut fertur, quæstionum avidus et indisciplinatus ventilator, et aliis non parvam perturbationem, et sibi ipsi ærumnam miserrimæ cladis induxit.

Ea cum legissemus, et adjuncto nobis fratrum nostrorum, Deo donante, bene studentium et recte intelligentium collegio, pia et fideli attentione singula pertractassemus : graviter perculsi et confusi animo, vidimus in eis, et Scripturæ sanctæ certissimam veritatem, et beatissimorum patrum, præcipueque sancti Augustini, reverendam et in omni Ecclesia Catholica receptissimam auctoritatem, nove conatu et ausu nimis temerario impugnari ; et, quantum in ipsis fuit, improvide atque insolenter labefactari.

Primi itaque capituli textus sic dicit :

Digitized by Google

I. CARISIACÆ SYNODI CAPITULUM.

Quod una sit tantum prædestinatio Dei.

1. " Deus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, et in paradiso posuit, quem in sanctitate justitiæ permanere voluit. 2. Homo libero arbitrio male utens, peccavit et cecidit, et factus est massa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus et justus elegit ex eadem massa perditionis, secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam, et vitam illis prædestinavit æternam. 3. Cæteros autem, quos justitiæ judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit; sed non ut perirent prædestinavit: pœnam autem illis, quia justus est, prædestinavit æternam. Ac per hoc unam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ."

LUGDUNENSIS ECCLESIÆ CENSURA.

1. Hoc nos primum movet, quod, absque ulla commemoratione gratiæ Dei (sine qua nulla rationalis creatura scilicet nec angelica nec humana, unquam potuit aut potest vel poterit in justitia et sanctitate esse, manere atque persistere), ita primus homo definitur liberi arbitrii a Deo conditus, atque in paradiso constitutus; tanquam per ipsum tantummodo arbitrium liberum in sanctitate et justitia potuisset permanere (quod in prædictis verbis Deus solummodo voluisse dicitur), non ut fieri posset, dono suæ gratiæ inspirasse vel adnuisse. Hoc namque non esse plene et Catholica pietate definitum, et Scripturæ sanctæ authoritas, et beati Augustini diligens disputatio, et aliorum sanctorum atque orthodoxorum patrum lucidissima definitio ostendit. Quisquis itaque sincere, et pure et catholice, de illa primi hominis sive angelica conditione, vel beatitudine, sentire cupit; attendat fideliter divinam auctoritatem, attendat fidelissimos Ecclesiæ patres fidelissime disputantes, attendat etiam conciliis aggregatis idipsum firmissime definientes: et non, juxta impium Pe-

Digitized by Google

lagianum errorem, credat primum hominem solo suo arbitrio in bono quod acceperat permanere potuisse, sed etiam ipsum quandiu stetit divina gratia adjutum fuisse; nec omnipotentem Deum ut idem homo in sanctitate et justitia permaneret tantummodo voluisse, sed ut permanere posset, etiam adjutorium dedisse.

2. Probamus quidem, quod electos suos omnipotens Deus per gratiam suam prædestinavit ad vitam, et vitam illis prædestinavit æternam; ut et ipsi vitæ æternæ, et vita æterna ipsis sit prædestinata: utrumque enim est verum, et dilucide ab apostolo positum. Sed hoc nos movet, cur in hac definitione qua per gratiam Dei, et electi ad vitam æternam, et vita æterna iisdem electis creditur præparata; ipsos tamen electos, absque ulla commemoratione gratiæ, secundum præscientiam suam elegisse dicatur: quasi gratia sit quod electi perveniunt ad vitam, gratia quod vita æterna illis est præparata; ut autem eligerentur, non fuisse gratiam, sed tantummodo præscientiam. Quod manifeste contrarium est Catholicæ fidei. Quia omnipotens Deus in electione eorum quos prædestinavit, et vocavit ad vitam æternam, non eorum merita præscivit; tanquam ideo eos elegisset, quia ex semetipsis bonos futuros præsciret: sed ipsa electio, ut ex massa perditionis vasa misericordiæ fierent absque ullo bono merito, sola gratia fuit, per quam discreti sunt a filiis perditionis, et adoptati in filios vitæ et resurrectionis. Hanc namque electionem non meritorum sed gratiæ, in qua non alicujus bona præscita sunt opera, sed sola tantum divina misericordia præparata, commendat nobis diligenter apostolus[a]. Non itaque secundum præscientiam meritorum elegit Deus ex massa perditionis, quos faceret filios adoptionis: sed gratis elegit, quos ab illa justa damnatione æqualiter omnibus debita misericorditer liberavit.

3. Mirum est, quomodo asseritur omnipotens Deus cæteros, id est reprobos, justo judicio suo in massa perditionis reliquisse, nec tamen prædestinasse, sed tantum præscisse perituros. Si enim justum judicium Dei jam in illis præcessit, et eodem justo judicio in massa perditionis

[a] Rom. cap. 9. ver. 11. et 2 Tim. cap. 1. ver. 9.

Digitized by Google

sunt deputati: quomodo non tali judicio jam perditionis destinati et prædestinati? Ita dum in hac definitione divini judicii veritas negatur, ipso etiam negantium testimonio confirmatur. Quomodo enim præscivit tantummodo, et non prædestinavit, quod ipsorum confessione justo judicio jam decrevit? Cur veram et perfectam prædestinationem justi judicii Dei, quo æterno consilio suo vel justos ad vitam, vel iniquos præordinavit ad pœnam, in parte audet homo accipere, et in parte negare? Quasi omnipotens Deus, quid justo judicio de electis esset facturus, et præscierit et prædestinaverit; quid autem eodem justo judicio de reprobis esset gesturus, præscierit tantum nec prædestinaverit: cum utraque parte unum sit judicium, una justitia, qua vel justis præmia vel iniquis supplicia retribuuntur. Nam si hæc prædestinatio divini judicii esset merito alicui violenta, vel injusta, vel præjudiciaria; meritum injustum Deum argueret, imo de illo apud quem non est iniquitas nullatenus credi deberet. Cum autem manifestissime non sit violenta (quia nullum compellit ut malus sit, et aliud esse non possit) non sit injusta, (quia illos tantummodo, qui suo vitio in malis perseveraverint, punit) non sit præjudiciaria, (quia non præjudicat aliquem, ut quasi ejus sententia, et non suo merito, pereat): quid in ea reprehenditur vel quasi blasphemum putatur, in qua sola æquitas, sola justitia invenitur? Hoc namque erga homines divina prædestinatio, quod et divina præscientia agit. Præscivit enim Deus malos futuros: sed ipsa sua præscientia non eos compulit fieri malos. Prædestinavit justo judicio suo eos qui in malis perseveraverint puniendos: nec tamen eadem prædestinatione sua, ut mali essent vel in malis perseverarent, coegit. Et hæc est apud illum æquitas, ut qui volentes perstiterunt in malis, nolentes puniantur in suppliciis. Seipsum ergo homo mutet, seipsum, dum tempus est, corrigat et emendet; quia omnipotentem atque æternam præscientiam et prædestinationem mutare vel destruere non valet. Si quis enim neget, esse apud Deum præscientiam et prædestinationem: manifeste infidelis est. Si quis dicit, quod præscientia et prædestinatio ejus ali-

Digitized by Google

quem compellat, ut malus sit, et aliud esse non possit; horribiliter blasphemat. Qui autem fideliter confitetur, et præscientiam et prædestinationem æternam esse apud Deum, nec tamen aliquem per hanc ad malum cogi; sed tantummodo qualis quisque futurus sit præsciri, et prout gesserit judicari: iste prorsus Catholice sentit.

Et ideo plenam et perfectam prædestinationem justi judicii Dei, tam in parte electorum quam in parte reproborum, sicut omnino vera est, veraciter confiteamur; nemini misericordiam Dei negantes, nemini conversionis gratiam derogantes, nemini aditum indulgentiæ claudentes; sed omnibus in iniquitate permanere volentibus utilem et salubrem terrorem incutientes. Hanc enim utriusque partis certissimam et immobilem prædestinationem Dei declarat nobis apostolus. Quod omnipotens figulus, æterno et incommutabili consilio judicii sui, ex eadem massa alios faciat per justitiam vasa iræ, alios per gratiam vasa misericordiæ: et ita Dei consilium atque judicium ratum fit atque immobile, ut tamen nemo nisi juste damnetur, nemo nisi misericorditer liberetur. Hanc Scripturæ Dei veritatem atque auctoritatem secutus beatissimus pater et egregius doctor Augustinus, et de prædestinatione sanctorum librum luculentissimum scripsit; et de prædestinatione etiam reproborum justo judicio Dei ad interitum, et ibi et in aliis opusculis suis sæpius memoravit. Beatus quoque antistes et gloriosus confessor Fulgentius, de hac judicii in utramque partem præscientia et prædestinatione egregium librum scribit: qui (sicut et cætera ejus admiranda et veneranda scripta) semper ab Ecclesia fideliter receptus, et inter scriptores ecclesiasticos laudabiliter annumeratus est. Et nunc nescimus qua ratione imo infidelitate et contentione, simul cum beato Augustino abjicitur: et ab eis qui Catholici videri volunt tales ac tanti viri Dei iniquissime injuriati et spreti, velut quisquiliæ et purgamenta vilissima conculcantur. Et est nimis mirabile, imo horribile, quomodo ut suis adinventionibus et ineptiis credatur exigant: cum ipsi beatissimos patres et illustrissimos doctores Ecclesiæ adjecerint. Ac per hoc, nisi se citius corrigere studeant, verissime hæretici judicari pos-

Digitized by Google

sunt: qui fidei et charitati et sincerissimæ patrum doctrinæ non communicant; sed insuper cum ipsis Scripturæ sanctæ cœlestem authoritatem contemnunt. Nam si illum fidelissimum, copiosissimum et florentissimum librum beati Fulgentii, cum pietate et obedientia, legere et intelligere studuissent; profecto in hac obscurissima quæstione de præscientia et prædestinatione divina, Deo aspirante atque illuminante, nulla erroris caligo in eorum cordibus remansisset.

Hæc de primo capitulo definitionum necessario dicta sint: ut etsi quid surgente obscura et perplexa quæstione de præscientia et prædestinatione divina inconsideratius atque inconvenientius dictum est, non contentiose defendatur, nec synodali etiam auctoritate fulciendum putetur; sed potius agnita divina veritate, et recepta humiliter paterna auctoritate, velocius et attentius corrigatur.

II. CARISIACÆ SYNODI CAPITULUM.

Quod liberum hominis arbitrium per gratiam sanetur.

" Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus: et habemus liberum arbitrium ad bonum, præventum et adjutum gratia; et habemus liberum arbitrium ad malum, desertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, et gratia de corrupto sanatum."

LUGDUNENSIS ECCLESIÆ CENSURA.

Mirum est, cur hoc tam confuse et abstruse ac decurtate de libero arbitrio definitum sit; cum domino largiente abundent in Ecclesia ejus sanctorum atque orthodoxorum patrum de hac re plenissimæ et clarissimæ definitiones: in quibus nec addendum aliquid fuerat, nec subtrahendum; quia et quod fidei Catholicæ necessarium est plenissime continent, et si quid inde subtrahatur veritatis integritas violatur. Ex quibus paternis et ecclesiasticis definitionibus, exempli gratia, hæc pauca proponimus.

Digitized by Google

1. In[b] prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse: et neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit.

2. Quod[c] nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio.

3. Quod[d] omnia studia, et omnia opera ac merita sanctorum, ad Dei gloriam laudemque referenda sint; quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo quod ipse donaverit.

4. Quod[e] ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio; ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis a Deo sit: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.

5. Omnium[f] studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad dominum tenditur, Deum profitemur authorem: et non dubitamus ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni et velle incipiamus et facere. Quo utique auxilio et misericordia Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur: ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona; et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.

6. Fatemur gratiam Dei et adjutorium etiam ad singulos actus dari: eamque non dari secundum merita nostra; ut vera sit gratia, id est, gratias data, per ejus misericordiam qui dixit: "Miserebor[g] cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero."

7. Fateamur esse liberum arbitrium, etiamsi divino indiget adjutorio.

8. Arbitrium[h] voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari.

9. Arbitrium voluntatis tunc est vere liberum, cum vi-

[b] Ex sententiis subjectis epistolæ Cœlestini P. ad episcopos Galliæ. cap. 1.
[c] Cap. 4.
[d] Cap. 5.
[e] Cap. 6.
[f] Cap. 9.
[g] Rom. cap. 9. ver. 15.
[h] Concil. Arausican. II. cap. 13.

Digitized by Google

tiis peccatisque non servit. Tale datum est a Deo, utique homini primo : quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potuit reddi. Unde veritas dicit: " Si[1] vos filius liberaverit, vere liberi eritis."

Ecce, sanctissimi patres non negant liberum arbitrium esse in hominibus: sed docent in prævaricatione Adæ naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse, &c. Si ergo propterea dictum est in hac definitione, " Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus," quasi post illius hominis transgressionem nullum in hominibus remanserit liberum arbitrium; apparet quod non sit consonum veritati; quia si nullum est humani generis liberum arbitrium, quomodo judicabit Deus mundum? Si autem propterea dictum est, quia naturalem possibilitatem et virtutem liberi arbitrii qualis in illo primo homine condita est, merito illius prævaricationis amisimus: cavendum est omnino, ne hoc quod de amissa ejusdem arbitrii libertate subjungitur, " quam per Christum Dominum nostrum recepimus," ita sit dictum, quasi ex quo in Christo regenerati sumus, talem statum et virtutem liberi arbitrii receperimus, ut exinde in præsenti vita tales esse possimus, qualis ille homo erat ante peccatum; ut sicut ipse vivebat in paradiso absque ullo peccato, ita et fideles regenerati in Christo absque peccato vivant in mundo: quod manifeste non pertinet ad statum præsentis vitæ, sed ad felicitatem vitæ æternæ. Quod si simpliciter tantummodo dictum est, ut propter inchoationem gratiæ, quam in regeneratione percipimus, jam libertatem arbitrii, quam in Adam perdidisse dicimur, recepisse videamur; cum tamen ejus plenitudo atque perfectio in futura vita fideliter expectanda credatur: quid necesse fuit tanta ambiguitate et confusione verborum clarissimam obscurare veritatem; cum possent ex præfatorum patrum definitionibus, vel unum vel aliqua capitula assumi et poni, quibus et arbitrii libertas et Dei gratia plenius ac manifestius commendarentur.

Jam quanta absurditas est, in eo quod sequitur? ut postquam dictum est, " Libertatem arbitrii in primo ho-

[1] Concil. Arausican. II. cap. 13.

Digitized by Google

mine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus," statim subjungeretur: "Et habemus liberum arbitrium ad bonum, prævenlum et adjutum gratia; et habemus liberum arbitrium ad malum, desertum gratia." Quasi postquam per gratiam Christi Domini regenerati sumus, tunc cœperimus habere, sicut liberum arbitrium ad bonum, ita liberum arbitrium ad malum, desertum gratia: quasi ex illa regeneratione, cum gratia prævenimur et adjuvamur, habeamus liberum arbitrium ad bonum; et cum eadem deserimur gratia, habeamus liberum arbitrium ad malum. Quæ hic ratio et consequentia sensus inveniri potest? Numquid illius regenerationis gratia hoc egit in nobis, ut exinde acciperemus, sicut ad bonum, ita etiam ad malum liberum arbitrium?

Jam illud, quod in eadem definitione ponitur, "liberum arbitrium ad bonum præventum et adjutum gratia, et liberum arbitrium ad malum desertum gratia;" quomodo intelligi potest? Si enim quando regenerati sumus in baptismo, tunc libertatem arbitrii in Adam perditam in Christo recepimus: numquid tunc tantum prævenit, et adjuvit nos Dei gratia; aut eadem Dei gratia, sicut semel nos adjuvit, ut efficeremur liberi ad bonum, ita semel nos deserit, ut efficiamur liberi ad malum? Quæ est ista tam obscura, et ambigua, ac pene nulla gratiæ prædicatio? Nonne melius erat, ut præfatorum patrum sententiæ, quæ de hac re plenissime et clarissime definiunt, assumerentur, vel eorum verbis ista eorum definitio contexeretur: et aperte ibi esset positum, qualiter nos præveniat et adjuvet hæc Dei gratia, id est, utrum semel nobis in baptismate tanta tribuatur, quæ ad totum tempus vitæ nostræ sufficiat, an quotidie implorandæ et accipiendæ sit; et utrum ea ad aliqua bona, an ad omnia indigeamus? Certe nihil horum in hac definitione apparet: et ideo melius fuerat tacere, quam de re tanta tam inepte et inutiliter loqui. Indigemus namque gratia Dei, non solum ad opus bonum, sicut in hoc capitulo definitur; sed etiam ad ipsum initium fidei, sine qua non possumus accedere ad regenerationis sacramentum. Indigemus gratia Dei ad omnia et singula bona, per singulos dies. Indigemus ea ad excitandam in nobis bonam

Digitized by Google

voluntatem. Indigemus gratia Dei ad bona et salubria loquenda. Indigemus Dei gratia ad omnes vias operum bonorum.

III. CARISIACÆ SYNODI CAPITULUM.

Quod Deus omnes homines velit salvos fieri.

" Deus[k] omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum : quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum."

LUGDUNENSIS ECCLESIÆ CENSURA.

Sit inter nos de hac re istiusmodi pia cautela et moderatio, quatenus et sanctis patribus debitus servetur honor, et quolibet quis acquiescat modo ex illis sensibus, qui de hac sententia ab eis positi sunt, non judicemus esse hæreticum : sed potius vitemus contentionis malum, per quod etiam de pacificis et ecclesiasticis sensibus potest, qui contentiosus esse voluerit, hæreticum efficere quod sentit. Itaque in rebus talibus cohibeamus nos ipsos salubri moderatione, ut nec contemnere audeamus, nec quasi necessario affirmare conemur: memores semper illius apostolicæ sententiæ; " Si[l] quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei." Legamus ergo pacifice, et quantum Dominus donat, intelligamus dogmata ecclesiasticorum virorum, nec pro aliis doctoribus adversus alios litigemus : (quia et ipsi inter se pacifici unusquisque in suo sensu abundaverunt, alius quidem sic, alius vero sic) expectantes fideliter atque humiliter quod apostolus promittit, dicens; " Et[m] si quid aliter sapitis, hoc vobis Deus revelabit." Nam qui non tranquille et pacifice moderatur quod sentit, sed statim paratus est ad contentiones, dissensiones, et scandala; etiamsi non habeat hæreticum sensum, certissime habet hæreticum ani-

[k] 1 Tim. cap. 7. ver. 4.
[l] 1 Cor. cap. 11. ver. 16.
[m] Philipp. cap. 3. ver. 15.

Digitized by Google

mum. Quam pietatis moderationem si etiam isti boni viri, qui hanc definitionem statuerunt, servare voluissent, melius hanc rem silentio præteriissent, et unicuique de ea secundum fidem suam, et auctoritatem cui magis acquiescendum putaret, sentiendum permitterent; finitoque inter eos tam longæ et perniciosæ contentionis jurgio, pax et unitas Christi Ecclesiæ reformaretur.

Ecce enim aliquis sentiat et dicat, sicut etiam antiquitus et sensum est et dictum: Non dixit apostolus universaliter et generaliter et, ut isti addiderunt, sine exceptione; "Qui[n] vult omnes homines salvos fieri:" sed specialiter ad eos retulit de quibus supra dixerat, "pro omnibus hominibus, pro regibus, et his qui in sublimitate sunt," ut quod dixit, "omnes," omnia genera hominum intelligi voluerit, omnium scilicet generum, sexuum, conditionum, ordinum, dignitatum. Quid habet hæc intelligentia inconsequens, aut contrarium veritati? Item alius dicit et sentiat, sicut etiam a quibusdam majoribus dictum et sensum reperitur: apostolus cum superius orari jussisset "pro omnibus hominibus, pro regibus, et his qui in sublimitate sunt;" post illa omnia generaliter de universo genere humano subjunxit, "Qui vult omnes homines salvos fieri." Quid habet mali aut periculi etiam ista intelligentia? Neque enim qui ita sentit, putat voluntati Dei, qua vult omnes homines salvos fieri, aliquem resistere et contraire, ut non possit implere quod velit. Et ambo sibi, et iste videlicet et ille, licet diversa sentientes, fideliter atque unanimiter concordant: quod quolibet modo dixerit apostolus de Deo, "Qui vult omnes homines salvos fieri;" tamen nullus hominum nisi gratuita ejus misericordia salvetur, nullus nisi justo ejus judicio perire permittatur.

Certe illud in hac quæstione manifestum est, quod etiamsi generaliter et indifferenter omnes homines Deus vult salvos fieri: in aliorum tamen cordibus benignitate misericordiæ suæ ipse operatur eandem voluntatem suam, ut et ipsi salvari velint, atque salventur (qualibus et apostolus dicit: "Cum[o] timore et tremore vestram ipsorum

[n] 1 Tim. cap. 2. ver. 4.

[o] Philipp. cap. 2. ver. 12, 13.

Digitized by Google

salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate"): in aliorum autem cordibus severitate justi et occulti judicii sui non operatur hanc salutarem voluntatem, sed dimittit eos suo arbitrio; ut quia noluerunt credere, justa ultione damnentur. Et hoc quidem de illis dici potest, qui verbum Evangelii audierunt, sed duritia incredulitatis suæ recipere noluerunt. Quid vero dicendum est de tanta multitudine impiorum, qui fuerunt ab exordio mundi, usque ad adventum Christi? Et adhuc non negandi sunt esse in extremis partibus orbis terræ, ad quos nullus unquam prædicator accessit; nullum unquam verbum Dei audierunt: qui utique nullatenus potuerunt credere ei quem non audierunt, neque audire sine prædicante, neque prædicatorem recipere qui nullus ad eos missus est. Numquid et tales propterea damnabuntur, quia non crediderunt, qui nunquam audire potuerunt? Et tamen omnino damnabuntur pro aliis peccatis suis, et principaliter pro illo primo et originali peccato, in quo omnes peccaverunt. Quia non frustra scriptum est: "Effunde[p] iram tuam in gentes quæ te non noverunt, et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt." Et apostolus dicit; "Dantis[q] vindictam in flammam ignis his qui non noverunt Dominum." Si quis et de talibus interroget, quid in eis egerit voluntas Dei, "qui[r] omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire;" Quid respondebimus? Nonne homo cautus et pius magis eliget tacere, aut certe cum propheta et apostolo exclamare, "Judicia[s] tua abyssus multa." Et, "O[t] profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!" De hoc ergo capitulo iste sit finis.

IV. CARISIACÆ SYNODI CAPITULUM.

Quod Christus pro omnibus hominibus passus sit.

"Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus homo est,

[p] Psal. 79. ver. 6.
[r] 1 Timoth. cap. 2. ver. 4.
[t] Rom. cap. 11. ver. 33.
[q] 2 Thess. cap. 1. ver. 8.
[s] Psal. 36. ver. 7.

Digitized by Google

fuit, vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit; licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur. Quod vero omnes passionis ejus mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem et pretii copiositatem; sed ad infidelium, et ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, respicit partem. Quia *poculum*[u] humanæ salutis, *quod confectum est infirmitate nostra et virtute divina habet quidem in se ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur.*"

LUGDUNENSIS ECCLESIÆ CENSURA.

In hac nova et inusitata quæstione tres nobis quæstiones proponuntur.

I. Quod dicitur, quia "nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in Christo assumpta non fuerit." De qua quæstione hoc nobis credendum et tenendum videtur: quia susceptio illa naturæ humanæ in Christo non fuit ex necessitate originis, sed ex potestate et gratia et misericordia et dignatione suscipientis. Quia ergo ista tam divina et tam singularis generatio hominis Christi non aliqua naturali necessitate, sed sola ejus potestate et gratia et misericordia facta est: sic per omnes generationes caro ejus descendit, sic ex eis veraciter natus verus homo factus est; ut quod ei placuit miserando et sanando ac redimendo inde assumeret, quod autem non placuit reprobaret. Ita in illo ineffabili incarnationis suæ mysterio electos suos, propter quos redimendos et justificandos ac salvandos advenerat, misericorditer suscepit; quos autem indignos illa misericordia et redemptione judicavit, alienos ab illa mirabili susceptione dereliquit. Agnoscamus ergo veraciter, quod illa humanæ naturæ in Christo susceptio, infideles hujus misericordiæ reliquit exsortes; et eis solis præstitit, ut habeant communem naturam cum Christo, qui assumentem recipiunt, et eo Spiritu sunt regenerati quo est ille progenitus. Cessetque ista super-

[u] Prosper. respons. ad object. 1. Vincent.

Digitized by Google

vacuitas qua dicitur et definitur, quod nullus hominum fuit, est, vel erit, cujus naturam ille non susceperit.

II. Quod affirmatur, quod " nullus hominum fuit, est, vel erit, pro quo Christus passus non fuerit." De qua quæstione quid aliud respondere possumus, nisi ut primum ipsos qui hoc definierunt sedulo interrogemus, et admoneamus, ut vigilanter et fideliter pensare studeant; ne forte minus considerando quod dicendum erat, contra fidem et conscientiam suam talia dixerint et scripserint? Nam ut taceamus de his qui nunc sunt, vel adhuc usque ad finem sæculi futuri sunt, in quibus utique et Antichristus erit: certe de illa innumerabili multitudine impiorum qui fuerunt ab initio mundi usque ad adventum Christi, et in sua impietate mortui in æternis pœnis sunt condemnati; nec ipsos qui hæc dixerunt credere putamus, quod pro eis in sua impietate mortuis, et æterno jam judicio condemnatis, Dominus passus esse credendus sit. Si enim pro eis passus esse creditur: cur non etiam pro diabolo et angelis ejus similiter passus esse credatur? Sicut ergo pro illis impiis et damnatis angelis nullatenus Dominus Jesus Christus dicendus est passus: ita pro istis impiis et damnatis hominibus absit omnino ut passus esse credatur. De his vero qui adhuc in infidelitate atque impietate detinentur, manifestum est, quod quicumque ex ipsis per Dei gratiam fuerint ad fidem conversi, et in Christo regenerati; etiam pro ipsis confitendum sit factum esse, quod pro omnibus fidelibus factum constat. De cæteris vero qui in ipsa infidelitate atque impietate sua perseverantes sunt perituri: si de Scripturæ sanctæ auctoritate, quod etiam pro talibus Dominus passus sit, certissimis et clarissimis testimoniis nobis demonstrare potuerunt boni viri, qui talia definierunt; dignum omnino est, ut credamus et nos. Si vero non potuerint, cessent contendere pro eo, quod non legunt. Pudeat eos definire quod nesciunt. Timeant statuere, quod nullum sanctorum patrum concilium, nullum ecclesiasticorum dogmatum decretum, hactenus inveniant statuisse. Quod etsi quid a sanctis et venerabilibus Ecclesiæ doctoribus vel scriptum vel dictum, unde hujuscemodi sensus occasio sumi posse videatur,

Digitized by Google

inveniunt: salva eorum debita reverentia, cohibeant se potius, et summittant se humiliter divinæ auctoritati; et rem tam obscuram, tamque inusitatam, divinæ reservent humiliter majestati.

III. Qua definitum est; quia sicut infideles non redimuntur mysterio sanguinis Christi, ita nec fideles redempti sunt, qui non habuerint "eam[x] fidem quæ per dilectionem operatur." De qua quæstione quid necesse est aliquid dicere? cum ex his quæ supra jam dicta sunt manifestissime ostendatur, omnibus infidelibus nullam esse redemptionem in Christo; et omnes fideles, qui fideliter accedunt ad fidem et gratiam regenerationis, ibi accipiant veram redemptionem, vel veram regenerationem: quia nec vere possunt regenerari, nisi eos et a potestate diaboli, et a servitute peccati, vere constat redimi: nec vere possunt redimi, nisi lavacro indulgentiæ expiati, et a reatu delicti, et a dominatu principis mundi efficiantur absoluti. Nisi quod hoc in ista definitione absurdissimum est, quod Dominus Jesus Christus etiam pro impiis in sua impietate pereuntibus dicatur passus; et fidelis quisque, fideliter baptismo ejus regeneratus, mysterio passionis ejus affirmetur non esse redemptus[y].

Atque hoc Lugdunensis Ecclesiæ judicium fuit, de quatuor istis Carisiacæ synodi capitulis; quæ a se scripta fuisse agnoscit Hincmarus in epistola ad Karolum regem apud Flodoardum libro tertio capite quindecimo.

[x] Gal. cap. 5. ver. 6.

[y] Vid. infra, fin. cap. 12.

Digitized by Google

CAP. VIII.

De epistolis variis post peractam synodum ab Hincmaro scriptis: et Remigii Lugdunensis responsione illi opposita.

PERACTA synodo, scripsit[a] Hincmarus (referente eodem Flodoardo) ad Rabanum Moguntinum archiepiscopum, de doctrina Gotteschalci, "et quid in eum fecerit, postquam in synodo hæreticus comprobatus fuerat, nec corrigi potuit: et quid ipse contra doctrinam ejus sentiat, damnationemque ipsius, quæve contra eumdem scripserit, huic discutienda direxit; quærens etiam, qualiter de Trinitatis fide ac prædestinatione (de utroque enim hoc capite Hincmarum Gotteschalco litem intendisse ostendimus) diversorum patrum sint intelligendæ sententiæ; in qua epistola asserit beatum Rabanum solum tunc temporis de discipulatu beati Alcuini relictum." Scripsit et Prudentio Trecensi sive Tricassino episcopo alteram epistolam. In qua, conquestus quod ipsi "præsentiam suam subtrahat," significat "se ab eo consilium quærere velle de statu et compressione Gotteschalci: intimans quid de ipso actum vel judicatum fuerit in synodo, quo eum reclusum tenebat judicio, et quia multis modis eum converti tentaverit, et de moribus ac superbia ipsius; et si in cœna Domini, vel in Pascha, debeat illum admittere ad audiendum sacrum officium, vel accipiendam communionem. Et quid sibi videatur de sententia Ezechielis prophetæ, qua dicitur: *In*[b] *quacunque die ceciderit justus, omnes justitiæ ejus in oblivione tradentur: et quacunque die peccator conversus fuerit, omnes iniquitates ejus tradentur oblivioni.*"

Scripsit et Amolo Lugdunensi archiepiscopo, "de Got-

[a] Ex Flodoard. lib. 3. cap. 21. [b] Ezech. cap. 18. ver. 24.

Digitized by Google

teschalci vita vel conversatione, prædicatione, deprehensione, atque condemnatione; rei veritatem exponens." Vel, ut hujus epistolæ argumentum plenius expressit Remigius Lugdunensis, " miserabilis illius monachi (qui inquieta et insolenti præsumptione hujus quæstionis vel potius scandali excitator et exagitator fuisse dicitur) et actum describit, et doctrinam redarguit, et damnationem exponit. Qualiter videlicet in duobus episcoporum conciliis et auditus fuerit et judicatus atque damnatus, diligenter et breviter in epistola sua exposuit atque digessit: et singulis ejus propositionibus quid, vel ab ipso vel a cæteris, sive tunc objectum fuerit, sive usque hodie apud eos objiciatur, pariter exsecutus est." Est enim hæc prima illarum trium epistolarum, de quibus Ecclesiæ Lugdunensis censura extat; et duarum prior, quæ ipsis Lugdunensibus sunt inscriptæ: quam ab Hincmaro exaratam fuisse, illa de Gotteschalco verba, quæ in superioribus inde produximus, satis declarant. " Ad episcoporum eum præsentiam, qui tunc regio mandato apud Carisiacum accersiti erant, in præsentiam etiam domini Wenilonis, qui illuc convenerat, producere studui." Carisiacæ vero synodi tempore, Lugdunensi Ecclesiæ præerat Amolus sive Amulus, aliis Amulo et Amalo et Amalarius dictus: (ille videlicet ipse cujus libros de divinis officiis falso Amalarii Trevirensis archiepiscopi nomine vulgatos legimus; quemque Hincmarus, in epistola ad Eberardum, " sincerissimum[c] et carissimum vocat patrem suum") de quo Trithemius in scriptorum ecclesiasticorum catalogo. " Hamulus episcopus Lugdunensis in Gallia, vir in divinis Scripturis studiosus, et veterum lectione eruditus, atque in secularibus literis non mediocriter doctus, tam Hebraica quam Latina lingua clarus, ingenio acer et vehemens, eloquio scholasticus atque compositus, scripsit non contemnendæ lectionis opuscula: de quibus ego tantum legi opus insigne ad Carolum, contra Judæos."

Nimirum, ut de Gotteschalci causa, ita etiam de Judæorum statu in regno Galliæ, ad Amulum hunc scripsisse

[c] Flodoard. lib. 3. cap. 26.

Digitized by Google

Hincmarum, confirmat Flodoardus[d]: eaque occasione, ut contra Judæos, ita etiam contra Gotteschalcum, illum scripsisse invenimus. Inter eos enim qui de quæstione divinæ præscientiæ et prædestinationis adversus Gotteschalcum scripsere, ab episcopo qui secundam ad Ecclesiam Lugdunensem scripsit epistolam etiam Amalarius memoratur. Cui respondens Remigius, ipsius Amalarii in Lugdunensi archiepiscopatu proximus successor, "Multum," inquit, "moleste et dolenter accepimus, ut ecclesiastici et prudentes viri tantam injuriam sibimetipsis fecerint, ut Amalarium de fidei ratione consulerent: qui et verbis et libris suis, mendaciis et erroribus et phantasticis atque hæreticis disputationibus plenis, omnes pene apud Franciam ecclesias, et nonnullas etiam aliarum regionum, quantum in se fuit, infecit atque corrupit. Ut non tam ipse de fide interrogari, quam omnia scripta ejus, saltem post mortem ipsius, debuerint igne consumi; ne simpliciores quique, qui eos multum diligere et legendo frequentare dicuntur, eorum lectione et inaniter occuparentur, et perniciose fallerentur ac deciperentur." Ad quem locum Andreas Duvalius, regius in academia Parisiensi Theologiæ professor, sequentem apponit annotationem, a Nicolao Fabro V. C. acceptam. Florus Magister (quem Trecensem illum episcopum arbitramur, qui contra Joannem Scotum et Gotteschalcum scripsit quamplurima, sed in iis quædam animadversione dignissima) hic, inquam, Florus in Psalmo octogesimo, adversus Amalarium scribens: "Vis," inquit, "comedere ipsum Dominum Deum tuum? Audi quid dicat: dilata os tuum, et implebo illud. Dilatate ora vestra: ipse est Dominus et panis, ipse hortatur nos ut comedamus. At ipse noster est cibus: quantum dilataveris, tantum accipies." Hæc ille. Cui conjecturam attexit Duvalius, Sorbona sua dignam: "Amalarium illum una cum Joanne Scoto fuisse Berengarii præcursores, et veluti antesignanos; quorum errorem nostri (sic enim illi appellare libuit) Eucharistomastiges jamdudum sopitum et extinctum ab orco suscitaverint."

[d] Flodoard. lib. 3. cap. 21.

Digitized by Google

Habebat in bibliotheca sua Faber librum Prudentio illo, de quo diximus, Trecensi sive Tricassino episcopo contra Johannis Scoti dogmata conscriptum: cujus hoc erat initium.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:
Prudentius, famulus Christi familiæque ejus.

"Blasphemias tuas, Joannes, atque impudentias, quibus in Dei gratuitam gratiam justitiamque inflexibilem procax inveheris; percurso tuæ perversitatis libro, quem sub nomine cujusdam Gothescalci adversus omnes Catholicos effudisti, &c." Inde collegit vir doctissimus, Gotteschalci sectatorem fuisse Johannem, et contra utrumque a Prudentio Trecensi, quem ille eundem cum Floro arbitratus est, librum illum fuisse editum. Atqui ab authore illo secundæ ad Lugdunenses epistolæ, inter eos qui contra Gotteschalcum scripsere, numeratur Johannes Scotus: idque liber ipse demonstrat, in quo disputatio extat adversus "Gottescalcanam (ut ille vocat) hæresim, prædestinationibus necessitates inferentem." Doctrinam vero, quam in Gotteschalco oppugnabant adversarii, et a Prudentio et a Floro fuisse propugnatam, suo loco ostendemus.

In aversa autem primi folii dicti libri manuscripti pagina, alia manu censura hæc a nescio quo adscripta fuerat. "Hic liber, qui quasi ad defensionem fidei contra infidelitatem loquitur, et Catholicorum nomina profert, caute legendus est; et in ejus lectione apostoli est sequenda sententia, qua dicit: *omnia probate, quod bonum est tenete.* Nam compositor ejus Prudentius de quibusdam ecclesiasticis dogmatibus non sensit catholice; sicut alia ejus scripta demonstrant." Unde factum videtur ut in hisce scriptis "quædam animadversione dignissima" occurrere, Faber dixerit. "Sed hoc judicium", ait Nicolaus[e] Camuzatius, cui codex ille manuscriptus a Fabro communicatus est, "tanti viri sanctimoniam, limatamque et sanam doctrinam minuere non debet, ex alicujus fortasse ca-

[e] Camuzat. in promptuario antiquitatum Tricassinæ diœcesis.

Digitized by Google

Hincmarum, confirmat Flodoardus[d]: eaque occasione, ut contra Judæos, ita etiam contra Gotteschalcum, illum scripsisse invenimus. Inter eos enim qui de quæstione divinæ præscientiæ et prædestinationis adversus Gotteschalcum scripsere, ab episcopo qui secundam ad Ecclesiam Lugdunensem scripsit epistolam etiam Amalarius memoratur. Cui respondens Remigius, ipsius Amalarii in Lugdunensi archiepiscopatu proximus successor, "Multum," inquit, "moleste et dolenter accepimus, ut ecclesiastici et prudentes viri tantam injuriam sibimetipsis fecerint, ut Amalarium de fidei ratione consulerent: qui et verbis et libris suis, mendaciis et erroribus et phantasticis atque hæreticis disputationibus plenis, omnes pene apud Franciam ecclesias, et nonnullas etiam aliarum regionum, quantum in se fuit, infecit atque corrupit. Ut non tam ipse de fide interrogari, quam omnia scripta ejus, saltem post mortem ipsius, debuerint igne consumi; ne simpliciores quique, qui eos multum diligere et legendo frequentare dicuntur, eorum lectione et inaniter occuparentur, et perniciose fallerentur ac deciperentur." Ad quem locum Andreas Duvalius, regius in academia Parisiensi Theologiæ professor, sequentem apponit annotationem, a Nicolao Fabro V. C. acceptam. Florus Magister (quem Trecensem illum episcopum arbitramur, qui contra Joannem Scotum et Gotteschalcum scripsit quamplurima, sed in iis quædam animadversione dignissima) hic, inquam, Florus in Psalmo octogesimo, adversus Amalarium scribens: "Vis," inquit, "comedere ipsum Dominum Deum tuum? Audi quid dicat: dilata os tuum, et implebo illud. Dilatate ora vestra: ipse est Dominus et panis, ipse hortatur nos ut comedamus. At ipse noster est cibus: quantum dilataveris, tantum accipies." Hæc ille. Cui conjecturam attexit Duvalius, Sorbona sua dignam: "Amalarium illum una cum Joanne Scoto fuisse Berengarii præcursores, et veluti antesignanos; quorum errorem nostri (sic enim illi appellare libuit) Eucharistomastiges jamdudum sopitum et extinctum ab orco suscitaverint."

[d] Flodoard. lib. 3. cap. 21.

Digitized by Google

Habebat in bibliotheca sua Faber librum Prudentio illo, de quo diximus, Trecensi sive Tricassino episcopo contra Johannis Scoti dogmata conscriptum: cujus hoc erat initium.

> In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:
> Prudentius, famulus Christi familiæque ejus.

"Blasphemias tuas, Joannes, atque impudentias, quibus in Dei gratuitam gratiam justitiamque inflexibilem procax inveheris; percurso tuæ perversitatis libro, quem sub nomine cujusdam Gothescalci adversus omnes Catholicos effudisti, &c." Inde collegit vir doctissimus, Gotteschalci sectatorem fuisse Johannem, et contra utrumque a Prudentio Trecensi, quem ille eundem cum Floro arbitratus est, librum illum fuisse editum. Atqui ab authore illo secundæ ad Lugdunenses epistolæ, inter eos qui contra Gotteschalcum scripsere, numeratur Johannes Scotus: idque liber ipse demonstrat, in quo disputatio extat adversus "Gottescalcanam (ut ille vocat) hæresim, prædestinationibus necessitates inferentem." Doctrinam vero, quam in Gotteschalco oppugnabant adversarii, et a Prudentio et a Floro fuisse propugnatam, suo loco ostendemus.

In aversa autem primi folii dicti libri manuscripti pagina, alia manu censura hæc a nescio quo adscripta fuerat. "Hic liber, qui quasi ad defensionem fidei contra infidelitatem loquitur, et Catholicorum nomina profert, caute legendus est; et in ejus lectione apostoli est sequenda sententia, qua dicit: *omnia probate, quod bonum est tenete.* Nam compositor ejus Prudentius de quibusdam ecclesiasticis dogmatibus non sensit catholice; sicut alia ejus scripta demonstrant." Unde factum videtur ut in hisce scriptis "quædam animadversione dignissima" occurrere, Faber dixerit. "Sed hoc judicium", ait Nicolaus[e] Camuzatius, cui codex ille manuscriptus a Fabro communicatus est, "tanti viri sanctimoniam, limatamque et sanam doctrinam minuere non debet, ex alicujus fortasse ca-

[e] Camuzat. in promptuario antiquitatum Tricassinæ diœcesis.

Digitized by Google

pite profectum cujus non erat ea doctrinæ capacitas, ut operibus D. Prudentii perlegendis pervidendisque sufficeret; quæ mysteriis, e reconditissimis theosophiæ adytis ac penetralibus petitis, refertissima sunt: quod perspicue palam erit, cum memoratus liber e tenebris in lucem prodierit."

Porro ut Gotteschalco (quod ex Walafrido Strabo[f] observavimus) Fulgentii, et Johanni Scoto (quod in Honorio de illustribus Ecclesiæ scriptoribus notavimus) Chrysostomi: ita et animum meum ea aliquando subiit cogitatio, quam doctissimo Fabro placuisse video, Floro inditum fuisse nomen Prudentii: ob studii videlicet similitudinem, vel imitationem exempli. Habentur enim non Flori[g] solum sed etiam Prudentii[h] nomine versus editi: qui ostendunt in sacris poematis pangendis Trecensem nostrum episcopum Aurelii Prudentii, popularis sui, (Hispanus enim fuit uterque) exemplum sequi voluisse. Verum re melius perpensa, in eam concessi sententiam, quam a viro eruditissimo Jacobo Sirmondo[i] postea confirmatam fuisse gaudebam, diversa eodem tempore adversus eundem Scotum prodiisse scripta: a Prudentio Trecensi unum adhuc ineditum; a Floro Lugdunensi alterum, quod Ecclesiæ Lugdunensis nomine in bibliotheca patrum excusum extat.

Ab eodem quoque Floro scriptum commentarium in Psalterium, in Haffligemiensi cœnobio (inter Bruxellam et Alostum posito) manuscriptum extitisse, in indice manuscriptorum codicum Belgii, ostendit Johannes Bunderius: unde illud in Psalmo octogesimo adversus Amalarium a Fabro citatum est testimonium. Addit in indice authorum chronologico Margarinus Bignæus, legisse in manuscripto codice per-

[f] Vide supra pag. 39.

[g] Drepanii Flori poemat. tom. 8. biblioth. patr. edit. Paris. tom. 5. part. 3. edit. Colon.

[h] Camuzat. promptuar. antiquit. Tricassin. et Caspar. Barthii adversar. lib. 8. cap. 11.

[i] Jacob. Sirmond. not. in tom. 1. Concilior. Galliæ pag. 596. et tom. 3. pag. 681.

Digitized by Google

antiquo, illum " adfuisse concilio Carisiacensi temporibus Caroli Calvi, et scripsisse contra Amalarium Lugdunensem." Qui acta concilii vidit, sub[k] Ludovico Pio habitum illud fuisse refert: quorum utrumque verum esse potest. Nam anno octingentesimo trigesimo septimo, in generali conventu apud Carisiacum, Carolum a patre Ludovico imperatore regem Neustriæ coronatum fuisse docent historici[l]: quo tempore, vel saltem ante mortem Ludovici (quæ anno quadringentesimo quadragesimo secuta est) habitum est generale illud Galliarum concilium apud Carisiacum, in quo Amalarii hujus de corpore et sanguine Domini deliramenta ab episcopis sunt damnata. Quæ si Duvalius habuisset perspecta; intellexisset ille profecto, Metusiastarum suorum potius et Synusiastarum, quam Berengarii et antiquæ de Sacro-sancta Eucharistia doctrinæ assertorum, præcursorem habendum fuisse Amalarium. Verum ista loci non sunt hujus: et a nobis perstricta sunt alibi.[m]

Ad epistolam redeo, quam ad Amalarium hunc Hincmarus scripsit: in qua, post expositam Gotteschalci in synodo tam Moguntina, quam Carisiaca condemnationem " ad[n] singulas illius propositiones, suas et quorundam qui cum eo similiter sentiebant, responsiones" subjunxit. Quæ quoniam a Remigio, in responsione ad illam epistolam diligenter sunt expensæ: horum duorum nobilium athletarum certamen, lectoribus hic spectandum exhibemus.

De Prædestinatione et libero arbitrio, Hincmari Remensis, et Remigii Lugdunensis archiepiscopi, conflictus.

HINCMARUS.

Dicunt, et firmiter credunt, qui sanius apud nos sapere videntur, quia Dominus " omnes[o] homines vult salvos fieri" (secundum apostolum) qui neminem vult perire, licet

[k] Phil. Mornæus de Missa, lib. 4. cap. 8.

[l] Annal. Francor. a Phitæo edit. (pag. 41.) Vit. Ludovici Pii, ab eodem edit. (pag. 271.) Nithardus, histor. lib. 1. (ibid. pag. 309.)

[m] Respons. ad Provocationem quandam Jesuiticam: in historia controversiæ Sactamentariæ. Op. tom. 3. pag. 81.

[n] Eccles. Lugdunensis de trib. epistolis, pag. 1065. G.

[o] 1 Tim. cap. 2. ver. 4.

Digitized by Google

non omnes salventur. Nam et "lux[p] in tenebris lucet, licet eam tenebræ non comprehendant." Et Christus pro omnibus passus est, (secundum eundem apostolum scribentem ad Timotheum; "Qui[q] dedit semetipsum redemptionem pro omnibus") licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur. Quia effusio justi sanguinis Christi tam dives fuit ad pretium mundi, ut si universitas captivorum in eundem crederet, nullus sub mortis imperio remaneret. Et quia non omnes tam ditissimo pretio redimuntur, ad infidelium respicit partem, non ad pretium sæculi copiosum.

REMIGIUS.

Hunc sensum apostoli verborum, quibus ait, "Qui[r] vult omnes homines salvos fieri," fideliter posse accipi dicimus. Si tamen et ille sensus beati Augustini, quem ille, juxta alterius divinæ Scripturæ auctoritatem, diligenter inquirit et multis ac veracibus modis exponit, pariter recipiatur: nec propter istum ille damnetur, sed potius utrique sensui, propter veracem et piam patrum auctoritatem, fideliter obediatur. Quia omnino, et quos vere vult Deus salvos fieri, sine dubio salvos facit, qui, ut Scriptura testatur, "omnia[s] quæcunque voluit fecit;" et si cæteros ita vult salvos fieri, ut tamen non eos salvos faciat, sed omnino perire permittat: utrumque hic evidenter apparet, et erga creaturam suam scilicet bonitas creatoris, et erga ejusdem creaturæ iniquitatem severitas judicis.

Quid autem Dominum nostrum etiam pro impiis, in sua impietate perituris, esse mortuum uno similiter apostoli testimonio confirmare videtur, quo ait, "Qui[t] dedit semetipsum redemptionem pro omnibus:" profecto non recoluit, nec diligenter consideravit, ita hæc apostoli verba esse accipienda, ut consonent Domini verbis, quibus se in evangelio ad hoc venisse dicit, "ut[u] animam suam daret redemptionem pro multis;" et de pretio sui sanguinis

[p] Joh. cap. 1. ver. 5.
[q] 1 Tim. cap. 2. ver. 6.
[r] 1 Tim. cap. 2. ver. 4.
[s] Psal. 115. ver. 3.
[t] 1 Tim. cap. 2. ver. 6.
[u] Matt. cap. 20. ver. 28.

Digitized by Google

similiter ait, " Qui[v] pro vobis, et pro multis, effunditur in remissionem peccatorum." Et[w] ideo ita vere accipiendum est, quod apostolus ait, " Qui[x] dedit semetipsum redemptionem pro omnibus;" ut isti omnes intelligantur multi: sicut et alibi idem apostolus dicit; " Sic[y] et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata." Qui etiam alio loco, quos dixit omnes, eosdem continuo exposuit intelligendos esse multos. Cum enim dixisset de Domino, quod " per[z] unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ," subjunxit; " Quia et per obedientiam unius hominis, (ipsius videlicet Domini Jesu Christi,) justi constituentur multi." Quia, ut omnino manifestum est, ita per eum omnes homines efficiuntur justi, ut ipsi, qui in suo genere omnes sunt, ex comparatione alterius generis eorum, qui propter infidelitatem suam non justificantur, potius multi sint.

Quod et si aliqui patrum omnibus omnino hominibus Dominum passum intellexerunt: honoretur et iste velut pius sensus; dummodo ille prior, qui est certissimus, et divina veritate firmatus, nulla præsumptione contemnatur, vel quod est gravius, damnetur. Nam et illud testimonium, vel ut ad confirmationem hujus rei ex evangelio desumptum, id est, " Lux[a] lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt;" non nobis videtur incongruum esse huic assertioni. Quia lux illa præsentia majestatis suæ in tenebris lucens, id est, in infidelium cordibus majestate conditoris suam præsentiam exhibens, operatur aliquid in eis; etsi ut non videant ipsam, tamen ut videant aliquid per ipsam, id est, ut intelligant inter justa et injusta, inter bonum et malum, inter agendum et non agendum, ut sint inexcusabiles in die quo judicabit Deus occulta hominum. Quæ tamen lux non a facie illis resplendet, quia non ad eam attendunt; sed velut a tergo eis relucet: quia, sicut propheta dicit; " verterunt ad eam tergum, et non faciem."

Sed et illam B. Leonis sententiam, licet ex parte aliis

[v] Matt. cap. 26. ver. 28.
[x] 1 Tim. cap. 2. ver. 6.
[z] Rom. cap. 5. ver. 18, 19.
[b] Jerem. cap. 2. ver. 27.
[w] Luc. cap. 22. ver. 20.
[y] Heb. cap. 9. ver. 28.
[a] Joh. cap. 1. ver. 5.

Digitized by Google

verbis et alio forsitan sensu positam, quasi hoc vir ille senserit, quod etiam pro impiis in sua impietate perituris Dominus Christus mortuus sit, manifesta veritas non ita intelligendam ostendit. Ait namque ille: "Effusio[c] pro multis sanguinis justi tam potens ad privilegium, tam dives fuit ad pretium: ut si omnes in eum crederent, nullum tyrannica vincula retinerent." Vere enim pretiosus sanguis ille et potens extitit ad privilegium, ut omnes possit redimere; et dives ad pretium, ut nullum tyrannica, id est, diabolica vincula retinerent, nisi qui ab ejus fide alienus existeret. Et ideo in tanta quæstione non sunt proponenda incongrua, non sunt asserenda superflua: ut in simplicitate et sinceritate Dei instruantur, et non in vanitate sensus nostri, hi qui nos audiunt, illudantur.

HINCMARUS.

Dicunt, quia qui omnes homines vult salvos fieri, et neminem vult perire, et qui pro omnibus passus est, neminem prædestinavit ad interitum vel ignem æternum: sed ex massa peccati quosdam sicut præscivit, prædestinavit, (id est, gratia præparavit) ad vitam et regnum; et illis vitam ac regnum prædestinavit, (id est, gratia præparavit) æternum; evangelio teste, qui dicit: "Venite[d] benedicti," id est, de prima maledictione, gratia erepti, electi, et prædestinati; "percipite regnum quod vobis paratum est," id est, quod vobis prædestinatum est, "ab origine mundi."

REMIGIUS.

Quod dicitur, "quia qui omnes vult salvos fieri et neminem vult perire, et qui pro omnibus passus est, neminem prædestinaverit ad interitum vel ignem æternum;" apertissime contrarium est fidei: qua vere et fideliter creditur et definitur, quod omnipotens Deus omnia opera sua, quæ erat ipse facturus, (quæ utique nunquam esse possunt, nisi justa et recta: sicut in Psalmo canitur; "Justus[e] Do-

[c] Leo, de Passione Domini, serm. 12. cap. 3.
[d] Matth. cap. 25. ver. 34. [e] Psal. 145. ver. 17.

Digitized by Google

minus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis,") ante omnia secula, et verissime præscierit futura, et immobiliter prædestinaverit, statuerit et præfinierit futura. Justa quippe impiorum et iniquorum in æterna morte atque in æterno igne damnatio, opus est proculdubio justi judicii Dei qui reddet unicuique secundum opera ejus. Et idcirco semper apud eum extitit, et vere præscitum, et juste prædestinatum, qui (attestante propheta) "fecit[f] quæ futura sunt." Nam si hoc in æterna ejus præscientia et prædestinatione non fuisset: numquam ejus opus esset, nunquam temporaliter fieri potuisset. Quia omne opus suum ille præsciendo et prædestinando prævenit; et ideo nihil est in ejus operibus futurum, quod ipse non præscierit et prædestinaverit se esse facturum.

Deinde contrarium est etiam doctrinæ et definitionibus sanctorum patrum: qui in utramque partem, tam videlicet electorum quam reproborum (quia et illorum glorificatio, et istorum condemnatio justum Dei opus est) divinam prædestinationem ponere non dubitant. Et ideo multum necesse est, ut agnoscant, qui ita sentiunt, manifestam fidei veritatem, et fundatissimam beatorum patrum auctoritatem: et quod eis nullatenus expedit, non spernant neque abjiciant illos, de quibus Dominus ait; "Qui[g] vos audit, me audit, et qui vos spernit me spernit."

Quod si ideo eis videtur absurdum, quia omnipotens Deus reprobos prædestinaverit ad interitum et ignem æternum, quoniam velut incredibile videtur, ut qui omnes vult salvari, et qui pro omnibus mortuus creditur, aliquem eorum prædestinaverit ad damnationem: recogitent attentius, quia etsi illa verba apostoli simpliciter intelligantur, quibus de Deo dicit, "Qui vult homines salvos fieri;" duobus modis hoc Deum agere certissimum est. Dum alios ita vult salvos fieri, ut ipse omnino faciat salvos sicut omnes electos: alios vero ita velit salvos fieri, ut eos omnino non salvet, sed in æternum perire permittat, sicut utique omnes reprobos; quos juxta hunc sensum, et ut benignus creator salvari voluit, et ut justus judex æternæ per-

[f] Esai. cap. 45. ver. 11. secundum LXX. [g] Luc. cap. 10. ver. 16.

Digitized by Google

ditioni tradidit. Sicut ergo et bonitatem suam eis ostendit, quia eos salvari voluit; et tamen bonitas ejus non impedivit severitatem ejus, qua eos juste damnavit: ita eadem bonitas ejus nullatenus impedivit prædestinationem ejus justitiæ; dum quos ille salvos fieri voluit, et iniquos futuros semper præscivit, et in iniquitate sua permansuros, juste et ad interitum prædestinavit.

Ita, etsi " pro omnibus" etiam in sua impietate perituris, " Christus mortuus est:" sic eis exhibuit bonitatem passionis suæ, ut tamen hujusmodi impios, in sua impietate permansuros, justo suo judicio condemnaverit; sicut ipse ait. " Qui[h] non credit, jam judicatus est." Et ideo bonitas ejus, quia etiam pro talibus passus creditur, non evacuavit erga eos prædestinationem ejus: quia eos semper, et præscivit in sua impietate permansuros, et prædestinavit juste perituros.

Quicquid ergo post ista, in his verbis, de æterna prædestinatione sanctorum dicitur, ad regnum et vitam æternam; catholice et fideliter dicitur: quia sine dubio tam pium et tam gloriosum opus suum, et æternaliter Omnipotens præscivit futurum, et æternaliter prædestinavit se esse facturum.

HINCMARUS.

Quosdam autem, sicut præscivit, non ad mortem neque ad ignem prædestinavit: sed in massa peccati et perditionis juste deseruit; a qua eos prædestinatione sua (id est, gratiæ præparatione) occulto, sed non injusto, judicio nequaquam eripuit.

REMIGIUS.

Mirum valde est, quomodo negare contendunt, eum æternam ipsorum damnationem prædestinasse, quos jam ab ipso mundi exordio cum primus homo peccavit, et omne humanum genus ex se propagandum unam massam damnationis et perditionis fecit, manifeste dicant in eadem damnationis et perditionis massa justo Dei judicio depu-

[h] Joh. cap. 3. ver. 18.

Digitized by Google

tatos et derelictos. Quid est enim massa damnationis et perditionis ab initio mundi divino judicio effecta; nisi eodem divino judicio æternæ damnationi et perditioni destinata et tradita? Si enim tantummodo præscita est ad æternam damnationem et perditionem; nullum ibi adhuc est divinum judicium. Et quomodo tales in massa damnationis et perditionis divino judicio relicti esse dicuntur: si in hac parte nihil adhuc de illis divino judicio est definitum? Sin autem, (sicut omnino, etiam eorum consensu et confessione, verum est) hæc massa non solum præscita est, sed etiam judicata: quid aliud intelligi potest, nisi omnino ad eandem damnationem et perditionem prædestinata? Quod enim vere et divina præscientia prænotum, et divino judicio est decretum, constat omnino esse prædestinatum.

HINCMARUS.

Quia, sicut exponit Augustinus, "Prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia autem est vitæ donatio," id est, "prædestinationis effectus."

REMIGIUS.

Ille ita dixit: "Prædestinatio est gratiæ præparatio;" gratia vero "est jam ipsa donatio." Et post aliqua (ut distingueret inter istam prædestinationem gratiæ quæ proprie electorum est, et prædestinationem damnationis et vindictæ, quæ proprie est reproborum) subjunxit dicens: "Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio; gratia vero est ipsius prædestinationis effectus." Atque ita luculente ostendit, aliter intelligendam esse prædestinationem Dei quæ in bono est bonis, id est, electis; ubi veræ divinæ erga eos gratiæ est præparatio, et hujus prædestinationis effectus est ejusdem divinitus præparatæ gratiæ jam ipsa donatio; et aliter intelligendam prædestinationem Dei quæ in malo est malis, id est, reprobis, quæ e contrario nihil est aliud, nisi æternæ præ-

Digitized by Google

destinationis[1] eorum præparatio. Cujus omnino effectus est, jam ipsa damnatio. Ita venerabilis doctor æternam prædestinationem Dei in utrumque distribuit: ut et in bono sit bonis, et in malo malis; dum et illis per eam æterna gratia, et istis per eam æterno Dei consilio æterna damnatio præparatur.

HINCMARUS.

Et beatus Prosper, in hac re sancti Augustini expositor, cum cæteris orthodoxis concordans patribus dicit: "Non est prædestinatio, nisi quod ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ."

REMIGIUS.

Hoc ita omnino rectissime intelligendum est, ut divina prædestinatio non ita credatur alicui esse in malum, ut eum malum esse compellat, quod absit. Sed quod omnibus et electis et reprobis vel ad donum pertineat gratiæ vel ad retributionem justitiæ. Ad donum gratiæ electis, et ad retributionem justitiæ reprobis: dum et electi gratia salvantur, et reprobi justitia puniuntur. Iste est enim plenissimus et verissimus divinæ prædestinationis effectus; non tantummodo electos præordinans ad æternam gloriam, sed etiam reprobos præordinans ad æternam pœnam. Sic itaque B. Prosper cum cæteris orthodoxis patribus sensit, et cum beato scilicet Augustino (cujus de prædestinatione divina non fallaciter sed fideliter verba ponit atque exponit) et cum aliis qui de eadem fide atque eodem sensu ipsius divinæ prædestinationis immobilem veritatem et æquitatem in utramque partem (et electorum videlicet, et reproborum) veraciter intellexerunt, et firmissime definierunt.

Quod si scriptor epistolæ eos tantummodo putat orthodoxos, qui in damnatione reproborum divinam solummodo præscientiam, et non etiam prædestinationem credunt: ergo et beatum Augustinum, et beatum Fulgentium, et ipsam

[1] *perditionis.*

Digitized by Google

fidei ecclesiasticæ solidissimam veritatem hæretici erroris denotatione infamat. Et ad tantum malum hæc pertinacia contentionis perducta est, ut (quod nemo digne dolere potest) jam apud illos qui prave sentiunt orthodoxi, et qui orthodoxe sapiunt hæretici putentur. Quod malum vehementer nobis cavendum propheta denunciat, dicens: " Væ[k] qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum.

HINCMARUS.

Qua de re refugiunt dicere qui (ut diximus) sanum videntur sapere, quosdam prædestinatos a Deo esse ad interitum, sed tantummodo præscitos. Electos autem præscitos et prædestinatos esse ad regnum, et regnum illis, (ut diximus) prædestinatum æternum; de quibus nullus potest perire. Et sicut sunt prædestinati gratia Dei ad regnum, ita sunt prædestinati, secundum apostolum, " in[l] operibus bonis, in quibus ambularent:" pro quibus eis non solum gratia detur, sed et gratia regnum reddatur æternum. Pœnam autem dicunt in infidelitate et iniquitate perseverantibus a Deo prædestinatam secundum divinam præscientiam: sicut scriptum est in propheta; " Præparata[m] est ab heri Tophet," quia ad retributionem justitiæ pertinet; sicut pertinet ad gratiam, ut ex una eademque massa peccati, gratia electi prædestinentur ad vitam. Concordante cum hoc evangelica veritate: " Ite[n]" inquit, " maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus."

REMIGIUS.

Quæsumus, quæ est ista res, quæ causa et ratio pro qua isti refugiunt prædestinationem Dei dicere in damnatione reproborum? Numquid hæc erga illos divina prædestinatio non est justa, quæ, quos præscivit in iniquitatibus permansuros, prædestinavit æternis suppliciis perituros? Num-

[k] Esai. cap. 5. ver. 20.
[l] Ephes. cap. 2. ver. 10.
[m] Esai. cap. 30. ver. 33.
[n] Matt. cap. 25. ver. 41.

Digitized by Google

quid non est vera, quæ, nisi decerneret tam justum opus Dei in æternitate, numquam impleri posset in tempore? Numquid non est a sanctis patribus prædicata, et ab Ecclesia Catholica recepta? Quid ergo causæ est, ut refugiamus credere quod fides tenet, refugiamus dicere quod veritas docet? Numquid non etiam ipsi qui hæc refugiunt, jam omnes reprobos, ab ipso mundi exordio in massa damnationis et perditionis asserunt derelictos? Quod quid est aliud (ut supra ostendimus) nisi æternæ damnationi et perditioni prædestinatos? Aut qua ratione dici potest quod isti tam multiplici sermone firmare conantur; iniquis et impiis in malis suis perseveraturis pœnas a Deo esse prædestinatas, ipsos vero non esse prædestinatos pœnis? cum utique non alii, sed illi omnino eas passuri sint, quibus sunt prædestinatæ? Et si certum est apud omnipotentem Deum, qui eas sint passuri; sine dubio et decretum, et definitum sit ipsos esse passuros. Sicut enim certas pœnas eis qui digni sunt prædestinavit: ita certissime eosdem, quia digni sunt, ipsis pœnis prædestinavit. Sicut vero injustus non est, dignis præparando pœnas; sic proculdubio justus est, dignos præordinando pœnis. Utrumque ergo præscitum, utrumque prædestinatum, quia utrumque justum, manifesta veritas declarat. Nec necessitatem eis pereundi sua præscientia vel prædestinatione imponit, quos et diu ut converterentur expectavit; et quia converti noluerunt, justa ultione damnavit.

HINCMARUS.

Quod et beatus Petrus in epistola sua distincte loquens demonstrat, cum dicit: "Novit[o] Deus pios de tentatione eripere, iniquos autem in die judicii cruciandos reservare." "Novit" enim verbum præscientiæ Dei ad universa hæc facit: videlicet et ad prædestinationem piorum, quæ verbo ereptionis innuitur; et ad significationem pœnæ prædestinatæ, cum in fine cruciandos impios monstrat, quando reddet unicuique secundum opera sua. Et ad discretionem;

[o] 2 Pet. cap. 2. ver. 9.

Digitized by Google

iniquos non dicit Dominum ad pœnarum cruciatus prædestinare, sed juste desertos cruciandos reservare. Et aperte monstratur, quia præscientia sine prædestinatione esse potest; prædestinatio autem sine præscientia esse non potest. Quo circa sola præscientia viget in reprobis, in quibus misericordia juste nil operatur ad donum gratiæ: præscientia autem et prædestinatio, id est, gratiæ præparatio misericorditer operantur in electis qui prædestinantur ad regnum, et quibus regnum prædestinatur æternum, quod ad donum pertinet gratiæ. Et præscientia simul et prædestinatio æque ac justissime operantur in prædestinatione pœnæ reproborum, quæ pertinet ad retributionem justitiæ.

REMIGIUS.

Hæc sententia beati Petri apostoli non proprie de præscientia et prædestinatione divina, sed simpliciter nobis accipienda videtur. Ait namque: "Novit[p] Dominus pios de tentatione eripere: impios autem in die judicii cruciandos reservare." Id est, Novit ille alta et secreta dispositione sapientiæ suæ pios in præsenti vita (periculis et tentationibus plena) laborantes, sua gratia, sua protectione eripere: cui quotidie ipsi dicunt; "Ne[q] nos inducas in tentationem;" ne aut prosperitatibus hujus sæculi illiciantur, aut adversitatibus frangantur. Et e contrario, impios in hoc sæculo florentes, et in sua impietate velut prospere agentes, nequaquam sua inscitia negligere, nequaquam impunitos dimittere; sed quos videtur quasi injuste in suis cupiditatibus et delectationibus carnalibus securos et lætos relinquere, eosdem potius futuro suo judicio et æternis cruciatibus reservare: ut quanto hic licentius et amplius prosperantur, tanto ibi durius et atrocius puniantur. Potest tamen in istis postremis verbis ubi ait; "impios vero in die judicii cruciandos reservare;" aliquid divinæ præscientiæ et prædestinationis erga eosdem impios velut ex latere intelligi. Quia quos occulto et justo judicio suo ad æternos reservat cruciatus, et præscivit sine

[p] 2 Pet. cap. 2. ver. 9. [q] Matt. cap. 6. ver. 13.

Digitized by Google

dubio, et prædestinavit perpetuo cruciandos. Quæ verba apostoli cum ita et verius et rectius intelligantur; nihil necesse est velut ex eorum auctoritate tam multipliciter de ea re loqui, quæ hujus sententiæ attestatione non valet approbari, sed potius falsa et supervacua demonstrari.

HINCMARUS.

Aliqua etiam exempla quæ illorum stultitia (ad munimen sui, eadem male intelligendo, proferens) profert, sicut modo ad memoriam occurrunt, sapientiæ vestræ scribo. Proferunt ex apostolo, "vasa[r] iræ aptata vel perfecta ad interitum;" dicentes vasa esse prædestinata ad interitum, et mutari non posse. Sed aliter alii intelligunt: maxime cum idem dicat apostolus de eisdem vasis, "Si[s] quis emundaverit se ab istis," videlicet pro quibus vas contumeliæ fuerat, "erit vas in honorem."

REMIGIUS.

Hæc testimonia scripturarum, quæ ab illo miserabili monacho, et ab aliis nescimus quibus qui cum eo sentiunt, ad confirmationem divinæ præscientiæ et prædestinationis dicuntur esse prolata, non negligenter et quasi transeuntur omittenda, sed potius diligenter et fideliter juxta regulam veritatis singillatim videntur esse tractanda: ne forte parum attendentibus, et non intelligentibus, nihil ad rem de qua agitur pertinere videantur; aut velut levia et nullius momenti absque periculo præteriri posse existimentur. Est enim certissimum et manifestissimum hujus rei testimonium ex apostolo sumptum: quia ut ipse dicit; "Sustinuit[t] Deus in multa patientia vasa iræ aptata vel perfecta in interitum; ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam." Vere etenim "vasa iræ," id est, justæ vindictæ Dei (quam meruit primæ transgressionis culpa) omnes reprobi sunt; qui in fine non ereptionem misericordiæ, sed iram damnationis sensuri sunt. Et hæc "vasa iræ" non ad misericordiam sed ad judicium præordinata, jam et suo merito et divino judicio,

[r] Rom. cap. 9. ver. 22.
[s] 2 Tim. cap. 2. ver. 21.
[t] Rom. cap. 9. ver. 22, 23.

Digitized by Google

"et aptata et perfecta sunt in interitum:" ut suo præcedente merito, et divinæ prædestinationis justo præcedente judicio, quia noluerunt converti ad bonum, æternum patiantur malum. Non ergo quia non potuerunt, sed quia noluerunt de malo converti ad bonum, justum patientur supplicium. Sicut e contrario vere vasa misericordiæ sunt omnes electi, qui nullo suo præcedente merito, sed sola Dei misericordia, a massa perditionis discreti, divina prædestinatione sunt vasa præparata in gloriam.

Unde et illud quod alibi idem dicit apostolus, "Si quis autem se emundaverit ab istis, erit vas in honorem;" nullo modo huic tam claræ et manifestæ divinæ prædestinationis in utramque partem, tam electorum videlicet quam reproborum (si diligenter ex superioribus verbis apostoli consideretur) contrarium, sed omnino concors et consonum invenitur. Ait namque: "In[u] magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam." Et ita subjunxit: "Si quis autem emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino." Manifestissime itaque constat, quod quæ in illis verbis dixerat "vasa iræ aptata" sive "perfecta in interitum," et e contrario "vasa misericordiæ præparata in gloriam;" ea omnino dicit hic, "quædam in honorem, et quædam in contumeliam:" in honorem vasa misericordiæ, in contumeliam vasa iræ. Sed cum ibi prædestinationem tantummodo utriusque partis, id est, electorum et reproborum, simpliciter commendaverit: hic adjungit etiam exhortationem, quam attente vasa misericordiæ debeant se custodire et segregare ab immunditiis vasorum iræ, cum dicit; "Si quis autem emundaverit se ab istis, erit vas in honorem, &c." Id est, Si quis emundaverit se ab istis vasis iræ, vasis in contumeliam, vel ab eorum immunditiis, si aliquando in eis fuit, sollicite se extrahendo, vel nunquam eis se admiscendo, et immaculatum se ab hoc seculo custodiendo, erit vas in honorem sanctificatum, id est, ipso emundationis et sanctificationis suæ effectu atque profectu demon-

[u] 2 Tim. cap. 2. ver. 20, 21.

Digitized by Google

strabit se ad vasa misericordiæ et ad vasa honoris et gloriæ pertinere.

Unde non hoc significat in his verbis apostolus, quod "vasa iræ et contumeliæ" id est, divino judicio reprobi et reprobati, possint effici "vasa misericordiæ, et honoris et gloriæ," id est, in sortem electorum transire, sicut scriptor hujus epistolæ intellexit: (cum omnino reprobi, qui divinitus præsciti sunt in suis iniquitatibus permansuri, nullatenus possint merito perseverantissimæ iniquitatis suæ in societate electorum censeri; sicut regula catholicæ fidei indubitanter tenet et docet:) sed ut unusquisque fidelium, sicut jam dictum est, ipsa fidei et justitiæ sanctificatione probet et declaret sese ad vasa misericordiæ et electionis pertinere. Duo namque sunt quibus velut quodam signaculo probantur et agnoscuntur electi Dei: scilicet æterna divinæ gratiæ præordinatio, ut ex manifesta luce justitiæ et sanctitatis manifestetur in eis veritas divinæ electionis. Sicut ipse apostolus paulo superius ostendit, dicens: "Sed[w] firmum fundamentum Dei stetit, habens signaculum hoc; Cognovit Dominus qui sunt ejus, et discedat ab omni iniquitate omnis qui nominat nomen Domini." Quod ergo cognovit Dominus qui sunt ejus, æterna electio est: ut autem discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini, certa ipsius electionis probatio est.

HINCMARUS.

Proferunt; "Qui[x] non credit, jam judicatus est," id est prædestinatione Dei jam damnatus est. Et[y] Augustinus in libro de Agone Christiano dicit: "Qui non credit, jam judicatus est, id est, jam damnatus est. Præscientia utique Dei; qui novit quid immineat non credentibus."

REMIGIUS.

Secundo loco testimonium divinæ prædestinationis de evangelio ponitur; "Qui non credit, jam judicatus est."

[w] 2 Tim. cap. 2. ver. 19.
[x] Joh. cap. 3. ver. 18.
[y] *al.*

Digitized by Google

Quod videlicet omnes impii et increduli jam sunt divina prædestinatione damnati. Quia videlicet, si eorum damnatio justum divini judicii opus est, sine dubio opus suum semper apud Deum et præscitum et prædestinatum est. Sed scriptor epistolæ nolens damnationem incredulorum ad divinam prædestinationem, sed tantummodo ad præscientiam pertinere, subjungit verba beati Augustini, quibus quasi hoc probare videatur. Ait namque ille in libro de Agone Christiano, memorans verba evangelii: "Qui non credit jam judicatus est, id est, jam damnatus est, præscientia utique Dei, qui novit quid immineat non credentibus." Eo quod non dixerit sanctus doctor, jam damnatus est prædestinatione Dei, sed præscientia Dei: nec dixerit, qui statuit aut præfinivit sive prædestinavit, sed qui novit, inquit, quid immineat non credentibus; quasi omnipotens Deus aliquid operum suorum præscierit futurum, quod non prædestinaverit se esse facturum: aut cum in operibus ponitur præscientia Dei, non statim certissime intelligi debeat et prædestinatio Dei. Quia sicut nihil operum suorum prædestinavit, quod non præscierit; ita quicquid eorum præscivit, sine dubio etiam prædestinavit. Nihil omnino in operibus ejus est injustum aut iniquum, ut digne tantummodo præsciretur, et non prædestinaretur: sed quia totum est justum et rectum, totum est omnino præscitum, totum omnino prædestinatum. Unde idem beatus Augustinus, qui in hoc loco dicit incredulos jam divina præscientia damnatos; alibi cum tractaret verba Domini dicentis ad quosdam, "Sed[a] vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis:" eosdem testatur divino judicio ad æternam mortem prædestinatos, ita dicens. "Quomodo ergo istis dixit, Non estis ex ovibus meis? quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos." Ecce et in illis verbis Domini quibus ait, "Qui non credit jam judicatus est;" et in istis quibus dixit. "Sed vos non creditis quia non estis ex ovibus meis;"

[a] Joh. cap. 10. ver. 26.

Digitized by Google

utrobique increduli et infideles designati sunt. Et quos in illa sententia sanctus doctor dixit, divina præscientia jam damnatos, in ista eosdem dixit ad æternum interitum prædestinatos: non quia alii ex eis divina præscientia et alii divina prædestinatione damnati sunt; sed quia divini judicii virtute qua tales damnantur, sicut et in omni opere divino, utrumque simul intelligendum sit, etsi non ubique, quia nulla exigit necessitas, simul dicendum.

HINCMARUS.

Proferunt: " Induravit[a] cor Pharaonis. Tradidit[b] illos in reprobum sensum. Immittet[c] eis spiritum erroris. Tu[d] vero, Deus, deduces eos in puteum interitus. Qui[e] transgreditur a justitia ad iniquitatem; Deus paravit illum ad romphæam."

REMIGIUS.

Tertio loco testimonium de Exodo ponitur, " Induravit[f] Dominus cor Pharaonis." Quod manifeste non ad præscientiam vel prædestinationem futurorum, sed ad præsens Dei judicium pertinet, qui eum, quem tali pœna judicavit, justo judicio induravit.

Similiter et quartum testimonium intelligendum est. Scilicet non de præscientia aut prædestinatione, sed præsenti justo judicio Dei quod apostolus dicit: " Tradidit[g] illos Deus in reprobum sensum."

Et quintum, ubi ait: " Mittet[h] eis Deus operationem erroris." Quia (ut dictum est) quos dignos tali pœna judicavit, vel in reproborum sensum tradidit, vel eis suo justo judicio operationem erroris immisit.

Similiter et sextum accipiendum est: " Tu[i] vero Deus deduces eos in puteum interitus." Puteus namque interitus est, ut beatus Augustinus exponit, tenebræ erroris,

[a] Exod. cap. 9. ver. 12.
[b] Rom. cap. 1. ver. 28.
[c] 2 Thess. cap. 2. ver. 11.
[d] Psalm. 55. ver. 23.
[e] Ecclus. cap. 26. ver. 27.
[f] Exod. cap. 9. ver. 12.
[g] Rom. cap. 1. ver. 28.
[h] 2 Thess. cap. 2. ver. 11.
[i] Psalm. 55. ver. 23.

Digitized by Google

tenebræ summersionis. Deducit vero Deus reprobos in hunc puteum; non quod ipse sit auctor culpæ ipsorum, sed quod ipse sit judex iniquitatis eorum. Quod etiam si quis de puteo infernalis damnationis et summersionis eodem sensu velit intelligi: et pertinere potest ad justam prædestinationem interitus reproborum, et non est contrarium veritati.

Quod autem septimo loco ponitur: " Et[k] qui transgreditur a justitia ad iniquitatem, Deus paravit illum ad romphæam," manifeste justam prædestinationem reproborum ad interitum sonat; ut qui suo vitio et suo perverso arbitrio a justitia declinans transgreditur ad iniquitatem, juste divini judicii prædestinatione præparetur ad romphæam, id est, ad æternæ mortis vindictam. De qualibus etiam alibi scriptum est: quod " si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in ea."

HINCMARUS.

Sed isti malevoli, non intelligentes quæ loquuntur vel de quibus affirmant, confundunt præscientiam et prædestinationem.

REMIGIUS.

Propterea malevolos (id est, illum miserabilem monachum, et qui cum eo forsitan sentiunt) confundere præscientiam et prædestinationem divinam arguit, quia (sicut in tota ista responsione laboravit) non vult intelligi prædestinationem nisi in solis electis; in reprobis vero solam præscientiam debere sentiri. In qua assertione non solos istos quos vocat malevolos, sed sanctos patres et doctores Ecclesiæ, qui prædestinationem divinam in utramque partem et intellexerunt et docuerunt, se culpandos affirmare nequaquam considerat.

HINCMARUS.

Et sicut male intelligunt authenticas scripturas, ita et

[k] Ecclus. cap. 26. ver. 27. [l] Esech. cap. 18. ver. 26.

Digitized by Google

pessime verba sancti Augustini in quibusdam locis; sicut in Enchiridion, et in libris de civitate Dei, et alibi etiam, "prædestinatos ad interitum, et populum natum ad iram" dicit.

REMIGIUS.

Quod pessime dicit intelligi verba sancti Augustini, si quis in libro Enchiridion, et in libris de civitate Dei, et in tractatibus evangelii secundum Joannem, ita intelligat prædestinationem reproborum ad interitum; sicut eam ille et scriptis suis per omnes Ecclesias et verbis etiam præsentibus populis simpliciter et veraciter prædicavit; atque ita conatur beatissimi doctoris manifestum et veracem sensum nescimus in quid aliud pervertere et detorquere: quantæ absurditatis, immo quam impiæ præsumptionis sit, quis possit explicare? Per hoc enim non solum sensum ecclesiasticorum patrum, sed etiam fidem Ecclesiæ et auctoritatem scripturæ divinæ a parte evacuare invenitur. Ita namque patres docuerunt; ita Ecclesia fideliter tenet; ita scriptura veritatis veraciter tenendum demonstrat.

HINCMARUS.

Unde etiam postquam de libero arbitrio, et de correptione et gratia, et de perfectione justitiæ hominis, et de prædestinatione sanctorum ad Prosperum et Hilarium (ubi nihil de prædestinatione reproborum, sed de prædestinatione sanctorum dixit) multis postulantibus scripserat; librum Hypomnesticum adversus Cœlestium et Pelagium scripsit de quinque quæstionibus, et hanc sextam loco retractationis superaddidit de prædestinatione. Ubi se excusat non eo sensu dixisse, nec intelligi velle, prædestinatos ad interitum; sed in iniquitate vel impietate perseverantibus pœnam esse prædestinatam. Quarum quæstionum et absolutionum mentionem in libro quem scripsit contra Manichæos ex Genesi facit.

REMIGIUS.

Adjungit rem novam et neque ex lectione, neque ex ve-

Digitized by Google

raci aliqua traditione nobis hactenus comparatam. Quod, scilicet, beatus Augustinus post omnes libros suos scripserit quendam libellum quem Græco vocabulo Hypomnesticῶn[m] nominant, quod latine Memoratorium interpretatur: in quo de quinque quæstionibus contra Pelagium et Cœlestium disputaverit, et quicquid in præcedentibus libris de prædestinatione divina erga damnationem reproborum dixerat, non ita se dixisse, ut ab omnibus dixisse cognoscitur et intelligitur, sed alio absurdissimo et inconvenientissimo sensu; ut per hoc quod dixit impios ad interitum prædestinatos, noluerint intelligi ipsos impios ad interitum prædestinatos, sed (quod nemo credere aut suspicari posset) pœnam eis intelligi voluerit esse prædestinatam. Quis unquam audivit tam pertinacem audaciam, vel tam audacem pertinaciam, ut sanctissimum et veracissimum doctorem ipsum de se fateri compellat, quia quod dixit impios in sua impietate permansuros prædestinasse ad interitum; non dixit, quia veraciter ita sit, sed (quod in ejus verbis nullatenus sonat) pœnam eis intelligi voluerit præparatam? Quis talem absurditatem, immo insaniam, ferre possit? Nos enim manifeste novimus, quia quando libros Retractationum jam senex et morti vicinus scripsit, (in quibus omnes præcedentes libros suos diligenter et fideliter retractavit) nequaquam adhuc istum libellum scripserat. Quia si scripsisset, utique inter alios etiam ejus mentionem fecisset. Manifestum etiam videtur, quia post ejus obitum, quando vitam ipsius et catalogum non solum librorum ejus, sed etiam tractatuum ad populum, et epistolarum ad diversos, quidam sanctus[n] episcopus et alumnus ejus diligentissime recensuit et descripsit; necdum istum libellum scripserat beatus Augustinus. Si enim scripsisset, utique tanquam præcipue necessarius inter alios annumerari, et memoriæ commendari potuisset. Quod si aliquis ex Ecclesiæ rectoribus, qui post ejus obitum extiterunt, simpliciter eum ex titulo qui a sancti Augustini nomine inscriptus est, (non considerata diligentius ratione, nec aliqua necessitate ut id faceret compellente) ipsius eum

[m] Vulgo Hypognosticῶn.

[n] Possidius.

Digitized by Google

esse credidit, cujus in fronte nomen invenit: quid hoc præjudicat veritati? quæ diligenter inquisita et inventa, nullum super hac re errare permittit.

Non ergo tantus doctor veram divini judicii prædestinationem de damnatione reproborum illo Hypomnesticῶn libello negavit, quam ubique in suis scriptis asseruit: sed alius quidam, ut putamus, nova postmodum insurgente calumnia, velut per illam prædestinationem reproborum ad interitum hoc doceret Ecclesia, quasi Deus sua prædestinatione necessitatem imponeret hominibus, et in suis impietatibus permanendi, et in æternum pereundi, subtraxit verbum prædestinationis in parte reproborum: (quod potius, secundum veritatem divini judicii, et diligenter exponi et commendari oportuerat) et solam electorum prædestinationem conatus est asserere, atque ita dum vult illam refutare et removere calumniam, magnam erroris occasionem dedit; ut eadem tam vera et manifesta in damnatione reproborum divina prædestinatio nulla esse crederetur, et tanquam nulla sit negaretur. Quapropter diligenter inquisita et evidenter agnita veritate, cesset contentio et animositas erroris, et suscipiatur libenter atque obedienter manifestatio veritatis.

Ut autem quinque illas quæstiones, sive oppositiones Pelagianorum in libris quos de expositione Genesis idem beatus Augustinus contra errores et blasphemias Manichæorum scripsit, commemoraret; nec in nostris codicibus invenitur, nec ulla ratio esse videtur. Quia manifestum omnino est, quando eosdem libros idem auctor conscripsit, primis fere adhuc temporibus conversionis sive presbyterii sui, nec dum tunc Pelagianorum nomen aut hæresin extitisse, sed longo post tempore et multis intercedentibus annis eorum insaniam atque impugnationem contra Ecclesiam surrexisse. Et ideo quod neque ad Manichæos hæreticos pertinebat, neque a Pelagianis qui nec dum exorti fuerant ullatenus opponi potuerat, nulla prorsus ratio permittit, ut quod adhuc penitus futurum ignorabatur, in illis libris velut transactum commemoraretur. Sunt quidem circa finem librorum eorundem breviter contra Manichæos propositæ atque expositæ quædam quinque quæstiones; sed

Digitized by Google

ad Pelagianos nihil pertinentes, et eorum nullam memoriam facientes.

Illud quoque quod dixit scriptor epistolæ, quia in libris ad Prosperum et Hilarium scriptis de prædestinatione sanctorum et dono° perseverantiæ, nihil idem doctor dixerit de prædestinatione reproborum ad interitum; nullatenus verum esse cognoscimus. Frequenter enim in eisdem libris de utriusque partis, id est, electorum et reproborum prædestinatione, nunc simul nunc distincte disputat. Et ideo liber ille De prædestinatione sanctorum titulatur: non quia et de pædestinatione reproborum nihil ibi dicitur, sed quia ex meliori parte nomen accepit. Sicut et in libris De civitate Dei, utique de utrisque civitatibus, et Dei scilicet et Diaboli pariter et multipliciter disputat: et tamen ex meliori parte libros De civitate Dei voluit appellare.

HINCMARUS.

Sed de gratia vel libero arbitrio qui melius sapiunt, ita credunt, et ita loquuntur. Arbitrium liberum in primo homine non fuit emortuum, sed vitiatum: in nobis autem ad malum agendum arbitrium male est liberum; quia gratia non liberati, sed male libero arbitrio usi, efficimur servi peccati. Ad bene agendum autem, immo et ad bene volendum, tunc vere est nostrum arbitrium liberum, cum fuerit gratia liberatum; quod non est resuscitatum, quia non fuit emortuum: sed gratia est sanatum, quia vitio fuit corruptum. Et reprobi idcirco nequaquam cœlestis patriæ præmia æterna percipient, quia ea nunc, dum promereri poterant ex libero arbitrio, contempserunt: quod videlicet liberum arbitrium in bono formatur electis, cum eorum mens a terrenis desideriis gratia aspirante suspenditur.

REMIGIUS.

In his verbis quod dictum est, " liberum arbitrium in primo homine non fuit emortuum, sed vitiatum;" et quod paulo post de eodem libero arbitrio subjungitur, " quod

° Ita recte citat Remigius, non *bono*, ut vulgaris habet ἐπιγραφή.

Digitized by Google

non est resuscitatum quia non fuit emortuum, sed vitiatum; sed gratia est sanatum, quia vitio fuit corruptum:" multum miramur, qua ratione ita sentiri et dici potuerit. Numquid enim primus homo peccando in anima mortuus non est? sicut scriptura verissime dicit: "Anima[p] quæ peccaverit, ipsa morietur." Et quid est vere liberum arbitrium animæ, nisi libera animæ voluntas? Quid est autem libera animæ voluntas, nisi libera charitas, qua sponte et voluntarie et perfecte ante peccatum Deo adhærebat anima, et ex eo vivificabatur tanquam ex fonte vitæ, et ex ipso inluminabatur sicut ex vero lumine: cui fideliter dicere debemus, "quoniam[q] apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen."

Mortua est itaque humana anima per peccatum, non amittendo naturam suam, sed amittendo veram vitam suam, quæ illi Deus est: unde ad Deum conversa vivificatur, et vivit Deo; a Deo autem aversa moritur Deo, et vivit peccato. Et sine dubio voluntate avertitur a Deo, ut moriatur; et voluntate convertitur ad Deum ut vivificetur. Voluntas ergo animæ ad Deum conversa fit bona; a Deo aversa fit mala; ad Deum conversa vivificatur, a Deo aversa moritur: sicut acies oculorum corporalium, a luce aversa tenebrescit; ad lucem conversa clarescit. Quid est vitium animæ nisi aversio a Deo? et quid est virtus animæ; nisi conversio ad Deum? Vitium itaque aversionis a Deo mors animæ est; et virtus conversionis ad Deum vita animæ est. Et quia, sicut jam dictum est, voluntate avertitur a Deo, et voluntate convertitur ad Deum; ipsa aversione vel conversione voluntatis animæ, quæ naturaliter cum ipsa et in ipsa est, cum ipsa et in ipsa pariter aut moritur aut vivificatur.

Et ideo nullatenus credendum est, quod in primo homine mortua anima per peccatum, non fuerit voluntas bona mortua eodem peccato. Tota namque anima cum voluntate sua, aut vivit, aut moritur. Et ideo nec sine voluntate sua potuit Deo vivere; nec sine voluntate sua potuit Deo mori; nec sine voluntate sua vitiata est peccato mortifero. Nam si in primo homine peccante, voluntas bona non est mortua; quomodo nunc per vivificantem gratiam et creatur, et innovatur, et Deus eam opera-

[p] Ezech. cap. 18. ver. 20. [q] Psalm. 36. ver. 9.

Digitized by Google

tur in homine? Unde ait apostolus: "Ipsius[r] enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis." Sed ut simus creati in Christo Jesu in operibus bonis, illud necesse est ut fiat in nobis quod Psalmista ait: "Cor[s] mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis." Et, "Deus[t] est enim qui operatur in nobis et velle." Quid est enim "cor mundum," nisi munda conscientia, a peccatis corde mundata et bona voluntate prædita? Et quid est "spiritus rectus," nisi nulla mala voluntate depravatus? Et quid est "Deum operari in nobis velle," nisi inspirare et largiri nobis bonum velle?

Mortua est itaque peccando humana anima et humana voluntas a vita Dei. Mortuum est illud, quod erat ante peccatum vere liberum arbitrium, quo libera hominis voluntas, id est, libera hominis charitas, voluntarie et libere diligendo adhærebat Deo. Et vere mortuum est hujusmodi liberum arbitrium hominis, negligendo Deum, et recedendo a Deo. Et ab ea morte, qua amisit charitatem Dei, resuscitatur et vivificatur per eandem gratiam charitatis Dei: quod aperte beatus Joannes apostolus docet, dicens. "Nos[u] scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte." Vita itaque humanæ animæ, et humanæ voluntatis, Dei et proximi dilectio est, qua homo ante peccatum fruebatur Deo, et fruebatur proximo in Deo: ab hac vita sua mortuus est, negligendo Deum, negligendo seipsum et proximum. "Quoniam qui non diligit, manet in morte." Anima itaque humana, et humana voluntas, sicut vere manet in morte non diligendo; ita vere transfertur de morte in vitam diligendo. Et sicut vera mors ejus est non diligere; ita et vera vita ejus est diligere. Hac dilectione non fit vere liberum arbitrium, id est, vere libera voluntas, nisi illo liberante, id est, libertatem largiente, qui ait; "Si[w] vos filius liberaverit, tunc vere liberi

[r] Eph. cap. 2. ver. 10.
[s] Psalm. 51. ver. 10.
[t] Philipp. cap. 2. ver. 13.
[u] 1 Joh. cap. 3. ver. 14.
[w] Joh. cap. 8. ver. 36.

Digitized by Google

eritis:" et nisi illo munere spiritus Dei, de quo dicit apostolus; "Ubi[x] autem spiritus Domini, ibi libertas."

HINCMARUS.

Bonum quippe quod agimus, et Dei est et nostrum. Dei per prævenientem gratiam: nostrum, per subsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est; unde ei in æternum gratias agimus? Rursum, si nostrum non est, unde nobis retribui præmia speramus? Quia ergo non immerito gratias agimus; scimus quod ejus munere prævenimur: et rursum, quia in[y] non merito retributionem quærimus; scimus quod subsequente libero arbitrio bona eligimus quæ ageremus. Unde, sicut sancta scriptura docemur, gratia prævenimur ut bene velimus; per liberum arbitrium gratiam subsequimur, ut bene agamus. Gratia adjuvamur ut bene agere possimus, quod arbitrio volumus. Et gratia corroboramur, ut in bono, quod per liberum arbitrium subsequendo cœpimus, perseveremus. Et gratia subsequimur, ut et gratia beatæ retributionis, pro gratia bonæ operationis, gratuita gratia remuneremur. "Et[z] misericordia ejus," inquit, id est gratia, "præveniet me." Et; "Qui[a] coronat te in misericordia et miserationibus."

REMIGIUS.

Nescimus quid divisionis, vel cujusdam distributionis, unius atque ejusdem boni inter Deum et hominem hæc sonant. Quasi ex parte sit Dei, et ex parte nostrum. Sicut toto isto sermone asserere videtur scriptor epistolæ; ut quasi initium boni nostri sit Deus; effectus vero liberi humani arbitrii: licet hunc errorem velut gratiæ adjunctione, non etiam plenitudine, temperare conetur; cum vere totum sit Dei, sicut veritas ipsa dicit: "Sine[b] me nihil potestis facere." Et apostolus: "Quid[c] enim," inquit, "habes, quod non accepisti?" Unde beatus et gloriosus martyr Cyprianus ita definivit, dicens: "In nullo gloriandum, quan-

[x] 2 Cor. cap. 3. ver. 17.
[z] Psal. 59. ver. 10.
[b] Joh. cap. 15. ver. 5.
[y] *non immerito.*
[a] Psal. 103. ver. 4.
[c] 1 Cor. cap. 4. ver. 7.

Digitized by Google

do nihil nostrum sit." Bonum itaque nostrum totum Dei est quia totum ex Deo est: et nihil boni nostri nostrum est, quia nihil boni nostri ex nobis est. Et ideo manifeste (ut juxta formam paternæ doctrinæ potius loquamur) omne bonum nostrum, et totum Dei est donando, et totum nostrum fit accipiendo. Unde et in Dominica oratione quotidie postulamus dicentes: "Panem[d] nostrum quotidianum da nobis hodie." Cur enim panem nostrum nobis poscimus a Deo dari; nisi quia (ut diximus) sicut vere est Dei largiendo, ita etiam nostrum fit accipiendo. Unde et beatus papa Cœlestinus, ait: "Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona." Totum itaque bonum nostrum Deo dandum, Deo est tribuendum, quia totum ex illo est, non ex nobis; dum totum et ab illo inchoatur, ac ab illo agitur ac peragitur in nobis: quia non qui suo, sed "Quicumque[e] spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei."

Atque hæc fuit Remigii Lugdunensis in sententiam, non Gotteschalci (quæ mira fuit Duvalii, in annotationibus ad hunc locum, incogitantia) sed adversariorum ipsius, de gratia et libero arbitrio, tanto digna præsule censura.

[d] Matt. cap. 6. ver. 11. [e] Rom. cap. 8. ver. 14.

Digitized by Google

CAP. IX.

Johannis Erigenæ Scoti, de prædestinatione et libero arbitrio, novemdecim capitula.

Scripsit præterea idem Hincmarus ad Karolum Calvum regem, opus[a] quoddam metricum, "de gratia et prædestinatione Dei: de sacramentis quoque corporis et sanguinis Christi; et de videndo Deo, atque origine animæ, simul ac de fide sanctæ Trinitatis. Quod opus appellavit Ferculum Salomonis:" de[b] quo et ad Pardulum Laudunensem episcopum scripsit, "rogitans quid sibi videatur de illo."

Ad horum vero utrumque (Hincmarum nempe et Pardulum, qui synodo Carisiacæ adversus Gotteschalcum habitæ simul interfuerunt) a Johanne Scoto scriptus est De unica prædestinatione liber capitum novemdecim quem in bibliotheca Corbeiensi adhuc extare, notat Sirmondus[c]. Addit idem, in libris manuscriptis vocari illum Friugenam, vel (quod in illis ego invenio) Eriugenam potius. Cum autem Hibernia nostra indigenis Eri et Erin appelletur; ac doctis notum sit, eandem esse veterem Scotiam et Hiberniam: Johannem ab aliis Scotum sive (ut eum nominat illius σύγχρονος, Anastasius[d] bibliothecarius) Scotigenam, a seipso Erigenam sive Erinigenam eodem prorsus sensu fuisse dictum, vero mihi semper visum fuit esse simillimum.

Occasionem editi a Johanne hujus scripti ostendit vel ipse Pardulus, vel quicunque ille fuit episcopus, qui secun-

[a] Flodoard. lib. 3. cap. 15. [b] Ibid. cap. 21.

[c] Sirmond. in tom. 2. Concil. Gall. pag. 681.

[d] Anastas. præfat. in Dionisii hierarch. ad Karolum regem. Scotigenæ et Erigonæ, synonyma.

Digitized by Google

dam ad Lugdunensem Ecclesiam scripsit epistolam. Cum[e] enim plures apud ipsos de quæstione divinæ præscientiæ et prædestinationis scripsisse dixisset, et quinque ex eis, ac inter eos Amalarium, nominasset: subjunxit, dicens: "Sed quia hæc inter se valde dissentiebant, Scotum illum qui est in palatio regis, Johannem nomine, scribere coegimus." Hic enim, ut in Anglorum proditum est annalibus, "relicta[f] patria in Franciam ad Karolum Calvum transierat: a quo magna dignatione susceptus, familiarium partium habebatur, transigebatque cum eo tam seria quam joca, individuusque comes et mensæ et cubili erat." Patria vero, ut diximus, non alia hic intelligenda, quam Hibernia: de qua Ericus Antisiodorensis in epistola ad eundem Karolum: "Quid[g] Hiberniam memorem, contempto pelagi discrimine, pene totam cum grege philosophorum ad littora nostra migrantem? quorum quisquis peritior est, ultro sibi indicit exilium, ut Salomoni sapientissimo famuletur ad votum."

Ex illo vero libro novemdecim capitulorum summulæ sunt collectæ: quas a Lothario imperatore ad fratrem suum Karolum (in cujus palatio degebat Scotus) suppresso authoris ex quo collectæ sunt nomine, per Ebbonem Gratianopolitanum episcopum transmissas, et in Vermeriensi[h] palatio (ubi cum episcopis suis synodum habebat Karolus) traditas fuisse; ex Hincmari[i] ad eundem Karolum epistola colligimus. Easdem (vel ejusdem generis alias, quibus Johannis nomen fuerat appositum) Prudentio Tricassino episcopo censendas misit Wenilo Senonensis archiepiscopus. Quibus et ille respondit, et Florus quoque: quem contra Johannem Scotum scripsisse Simeon Dunelmensis, Rogerus Hovedenus, et Matthæus Florilegus confirmant: et authorem libelli fuisse diximus, qui Lugdunensis Ecclesiæ nomine editus extat, "adversus[k] cujusdam vanissimi ho-

[e] Eccles. Lugdunens. de trib. epistolis pag. 1072. C.

[f] Simeon Dunelmes. in chronic. Roger. Hoveden. annal. part. 1. et Matthæus Florilegus, ad annum 883.

[g] Eric. Præfat. in Poem de Vida S. Germani.

[h] Ann. DCCCLIII. [i] Flodoard. lib. 3. cap. 15.

[k] Tom. 9. Biblioth. Patr. part. 1. pag. 1009.

Digitized by Google

minis (sic enim habet titulus) qui cognominatur Johannes, ineptias et errores de prædestinatione et præscientia divina, et de vera humani arbitrii libertate." Ex quo, priusquam quæ ad hanc causam spectant excerpantur; præmittenda est illa.

Novemdecim capitulorum Johannis Scoti summaria Synopsis.

CAP. I.

1. Quadruvio regularum totius philosophiæ quatuor, omnem quæstionem solvi.
2. Duas prædestinationes non esse.

II.

1. Præscientiam et prædestinationem substantialiter in Deo esse: adeoque ipsum Deum esse.
2. Præscientiam et prædestinationem unum idemque esse.
3. Hominem ad Deum, quem libero arbitrio sine labore deseruerit, sine laboris studio et cooperantis gratiæ dono pervenire non posse.
4. Prædestinationem in Deo secundum substantiam esse; relative autem (ad Deum) dici non posse.
5. Sicut duas essentias, sapientias, scientias, virtutes, cæteraque omnia quæ de Deo dicuntur, geminari vel triplicari vei multiplicari impium est: ita prædestinationes duas asserentem, reatu impietatis ligari.
6. Unamque esse divinam prædestinationem; sicut unam divinam operationem, sapientiam, substantiam, voluntatem.
7. Ex necessitate prædestinationis nihil compelli, sicut nec voluntatem.
8. Et quicquid de divina voluntate intelligitur, de prædestinatione Dei sentiri debere.

Digitized by Google

III.

1. Dei prædestinationem, sicut essentiam, nullum cogere, nullam necessitatem inferre. Quia prædestinatio substantia Dei est.

2. Duas prædestinationes non esse.

3. Mortem, peccatum, miseriam, a Deo non esse.

4. Prædestinationem, ut charitatem, non esse geminam vel duplam, vel multiplicem, et pluralitate carere.

IV.

1. Tres hæreses vitandas: unam Pelagianorum, liberi arbitrii sine gratiæ commendatione. Alteram gratiæ solius. Tertiam Gottescalcanam, prædestinationibus necessitates etiam inferentem.

2. Substantiam hominis esse tria, id est, Esse, Velle, Scire; et hanc peccando non amisisse.

3. Nullam naturam posse perire: nec liberam voluntatem hominem perdidisse, id est, naturam suam.

4. Libertatem homini post peccatum remansisse: vigorem et potestatem ejus perdidisse.

5. Ea semper naturam inchoare posse, et perficere non nisi per gratiam.

V.

1. Per præscientiam et prædestinationem Dei neminem compelli.

2. Præscire ea etiam quæ non esset facturus, prædestinare tantum quæ esset facturus.

3. Sicut in præscientia et prædestinatione Deum causam non esse peccati, ita nec pœnæ ejus, nec mortis.

4. Deum sicut neminem compellat peccare, ita nec bene vivere.

5. Si qua causa præcedat voluntatem, id est, naturam ad bona vel mala cogitanda vel facienda, non esse naturam.

Digitized by Google

minis (sic enim habet titulus) qui cognominatur Johannes, ineptias et errores de prædestinatione et præscientia divina, et de vera humani arbitrii libertate." Ex quo, priusquam quæ ad hanc causam spectant excerpantur; præmittenda est illa.

Novemdecim capitulorum Johannis Scoti summaria Synopsis.

CAP. I.

1. Quadruvio regularum totius philosophiæ quatuor, omnem quæstionem solvi.
2. Duas prædestinationes non esse.

II.

1. Præscientiam et prædestinationem substantialiter in Deo esse: adeoque ipsum Deum esse.
2. Præscientiam et prædestinationem unum idemque esse.
3. Hominem ad Deum, quem libero arbitrio sine labore deseruerit, sine laboris studio et cooperantis gratiæ dono pervenire non posse.
4. Prædestinationem in Deo secundum substantiam esse; relative autem (ad Deum) dici non posse.
5. Sicut duas essentias, sapientias, scientias, virtutes, cæteraque omnia quæ de Deo dicuntur, geminari vel triplicari vei multiplicari impium est: ita prædestinationes duas asserentem, reatu impietatis ligari.
6. Unamque esse divinam prædestinationem; sicut unam divinam operationem, sapientiam, substantiam, voluntatem.
7. Ex necessitate prædestinationis nihil compelli, sicut nec voluntatem.
8. Et quicquid de divina voluntate intelligitur, de prædestinatione Dei sentiri debere.

Digitized by Google

III.

1. Dei prædestinationem, sicut essentiam, nullum cogere, nullam necessitatem inferre. Quia prædestinatio substantia Dei est.

2. Duas prædestinationes non esse.

3. Mortem, peccatum, miseriam, a Deo non esse.

4. Prædestinationem, ut charitatem, non esse geminam vel duplam, vel multiplicem, et pluralitate carere.

IV.

1. Tres hæreses vitandas: unam Pelagianorum, liberi arbitrii sine gratiæ commendatione. Alteram gratiæ solius. Tertiam Gottescalcanam, prædestinationibus necessitates etiam inferentem.

2. Substantiam hominis esse tria, id est, Esse, Velle, Scire; et hanc peccando non amisisse.

3. Nullam naturam posse perire: nec liberam voluntatem hominem perdidisse, id est, naturam suam.

4. Libertatem homini post peccatum remansisse: vigorem et potestatem ejus perdidisse.

5. Ea semper naturam inchoare posse, et perficere non nisi per gratiam.

V.

1. Per præscientiam et prædestinationem Dei neminem compelli.

2. Præscire ea etiam quæ non esset facturus, prædestinare tantum quæ esset facturus.

3. Sicut in præscientia et prædestinatione Deum causam non esse peccati, ita nec pœnæ ejus, nec mortis.

4. Deum sicut neminem compellat peccare, ita nec bene vivere.

5. Si qua causa præcedat voluntatem, id est, naturam ad bona vel mala cogitanda vel facienda, non esse naturam.

Digitized by Google

VI.

1. Nullum peccatum nullamque ejus pœnam aliunde nasci, nisi propria hominis voluntate libero male utentis arbitrio.

2. Et stultissimum esse, dubitare humanam voluntatem esse secundum naturam.

3. Nec dubitari posse, ipsam rationalem substantiam esse.

VII.

Liberum arbitrium (bonum scilicet illud et rectum, et bona voluntate ad superna et divina erectum, quale in primo homine conditum fuit; ita ut esset sine ullo peccato, et posset non peccare si vellet) inter media dona Dei deputandum; ideoque et peccari potuisse.

VIII.

1. Interioris hominis substantialem Trinitatem in essentia et voluntate et scientia contineri.

2. Nec aliud [esse] ei esse et velle, nec aliud velle et scire: sed hæc tria unam naturam; totamque animæ naturam voluntatem esse.

3. Liberam voluntatem esse naturam hominis; ejusque liberum motum ac potestatem movendi: quod sit liberum arbitrium hoc donum Creatoris.

4. Sicut animale corpus potuit mori quia adhuc non erat perfectum, id est, spirituale: ita voluntas libera, adhuc animalis merito quia mortalis, potuit peccare, quoniam adhuc non erat perfecta. Quæ utique perfectio libertatis post mandati custodiam impleretur, dum ei peccandi voluntas penitus auferretur.

5. Hunc motum liberi arbitrii nulli animalium, præter hominem, concessum.

6. Sitque talis differentia inter liberum hominis arbitrium, et ejus substantiam: ut natura [ejus sit] in voluntate rationali; liberum vero [ejus] arbitrium in ejus libertate, sive in motu liberæ naturaliter voluntatis, sive in munere intelligentiæ.

Digitized by Google

7. Quæ tria, id est, liber motus, intelligentia, liberum arbitrium inter se componunt: ut sicut substantia in qua est, trina sit (est enim, et vult, et scit;) ita et illud trinum fiat, id est, liber, motus, intelligens.

IX.

1. Præscientiam et prædestinationem similitudine rerum temporalium ad Deum transferri.

2. Omnem prædestinationem præscientiam esse.

X.

1. Deum præscire aut prædestinare peccata, vel mortem, vel pœnas hominum vel angelorum, a contrario intelligendum sit.

2. Omne malum, peccatum et pœnam ejus [non] esse: et hæc nihil esse.

3. Peccatum, ejusque consequentias in morte atque miseria constitutas, non aliud esse quam integræ vitæ beatæque corruptiones, ita ut singula singulis opponantur: integritati quidem peccatum, vitæ mors, beatitudini miseria. Illa sunt: hæc penitus non sunt.

4. Omnem perversæ voluntatis defectum vel privationem, vel peccatum, finemque ipsius mortem et miseriam suppliciorum æternorum omnino nihil esse: ac per hoc nec præsciri [a Deo,] nec prædestinari.

XI.

1. Non esse Dei prædestinationem nisi de his qui præparati sunt ad æternam felicitatem.

2. Abusive translateque dici præscire Deum et prædestinare [a simili scilicet et a contrario]. A simili præscivit quæ facturus esset: a contrario præscivit quæ facturus non esset, pro, nescivit. Similiter, a simili prædestinavit quos præparavit ad gratiam: a contrario prædestinavit impios ad interitum vel supplicium æternum. Si enim prædestinati sunt, necessario peribunt, pœnasque

Digitized by Google

patientur inevitabiles. Quod si ita est, quomodo juste judicabitur mundus; quem necessitas prædestinationis cogit perire ?

3. Sanctas scripturas præscientiam simul et prædestinationem aut solam absolutam prædestinationem non nisi in his quos Deus elegit ad æternam beatitudinem possidendam posuisse.

4. Apostolum præscientiam et prædestinationem in solis sanctis; Augustinum aliquoties in reprobis a contrario posuisse.

XII.

1. Omnem præscientiam Dei prædestinationem esse: et omnem prædestinationem præscientiam.

2. Omnem prædestinationem Dei, omnino esse præparationem gratiæ: omnemque gratiam donum. Omnem igitur divinam prædestinationem donorum ejus præparationem.

3. Pœnam impios juste torquere, quæ donum non est. Alioqui si esset donum non torqueret, sed utique liberaret. Non esse igitur prædestinationem pœnæ. Quod si esset, non esse pœnam sed gratiam. Esse autem pœnam: non esse igitur prædestinationem ejus. Proinde prædestinationem in donis divinæ largitatis semper intelligendam esse.

4. Prædestinatos ad pœnam a contrario semper intelligi: sicut electos, pro non electis; filios Dei, pro non filiis.

XIII.

1. Electum Judam, pro non electo; et filios Dei, pro non filiis, a contrario accipi. Sic idem Judas amicus, qui nunquam non fuerat inimicus.

2. Frustra quæri filios Dei, præter ejus electos: frustra putari ejus electos præter ab eo prædestinatos.

3. Impie putari prædestinatos a Deo, præter ejus electos: supervacue æstimari electos Dei, præter ejus filios; nec esse prædestinatos, si non sint filii Dei.

4. Prædestinatos ad pœnas, vel interitum, vel supplicium, nihil aliud sentiendum, nisi non prædestinatos, sed a massa damnabili merito peccati originalis atque proprii non esse separatos, ideoque impie vivere permissos æterno igne puniendos.

Digitized by Google

XIV.

1. Ex verbis Augustini, probari prædestinatos, non nisi de justis dici, dicentis: " Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat." Et iterum: " Qui prædestinatos a non prædestinatis discernere non valemus." Item: " Qui cadunt et pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt."

2. Pœnam prædestinatam peccatoribus: ipsos vero præscitos tantum, non prædestinatos.

3. Hoc etiam legibus humanis conjici, quæ hominem non definiunt ad peccandum: pœnas autem peccaturis definiendo nihil aliud appetere, quam pronos ad peccandum suppliciorum atrocitate territos cohibere; ac per hoc non minus misericordiæ quam vindictæ transgressoribus suis efficere.

XV.

1. Peccata et eorum supplicia nihil esse.

2. Præscisse et prædestinasse Deum peccata vel pœnas; pro, non præscisse, non prædestinasse, non præparasse. Exemplo Judæ, qui electus pro non electo, amicus pro non amico, filius pro non filio.

3. Pœnas mala esse: ideoque non a Deo, a quo non sit malum.

4. Deum non punire quæ fecit, nec ab eis naturalia munera tollere.

5. Dolorem esse sanitatis absentiam, tenebras lucis, silentium clamoris, tristitiam gaudii, laborem quietis: sic præsciri vel prædestinari peccata vel pœnas.

6. Dolendo non ipsum dolorem, sed ipsam sanitatem nosci; quam non nosset, si de illa notionem quandam non haberet.

7. Recordationem sanitatis in sensibus remanere: ipsam vero in illa substantia quam Deus creavit residere.

XVI.

1. Nulla natura naturam puniri.

2. Nihil aliud esse pœnas peccatorum, nisi peccata eorum.

Digitized by Google

3. In igne æterno, nihil aliud esse pœnam, quam beatæ felicitatis absentiam.

4. In ea (beatæ felicitatis absentia) nullum esse qui non habeat insitam sibi naturaliter absentis beatitudinis notionem, ejusque desiderium. Habituros miseros felicitatis et veritatis notionem atque scientiam: ac per hoc non esse miseros, nec puniri.

5. In Diabolo et impiis hominibus non puniri nisi perversitatem propriæ voluntatis: nec peccasse naturam, sed voluntatem.

6. Nec in primo homine peccasse naturæ generalitatem, sed uniuscujusque individuam voluntatem.

7. Si ea (i. e. tota primi hominis) natura delinqueret, cum una sit, tota profecto perire.

8. Proinde in nullo naturam puniri, quia ex Deo sit et non peccet; sed motus voluntarius libidinosus puniatur.

9. Ideoque in impiis supplicia non perpeti quod Deus fecit; sed quod superbia vitiose invenit.

10. Libidinem perversæ voluntatis cruciari; dum ea quæ male aut indigne appetit, habere non sinatur.

11. Ex nullo bonum malum esse.

12. Eum qui hic libero voluntatis arbitrio, quod est naturalis intelligentiæ munus, id est, mentis acies in usus turpitudinis mutet: illic ne omnino veritatis honestate fruatur, justissime perdere, et tenebras æternæ ignorantiæ non evitare.

XVII.

1. Deum non esse auctorem, factorem, prædestinatorem suppliciorum.

2. Prædestinationem Dei ad ea tantum quæ in bono sunt; præscientiam vero ad bona malaque. Quam differentiam non ex natura esse, sed ex usu locutionum.

3. Sicut et id quod dicitur Deus ubique esse præsentia potestatis, sed non ubique gratia habitationis: ita dici posse de eo ubique præscientia, sed non ubique prædestinatione. Cum apertissime veritas clamet de Deo, ubicumque fuerit Deus præsentia, ibi profecto erit habita-

Digitized by Google

tione: similiter ubicumque fuerit præscientia, necessario erit prædestinatione.

4. Et sicut præscientiam, et prædestinationem, non nisi eorum quæ ipse facturus esset. Et sicut præsentia ejus et habitatio in his quæ nec ab eo sunt, nec ea fecit, e contrario esse dicantur, cum in eis non fit: ita præscientiam ejus et prædestinationem e contrario pronuntiari in illis quæ nec fecit nec donavit, quia nihil sunt.

5. Ignem æternum ad urendum Diabolum et angelos ejus, non homines, factum. Postquam ab æthere detrusus sit (Diabolus,) ubi in æthereo corpore non poterat pœnas sentire, additum ei corpus aereum in quo ignem sentiret.

6. Non esse illum ignem pœnam, neque ad eam præparatum vel prædestinatum: sed qui fuerat prædestinatus ut esset in universitate omnium bonorum, sedes factus est impiorum; in quo proculdubio non minus habitabunt beati quam miseri.

7. Miseriam nullam esse, nisi mortem æternam: æternam mortem, veritatis ignorantiam: nullamque miseriam esse, nisi veritatis ignorantiam; et ubi ignoretur veritas, ibi nullam vitam.

XVIII.

1. Errorem prædestinationis ex disciplinarum ignorantia (quas ipsa sapientia suas comites investigatricesque fieri voluit) et Græcarum litterarum inscitia ortum.

2. Esse [Græcum] verbum ὁρῶ, quod video et definio et destino interpretatur; similiter [compositum] προορῶ, prævideo, prædefinio, prædestino: ac per hoc prædestinationem et prædefinitionem nihil aliud esse quam prævisionem.

3. Deum nec prævidisse, nec prædestinasse, mortem et pœnas, quia nihil sint.

4. Peccatores in massa originalis peccati reliquit, relictos deseruit: desertos lumine tenebras torquere, desertos vita mortem interimere.

Digitized by Google

5. Nec quod in eis Deus fecit, relinquit vel deserit: (alioquin eorum natura ad nihilum rediret, si summa essentia in eis non esset:) sed quod in eis non fecit, id est, superbiam sprevit.

6. Deum in ea natura quam creavit semper habitare.

7. Dei sapientiam prædestinasse in suis legibus modos, ultra quos impiorum malitia progredi non possit: nec sinit alicujus malitiam in infinitum, prout velit, extendi, divinis legibus progrediendi modum imponentibus.

8. Nihil appetere impiorum omnium et Diaboli nequitiam, nisi ab eo qui summa est essentia recedere: in tantum ut eorum natura, si lex divina sineret, in nihilum rediret. Sed quoniam ei difficultas ex æternis legibus obsistit, ne in tantum cadat, quantum vellet; ex ea difficultate laborare, laborando torqueri, puniri, cruciari, et inde fieri miseram inanium voluptatum egestate: eamque difficultatem qua prohibentur pervenire ad ea quæ libidinose appetunt, effici eis pœnalem interitum et suæ miserrimæ cupidinis justissimum cruciatum.

9. Utriusque partis prædestinatum esse numerum.

10. Invitos Deo servire impios: (non naturam quam in eis fecit, et in eis non punit; sed malam voluntatem, quam in eis non fecit, et in eis punit.) In eoque quod ei inviti serviunt, puniri in seipsis sua pœna. De qua quos juste non liberet, ad eam illos quodammodo præparet; dum eos ad eam seipsos præparare permittat.

XIX.

1. Ignem æternum istum, ipsum quartum mundi elementum [esse:] ubi corpora sanctorum in ætheream mutentur qualitatem; impiorum corpora in aeream qualitatem [sint] transitura.

2. In eoque naturarum intra se mirabile perfici gaudium, malarum vero voluntatum ineffabile tormentum.

3. Et ita impiorum omnium angelorum hominumque corpora, supplicia ignis æterni perpessura: ut integritate eorum substantiæ nullo modo peritura, eorum pulchritudine nullo modo defutura, eorum naturali incolumitate perman-

Digitized by Google

sura; omnibus deinde naturæ bonis ad universitatis ornamentum, mirabili ordine refulsuris. (Excepta beatitudine qua privabuntur.)

4. Superioris ignis corporei cum inferioris aeris corporibus qualitate conluctante, naturali vi servata, infelicium animarum intentio de corporibus suis æternas patiatur ærumnas.

5. Ita videlicet, ut idem ipse ignis, omnibus corporibus fiat gloria; quo damnandis animabus intrinsecus iniquitate propria, extrinsecus cumulabitur pœna.

Quomodo ex istis concluserit Scotus, unam[l] duntaxat prædestinationem esse, eamque non adferre necessitatem, neque humani arbitrii tollere libertatem; et quomodo conclusionibus hisce Ecclesia[m] Lugdunensis occurrerit; in summaria utriusque scripti analysi ostendit Vossius: qui etiam monet, non[n] videri semper assecutum fuisse mentem Scoti disputatorem Lugdunensem: quod ante eum quoque in notis ad hunc libellum, Andreas Duvalius observaverat. Quo fortasse referri possent et Matthæi Florilegi illa: "Scripsit[o] contra eum quidam Florus, qui et ejus scripta DEPRAVANDO damnavit." Addit alius, "pro[p] eo, (scire se) paratam esse apologiam plurimorum, ac maximorum, pontificum, cardinalium, doctorum calculis comprobatam." Quam tamen frustra et expectavimus hactenus, et expectaturi sumus. Interim, differentem adversus eum audiamus Florum illum: de quo jamdudum, in Carmine[q] ad Agobardum episcopum Lugdunensem, Walafridus Strabus ita cecinit.

At de flore novo, qui vos penes ortus, odorem
Prodit ubique sui, hæc loca rumor alit.
Flora venit quondam, dum singula quæque Deorum
Sunt affata jugis prata thymumque gerens.

[l] Voss. histor. Pelag. lib. 7. part. 4. pag. 743, 744.
[m] Ibid. pag. 745, 746.
[n] Ibid. pag. 746, 754.
[o] Flor. historiar. ad ann. 883.
[p] Henr. Fitz-Simon in catalogo sanctorum Hiberniæ.
[q] Poem. Strabi, tomo 6. antiqu. lection. pag. 648, 649.

Digitized by Google

Huic Floro melius sententia Christicolarum
Attribuit, quidquid dogmate et ore viret.
Nam hic Florus florem sequitur de germine Jesse,
Et tradit quod amans attulit ille homini.
Quæ tam segnis erit donis ingrata supernis,
Quæ se hoc non sponte nectare pascat apes?
Floreat haud flaccens hic flos, et florea fragrans
Spiramenta ferat semper ubique Deo.
Donec in astriferas porrecta cacumina sedes
Erigat et fructum jam sine fine habeat.

Digitized by Google

CAP. X.

Ex Flori Magistri Lugdunensis diaconi, censura in capitula Johannis Scoti, Eclogæ.

VENERUNT ad nos, id est, ad Ecclesiam Lugdunensem, cujusdam vaniloqui et garruli hominis scripta: qui velut de præscientia et prædestinatione divina, humanis et, ut ipse gloriatur, philosophicis argumentationibus disputans, nulla ratione reddita, nulla Scripturarum sive sanctorum patrum auctoritate prolata, velut tenenda et sequenda sola sua præsumptione definire ausus est. Quæ a fidelibus et in doctrina sacra exercitatis lectoribus, eo quod sunt vanissima, et contra fidem ac veritatem Dei plena mendacii et erroris, Deo opitulante, facillime judicantur et respuuntur, immo etiam contemptui et risui habentur. Sed quia a multis, ut audivimus, idem homo quasi scholasticus et eruditus admirationi habetur, et talia garriens sive scribens, alios ad hæsitationem deducit, alios, quasi magnum aliquid dicat, erroris sui sequaces efficit, omnes tamen auditores et admiratores suos inani verbositate et ventosa loquacitate perniciosissime occupet; ut non divinis scripturis, non authoritatibus paternis se humiliter summittant, sed ejus potius deliramenta sequantur: necessarium omnino duximus, ut studio charitatis, et debito nostri loci atque ordinis, ejus insolentiæ, auctore Domino, responderemus: ut quicumque hæc cum Dei timore et cura salutis suæ fideliter legere voluerint, agnoscant veraciter quantum necesse sit in his maxime periculosissimis temporibus et extremis inhærere firmiter Scripturæ sanctæ immobili veritati, obedire humiliter sanctorum patrum fundatissimæ auctoritati, claudere et obstruere auditum indisciplinatæ et vanissimæ verbositati.

Digitized by Google

Primo[a] namque capitulo istiusmodi proposuit definitionem. "Quadruvio regularum totius philosophiæ quatuor, omnem quæstionem solvi: duasque prædestinationes non esse." Cui fides Ecclesiæ e contrario respondet, veritatem æterni judicii et ordinationis Dei, quæ vocabulo prædestinationis exprimitur, non esse requirendam a philosophis, sed ab apostolis et prophetis Dei: nec in mundanæ doctrinæ quadruviis, sed in una et vera via, quæ dicit de semetipsa; "Ego[b] sum via, et veritas, et vita." Prædestinationem autem et æterni consilii et judicii Dei, sive in remuneratione justorum, sive in damnatione iniquorum, et propter unam ac simplicem scientiam divinam in qua simul atque æternaliter de omnibus præordinatum atque præfinitum est, unam veraciter dicimus: et propter duplicem ejus efficientiam, qua alii misericorditer liberantur, alii juste damnantur, duas dicere non timemus; fideliter cum Psalmista ipsi Judici universorum dicentes, "Misericordiam[c] et judicium cantabo tibi Domine." Nullum autem certamen, nulla contentio esse debet de numero; sive pluraliter de prædestinatione Dei dici possit, sive aliqua veraci ratione non possit: dummodo certissime constet duplicem esse ejus effectum; vel in electis scilicet misericorditer præordinatis ad vitam, vel in reprobis juste præordinatis ad pœnam.

Post hæc jam dictus disputator, more suo, velut definiendo subjungit: "Et[d] præscientiam et prædestinationem unum idemque esse." Nos autem, repudiato hujus novitatis errore, teneamus certissimam et firmissimam fidei regulam: et, Deo adjuvante, fideliter discernamus, aliquando dici præscientiam, quæ omnino prædestinatio esse non possit. Quia omnipotens Deus sicut bona, sic etiam mala, id est, peccata hominum vel angelorum, futura præscivit: quæ tamen ut fierent, justus et sanctus prædestinare non potuit. Prædestinatio autem ejus, vel ad conditionem et gubernationem pertinet creaturarum, quæ utique bona et justa est; vel præcipue et maxime ad

[a] Ad capitulum I.
[b] Joh. cap. 14. ver. 6.
[c] Psal. 101. ver. 1.
[d] Ad cap. II. sec. 2.

Digitized by Google

opera vel judicia ejus, quæ agit sive acturus est, in creatura rationali, angelica videlicet et humana: dum ex eis alios per gratiam justificat et beatificat, alios per justitiam deserit et condemnat. Quia et eorum bona, id est, sanctorum hominum et sanctorum angelorum, ejus sunt dona vel præmia: et istorum mala, id est, æterna supplicia, ejus est juste omnia disponentis justa vindicta. Et idcirco prædestinatio ejus semper in bonis, semper in operibus suis, quæ in creatura (ut dictum est) rationali vel misericorditer vel juste exercet, accipienda est quæ ipse et prædestinando præscivit, et præsciendo æternaliter prædestinavit. Unde manifestum est prædestinationem Dei sine præscientia non esse: præscientiam vero, et cum prædestinatione esse in bonis et justis operibus Dei; et sine prædestinatione in malis operibus hominum et angelorum iniquorum.

Subjungit idem disputator et dicit; "hominem[e] ad Deum, quem libero arbitrio sine labore deseruerit, sine laboris studio et cooperantis gratiæ dono pervenire non posse." In quibus verbis quod dicit, primum hominem libero arbitrio Deum deseruisse; jam utique in deserente Deum, et deserto a Deo, non erat liberum arbitrium ad bonum (illa et naturæ bene a Deo conditæ, et gratiæ a Deo donatæ, beata libertate quam apostolus commendat dicens, "Ubi[f] spiritus Domini, ibi libertas est:") sed erat liberum tantummodo ad malum, et peccato dominante captivum. De qua miserrima libertate et servitute apostolus conversis fidelibus dicit: "Cum[g] enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ." Et iterum: "Nescitis[h] quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis; sive peccati in mortem, sive obeditionis ad justitiam?" unde et Dominus ait: "Omnis[i] qui facit peccatum servus est peccati." Et beatus Petrus apostolus: "A[k] quo enim (inquit) quis superatur, ejus et servus est." Sed et captivitatem peccati beatus Paulus non tacet, dicens:

[e] Sec. 3.
[g] Rom. cap. 6. ver. 20.
[i] Joh. cap. 8. ver. 34.
[f] 2 Cor. cap. 3. ver. 17.
[h] Ibid. ver. 16.
[k] 2 Pet. cap. 2. ver. 19.

Digitized by Google

" Video[l] autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in legem peccati quæ est in membris meis." Sic itaque homo, ut dictum est, deserens Deum, et desertus a Deo, factus est liber justitiæ, cui servire noluit; et servus peccati in mortem, quia noluit esse servus obeditionis ad justitiam: et per hoc incipiens habere in membris suis legem repugnantem legi mentis suæ, et captivantem se in legem peccati. Amissa ergo gratia veræ libertatis qua Deo poterat cohærere et dicere; " Mihi[m] autem Deo adhærere bonum est:" infelici libertate voluntatis suæ adhæsit peccato, et factus est servus captivusque peccati. De qua servitute et captivitate exire et liberari non potest, nisi per eum qui ait; " Si[n] vos filius liberaverit, tunc vos vere liberi eritis." Et ideo, quando homo deseruit Dominum Deum manifeste, tunc amisit libertatem boni, et non remansit liber nisi ad malum: unde nescimus cur talis in eo libertas debeat prædicari, ac non potius deleri et caveri.

Quod autem dicit, " sine laboris studio, et cooperantis gratiæ dono, hominem ad Deum pervenire non posse:" aliter fides Catholica tenet, quæ certissime credit, juxta evangelicam et apostolicam veritatem, nullo bono opere, nullo bono merito præcedente, solo gratiæ divinæ beneficio, hominem salvari et venire ad Deum; sicut ipse Dominus dicit: " Nemo[o] potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum." Et apostolus diligentissime inculcat fidelibus, dicens. " Ei[p] autem qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur ejus fides ad justitiam." Et iterum: " Arbitramur[q] justificari hominem ex fide sine operibus legis." Et ne saltem ipsam fidem sibi deputarent qui veniunt ad Dominum, atque velut sui operis merito, et non gratuito Dei dono se putarent esse salvatos: ostendit alio loco etiam ipsam fidem Dei donum esse, cum dicit: " Gratia[r] salvi facti estis per fidem." Et continuo subjungit: " Et hoc

[l] Rom. cap. 7. ver. 23.
[m] Psal. 73. ver. 2.
[n] Joh. cap. 8. ver. 36.
[o] Joh. cap. 6. ver. 44.
[p] Rom. cap. 4. ver. 5.
[q] Ibid. cap. 3. ver. 28.
[r] Ephes. cap. 2. ver. 8, 9.

Digitized by Google

non ex vobis, Dei donum est; non ex operibus, ne quis glorietur." Unde etiam Deus, sicut ipse apostolus commemorat, per prophetam dicit: "Inventus[s] sum a non quærentibus me; palam apparui his qui me non interrogabant." Vel sicut in nostra editione legitur: "Quæsierunt[t] me qui ante non interrogabant; invenerunt qui non quæsierunt me." Ecce manifestissima gratia, sine operibus, per quam homines requirentes Deum non solum veniunt, sed etiam perveniunt ad Deum; sicut innumera parvulorum milia, qui utique nihil boni operari potuerunt, sola fide Ecclesiæ et regenerationis gratia, cum in tali ætate ex aqua et spiritu renati, et originalis peccati vinculo absoluti, atque ita fuerunt defuncti; absque ulla dubitatione ad Deum perveniunt. Aliter ergo sentire, id est hominem absque laboris sui studio ad Deum pervenire non posse non est Catholicum, sed Pelagianum. Invenitur in libello cujus titulus est, Dogmatum Ecclesiasticorum, quædam talis definitio: sed omnino, ut alia nonnulla in eodem libello, Pelagiani erroris est. Et ideo quicunque eum propter alia quædam utilia legit, cum hujusmodi ibi sensus invenerit, meminerit solicite apostoli dicentis: "Omnia probate, quod bonum est tenete."

Subjungit ille, et dicit: "Ex[u] necessitate prædestinationis nihil compelli, sicut nec voluntatem." Quod[v] utrumque, id est, prædestinatione, et voluntate Dei nihil compelli, apertissima veritate falsum est. Quia et bonitate prædestinationis Dei frequenter diversis flagellis et laboribus et tribulationibus compelluntur electi, sive ut convertantur ad Deum, sive ut vivant secundum Deum. Sicut compulsus est apostolus Paulus, cum adhuc esset Saulus, cœlestis vocis terrore prostratus, divina percussione cæcatus, tanto terrore a suo errore et crudelitate coercitus; utique ut converteretur ad Deum. Et tamen jam conversus, jam apostolus, jam magister gentium effectus, adhuc castigatur, adhuc colaphizatur; ne magnitudine revelationum extollatur. Et ejusdem divinæ prædestinationis judicio et æquitate re-

[s] Rom. cap. 10. ver. 20.
[t] Esai. cap. 65. ver. 1.
[u] 2 Thess. cap. 5. ver. 21.
[v] Sec. 7.

Digitized by Google

probi compelluntur: etsi non ad inique et impie vivendum, tamen ad æternum pro ipsis iniquitatibus et impietatibus suis supplicium luendum. Similiter et bonitate voluntatis Dei, in qua est utique æterna prædestinatio Dei, et electi flagellantur temporaliter ad correctionem vel probationem: et ejusdem divinæ voluntatis severitate reprobi flagellantur æternaliter ad punitionem, cum omnipotens Deus, sicut apostolus dicit, manifesta misericordia et occulto judicio suo, "cujus[w] vult miseretur, et quem vult indurat."

Bene autem dixit disputator, "peccatum[x] non esse a Deo." Et tamen hoc ipsum superflue posuit, cum de prædestinatione divina definiret: quia nemo fidelium dicit, Deum peccata prædestinasse. Quod autem adjunxit; "mortem[y] et miseriam similiter non esse a Deo;" manifeste Scripturæ contradicit, dicenti: "Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt." Sed quia iterum Scriptura dicit; "Deus[z] mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum." Vigilanter nobis quærendum est, quomodo utrumque fideliter intelligendum sit. Videlicet, et quod Deus mortem non fecit; et quod mors et vita a Deo sunt. Ita ergo utrumque recte intelligi potest. Quod Deus mortem non fecit, qui hominem immortalem, si non peccasset, creavit. Et iterum, mors a Deo est: quia peccantem hominem justa morte damnavit. Sicque mors non est ab illo creatione: et tamen ab illo veraciter est ultione. Sicut autem mors ista corporalis, quæ et prima intelligitur, a Deo est, quia ab eo peccanti homini juste est illata: ita et mors secunda in gehenna homini permanenti in peccatis ab illo juste est inferenda. Ideo et hæc et illa, id est, et prima quæ animam dividit a corpore, et secunda per quam, ut dictum est, et anima et corpus perditur in gehenna, quia est utique justa, et justo Dei judicio homini illata vel inferenda a Deo est.

De[a] tribus hæresibus quas dicit; primam, id est, Pelagianorum, qui liberum arbitrium sine Dei gratia homini

[w] Rom. cap. 9. ver. 18.
[x] Ad cap. III. sec. 3.
[y] Eccl. cap. 11. ver. 14.
[z] Sapient. cap. 1. ver. 13.
[a] Ad cap. IV. sec. 1.

Digitized by Google

ad salutem posse sufficere dixerunt, bene novit et condemnat Ecclesia: sequens vocem Domini, suam gratiam in omnibus commendantis, atque dicentis; "Qui[b] manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere." In eo enim quod ait: "Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum;" declarat gratiæ beneficium, quam in illo manentes ex illo accipiunt ut fructificare possint Deo, sicut palmes accipit ex radice vitis. Quod autem subjunxit, "quia sine me nihil potestis facere;" manifestissime ostendit liberum hominis arbitrium absque adjutorio gratiæ suæ ad boni operis fructum nihil posse.

Secunda hæresis, quam dicit esse gratiæ solius, quæ sit, vel fuerit in Ecclesia quæ ita prædicaverit sola Dei gratia hominem salvari, ut liberum hominis negaret vel destrueret arbitrium; nobis minime compertum est. Nam antiquissimi et impiissimi illi hæretici, Marcion, et Valentinus, et Manichæus, qui vel duo vel tria principia introduxerunt, et ideo duas naturas vel angelorum vel hominum asseruerunt, id est, unam bonam et alteram malam (illam ita esse bonam ut aliud esse non possit; istam e contrario ita esse malam, ut similiter aliud esse non possit) nihil omnino de gratia Dei dixerunt, sed solam naturam naturaliter vel bonam vel esse malam stultissime defendere conati sunt. Cum Ecclesia Catholica, legis et evangelii fideliter doctrinis instructa atque munita, unam tantummodo agnoscat et prædicet omnium creaturarum, cœlestium et terrestrium, visibilium et invisibilium esse principium, sanctam videlicet Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum ex quo omnia, per quem omnia: in quo omnia: et nullam omnino naturam nisi ab eo, id est, optimo conditore esse. Et ideo omnem naturam, in quantum natura est, bonam esse, nec malum naturæ naturam, sed vitium naturæ esse. Sed quia mutabilis facta est ista natura in creatura angelica et humana, et a bono in quo condita est, suo vitio potuit labi ad malum: et a malo in quo lapsa est, quantum pertinet ad humanum genus quod

[b] Joh. cap. 15. ver. 1.

Digitized by Google

Dei miseratione salvatur, posse surgere et reformari ad bonum. Quantum vero pertinet ad partem angelorum malorum, et perpetuo judicio damnatorum, sic lapsos esse superbiendo a Deo, ut nullo jam mereantur remedio instaurari; non solum perdita, in qua conditi fuerant, bona voluntate, sed terribili judicio conditoris, etiam ipsius bonæ voluntatis possibilitate privati.

Cum ergo et illi, de quibus prædictum est, hæretici naturam tantummodo vel defenderint quasi immutabiliter bonam, vel accusaverint quasi immutabiliter malam, et ideo de gratia vel de libero arbitrio non appareat quomodo aliquid prædicare potuerint; et e contrario Ecclesia Dei sic teneat sicut brevissime commemoravimus: Quæ est ista secunda hæresis tam incognita, tam nova et inaudita, quæ libero arbitrio denegato solius gratiæ sit prædicatrix? Nisi quia, ut nobis videtur, disputator iste, vel beatum Augustinum latenter quasi hæreticum accusat, eo quod manifeste juxta veritatem Scripturarum sola Dei gratia ostendat et doceat hominem posse salvari; nec ad ipsam salutem æternam aliquid humanum arbitrium posse, nisi per eandem gratiam fuerit reformatum, sanatum, illuminatum ac roboratum. Aut certe eos, qui secundum ejus venerabilem et Catholicam doctrinam nunc de gratia Dei sentiunt et docent, quasi minus illius dicta intelligentes, hæreticos vocat: videlicet quasi ille non ita de libero arbitrio senserit, nec isti recte ejus verba intelligant; et ideo errent ex occasione verborum ejus, dum ea aliter intelligunt, quam ille qui scripsit. Hac de caussa nobis videtur, quod callidissime omnino et versutissime velut hæresim solius gratiæ posuerit, nec tamen auctorem vel sectatores ejus ulla significatione manifestaverit.

Quod si ita est; quid aliud quam Ecclesiam nostri temporis, simul cum eis qui illum ad talia instigant, viperea subtilitate accusat? Et ideo si sint tales, qui in partibus regni illius ubi iste impugnator veritatis non solum non arguitur, vel silentium ei imponitur, sed etiam laudi et honori maximo habetur, qui ei in talibus faveant, maxime viri ecclesiastici: quis digne possit non dolere et horrere istud contagii et pestilentiæ malum, quod ab illis partibus

Digitized by Google

tam effrenate et infrunite, tam impudenter et audacter, contra cæteras partes Ecclesiæ Dei quietas inter se et pacificas et tranquillas exsurgit? ubi tale monstrum et prodigium, jamdudum a fidelium auribus arcendum, sedet et disputat et congerit tot mendacia erroris, tot convicia contra fidem veritatis; et nulla pastorum Ecclesiæ vigilantia vel corrigitur a talibus vel expellitur. Denique ut manifeste agnoscamus, non eum de antiquiori aliqua hæresi dixisse, quod solius gratiæ fuerit prædicatrix: non posuit hanc hæresim ante Pelagianam, sed postea, id est, a temporibus sancti Augustini usque nunc. Nec potest inveniri toto hoc tempore, quod fuit inter illum et nos, aliquam talem hæresim in Ecclesia extitisse; nisi quod vel ipsum, ut jam diximus, beatum Augustinum, vel nos, qui eum sequimur, istius erroris accusat.

Tertiam hæresim ponit " prædestinationibus necessitates et vim inferentem." Cujus, ut sibi videtur, auctorem non tacet, vocans eam Gottescalcanam, a quodam videlicet miserrimo et infelicissimo monacho, jamdudum illic (nescimus quo ordine) damnato, et annis jam plurimis carcerali ergastulo retruso, nomine Gottescalco: quasi aliquid tam grande, et periculosum contra fidem Catholicam dicere præsumpsit, ut necessario synodali judicio, tali ac tanta damnatione plecteretur. Profecto dignum fuerat, juxta antiquum Ecclesiæ morem, ut tantus error, propter cautelæ studium, ne eo plures inficerentur, cæteris Ecclesiis in diversis regni partibus constitutis, etsi non in initio quando tantum malum est deprehensum, vel in fine quando tanta est severitate damnatum; saltem postea per literas synodicas et ecclesiasticas ad omnium fratrum et coepiscoporum notitiam perferretur. Quod si more, ut diximus, ecclesiastico semper a patribus observato factum fuisset: melius nunc sciremus, et paratiores essemus ad redarguenda et convincenda quæ iste eum docuisse proponit; " dicens eum prædestinationibus necessitates et vim inferentem."

Quod ergo de prædestinationibus, velut pluraliter dictis, eum accusat: manifestum est, sicut jam in multis superius demonstravimus, quod non ei tantum displiceat hujus no-

Digitized by Google

minis, id est, prædestinationis, pluralis numerus, quantum ipsius prædestinationis vere pluralis, id est, duplex effectus: tam videlicet, ut frequenter diximus, et ex Scripturis sanctis ostendimus, in præparatione electorum ad vitam, quam in præordinatione reproborum ad pœnam. Quod ut iste contra fidem Ecclesiæ denegaret, tantum et tam lacunosum laborem assumpsit, ut novis argumentationibus nobis persuadere conetur, prædestinationem esse substantiam Dei, imo ipsum Deum esse prædestinationem, et ideo pluraliter de ea non debere sentiri: videlicet ut in parte tantum electorum sentienda sit prædestinatio; in parte autem reproborum minime.

Et ex hac occasione, ut justam reproborum prædestinationem ad supplicium æternum evacuet, in tantam prorupit audaciam, ut apertissime contra fidem et veritatem Scripturarum asserere conaretur; quod sicut peccatum non est a Deo, ita et ejus supplicium, id est, omnis miseria et mors, quæ peccantem hominem consecuta est, non sit a Deo. Cum manifeste a Deo, juste damnante et judicante, et miseria laborum et sudorum peccanti homini inflicta sit, et ipsa laborum omnium extrema mors, dicente Domino ad eum de miseriis vitæ laboriosæ "Maledicta[c] terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane." Ubi statim de extrema mortis pœna subjunxit: "donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es, et in pulverem reverteris." Sed et mulieri, quæ ante virum suum peccavit, ipsius peccati pœnam propriam, præter eam quæ ei cum viro communis est, confestim irrogando ait. "Multiplicabo[d] ærumnas tuas et conceptus tuos, in dolore paries filios," &c. Negando itaque in parte reproborum justam divini judicii prædestinationem, ad hoc devolutus est, ut etiam omnes humanas miserias et ipsam mortem a Deo non esse, id est, ad Dei judicium non pertinere assereret. Ubi si quæratur ab eo, unde sit mors et miseria, si a Deo non est; quid aliud restat, nisi ut contra omnem veritatem respondeat, aut a nullo esse,

[c] Gen. cap. 3. ver. 17, 18, 19. [d] Ibid. ver. 16.

Digitized by Google

aut a Diabolo esse? cum a nullo ea esse dicere insanissimum sit: Diabolus autem causas peccandi tantummodo suaserit; ultionem vero peccati non ipse, sed justus judex intulerit.

Quod autem dicit, " præfatum Gottescalcum prædestinationibus necessitates et vim inferentem:" si ita hoc dicit, quasi illa prædestinatio reproborum ad interitum, alicui eorum vim et necessitatem imponat ad malum, id est, ut inevitabiliter mali sint, et omnino aliud esse non possint; hoc omnino alienum est a fide Catholica: quia omnipotens Deus, qui neminem vult esse malum, majus absurdum et impium est, ut dicatur, quod aliquem cogat et compellat esse malum: et de quo scriptum est, " Justus[e] Dominus justitias dilexit," aliquem compellat esse injustum. Sed hoc agitur nunc in omnibus reprobis de peccatis eorum, et supplicio extremo, quod actum est in primo homine peccante judicio primo: ut sicut ille nulla Dei impulsione, vel compulsione, aut prædestinatione compulsus est ad peccandum, sed sua tantum sponte peccavit; judicium tamen et damnationem ipsius peccati nolens invitusque suscepit, quod fuit supplicium hominis primum: ita et omnis reproborum multitudo, quæ ex illa damnatione descendit, non Dei prædestinatione compellitur ad peccandum, cum Deus nulla peccata prædestinaverit. Sed tamen ipsius divinæ prædestinationis justo et æterno judicio compellitur ad luendum supplicium; recipiens a Deo vim et necessitatem justæ damnationis, quæ nullam habuit vim aut necessitatem perpetrandæ iniquitatis.

Neque enim illi, qui a sinistris stabunt in judicio, et puniendi sunt igne æterno, volentes suscipient tale supplicium: sed utique nolentes et inviti, et inremediabiliter dolentes, ac trementes, divinæ majestatis nutu et angelico ministerio illuc præcipitabuntur. Sicut Dominus aperte in evangelio dicit: " Sic[f] erit in consummatione seculi; exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis, illic erit fletus et stridor dentium." Istis namque messoribus et ministris angelis,

[e] Psal. 11. ver. 7.

[f] Matt. cap. 13. ver. 49, 50.

Digitized by Google

quando venerit messio, id est, seculi consummatio, ab ipso judice dicetur: " Colligite[g] zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum." Ecce qualem vim et necessitatem divinæ prædestinationis erga reprobos Ecclesia Dei juxta evangelicam veritatem credit, id est, vim et necessitatem judicii; non vim et necessitatem peccati. Qui autem vim et necessitatem peccandi Deum intulisse homini vel inferre dicit, manifeste horribiliter in Deum blasphemat, quem ad peccata compellendo utique auctorem peccati esse confirmat. Hoc igitur modo nos, secundum veritatem Dei, de reproborum prædestinatione sentimus: fideliter eum confitentes, non peccati eorum, sed justi supplicii auctorem. Et ideo quod iste delirat, quasi hujus prædestinationis prædicatio, necessitatis ad peccandum sit irrogatio; quam sit calumniosum et vanum, putamus quod ex his quæ dicta sunt omnibus clareat.

Postquam autem " dixit nullam[h] naturam perire posse," statim qui hæc omnia dixerit ostendens subjunxit, " nec liberam voluntatem hominem perdidisse, id est, naturam suam." Videlicet quasi illa falsa et fallaci argumentatione sua qua ait, nullam naturam posse perire, hoc nobis probaverit, quod homo peccando liberam voluntatem non amiserit; eo quod, secundum istum, libera voluntas ejus, ipsa sit natura ejus. Nos autem juxta fidei Catholicæ veritatem, dicimus quod natura illius primi hominis a bono creatore ex toto bona et bona voluntate prædita condita sit: (hoc est enim, quia " creavit[i] Deus hominem rectum," sicut scriptura dicit) ita tamen ut non tantum naturali bono esset in eo voluntas bona et libera; sed ut vere in eo quod conditus fuerat stare posset, divinæ gratiæ indigeret, et adjuvaretur auxilio. Unde illa vox ex persona ejus intelligitur in Psalmo dicens: " Ego[k] autem dixi in abundantia mea, non movebor in æternum." Ubi statim de casu suo subjungit, et dolens dicit ad Deum: " Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus." Quod enim in

[g] Matt. cap. 13. ver. 30.
[h] Cap. IV. sec. 3.
[i] Eccles. cap. 7. ver. 30.
[k] Psalm. 30. ver. 6, 7.

Digitized by Google

abundantia erat, et bonæ voluntatis et beatæ libertatis, ante peccatum ex Deo illi erat: cui et dicit; "Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem." Quod autem avertente Deo faciem suam ab illo, nec eum vultu suo illuminante factus est conturbatus; meritum ac pœna peccati fuit.

Iste autem, qui absque isto divinæ gratiæ adjumento in tantum in eo solum naturæ bonum prædicat, ut liberam voluntatem nec peccando illum amisisse contendat, ita ut etiam ipsam liberam voluntatem naturam ejus esse dicat: manifeste Pelagiano errore involvitur: asserens hominem sola natura et ante peccatum liberam voluntatem habuisse, et post peccatum eandem liberam voluntatem eum non amisisse: et ipsam liberam voluntatem naturam ejus esse. Cum profecto non fuerit libera, nisi quandiu Deo pie subdita permansit bona: ubi autem Deum contemnendo, et mandatum ejus superbe transgrediendo peccavit, statim facta sit sub jugo peccati. Quia, sicut ipse Dominus dicit; "Omnis[l] qui facit peccatum, servus est peccati." Et itaque ante erat libera ad bonum: post illam miserabilem ruinam, per se ipsam non potuit esse libera, nisi ad malum. De quo profundissimo damnationis malo nullatenus valet assurgere ad libertatem bonæ voluntatis, nisi illo liberante qui ait: "Si[m] vos filius liberaverit, tunc vos vere liberi eritis."

Iste autem, qui propterea eum putat non amisisse peccando liberam voluntatem, quia cum ipsa bona et libera voluntate est conditus, et ideo naturaliter ei inerat ipse bonæ voluntatis affectus; scire debet, quod ideo condidit omnipotens Deus omnem rationalem creaturam, et hominum scilicet, et angelorum, bona et recta voluntate præditam, ut quamdiu servaret suum ordinem pie Deo subdita, et gratia ejus adjuta, permaneret in ea dignitas sua, id est, et naturæ bonum et gratiæ donum. Si autem contra creatorem superbiendo, et de se potius præsumendo, desereret ordinem subjectionis et obedientiæ suæ; continuo ipsius conditoris justo judicio, et dono gratiæ

[l] Joh. cap. 8. ver. 34. [m] Ibid. ver. 36.

Digitized by Google

privaretur, et natura in deterius converteretur. Unde in Psalmo scriptum est: "Homo[n] cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis." Erat namque ante peccatum in honore naturæ bonæ a Deo conditæ; erat in honore gratiæ sibi a Deo collatæ: sed hunc honorem divinæ bonitatis et gratiæ, unde haberet non intellexit; cum deserto Creatore de se præsumpsit, et suggestione serpentis Deo similis tanquam sub nullo Domino esse concupivit.

Unde et ipse merito a creatore desertus, totus in deterius commutatus est, et anima videlicet et corpore. Anima, quia amissa libertate bonæ voluntatis et peccato dominante depressus, ea quæ sursum quærere cessavit; et infima velut bruto et pecudeo sensu appetivit. Corpore vero, quia mortis conditione damnatus, ut in terram et pulverem, unde sumptus est, more jumentorum dissolveretur, justi judicii sententiam excepit. Ecce ad quantum malum devoluta est humana natura, peccati merito tota in deterius commutata, libertate ad bonum amissa, et ad solum malum appetendum libera; nisi ejus gratia sanetur et redintegretur, qui "venit[o] quærere et salvare quod perierat." Angelica autem natura, quantum in Diabolo et angelis ejus depravata, et horribiliter in deterius commutata sit, amisso libero arbitrio ad bonum, ut non solum ad illud ullatenus assurgere, sed nec velle jam possint, et ad solum malum numquam mutanda malitia conversi, quis digne possit expavescere, quanto minus verbis explicare?

Adjungit ille quasi definiendo: "Libertatem[p] homini post peccatum remansisse; vigorem et potestatem ejus perdidisse." In quibus verbis non est diutius morandum: quia, sicut supra jam sæpius diximus, qui ante peccatum erat liberæ voluntatis et naturæ bonæ et dono gratiæ, ad summum et æternum bonum (ad quod conditus fuerat) amandum et desiderandum, quærendum, inveniendum et contemplandum; peccando cecidit a tanto bono et factus est servus peccati; sicut Dominus ipse testatur dicens: "Om-

[n] Psalm. 49. ver. 12. 20.
[o] Luc. cap. 19. ver. 10.
[p] Sec. 4.

Digitized by Google

nis[q] qui facit peccatum servus est peccati." Et beatus Petrus apostolus dicit: "A[r] quo enim quis superatur, ejus et servus est." Ita amisso dono gratiæ, vitiato et corrupto et depravato bono naturæ, sic miserabiliter a tanta felicitate lapsus est; ut ad illud bonum amandum et perfruendum, cui inhærere debuerat, nullum possit habere recursum, nisi per misericordissimi reconciliatoris et mediatoris auxilium, et sanguinis ejus pretium a quo redimimur de tanta captivitate, ut recipere possimus pristinam libertatem, et de inimicis efficiamur amici. De quo mediatore scriptum est: "Unus[s] enim Deus, et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus." Et iterum: "Cum[t] inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus."

Quicunque ergo dicit post illam transgressionis infelicissimam ruinam, qua, amissa pristina libertate, factus est homo servus peccati, factus est servus ejus a quo et superatus est, factus est inimicus Dei, et indiget uno mediatore et reconciliatore, per quem accipiat redemptionem a servitute et reconciliationem ad Deum; post hanc, inquam, tam magnam et miserabilem ruinam, quicumque dicit eum habuisse vel habere liberam voluntatem ad verum bonum appetendum, amandum et promerendum, nisi per gratiam veri mediatoris redimatur, justificetur, reconcilietur, et reformetur, omnino contra fidem Ecclesiæ sentit, contra veritatem evangelicam et apostolicam docet, et omnino quantum in se est evacuator est crucis Christi, evacuator est mortis Christi. Quia si aliter homo post illud peccatum veram mentis libertatem habere aut recuperare potuit nisi per redemptionem mortis et crucis Christi, sicut apostolus ait ad quosdam, qui se aliter putabant posse justificari; "Ergo[u] Christus gratis mortuus est." Et hæc est "sapientia[w] verbi, in qua evacuatur crux Christi." Vere enim, si post illud peccatum veram

[q] Joh. cap. 8. ver. 34.
[s] 1 Tim. cap. 2. ver. 5, 6.
[u] Gallat. cap. 2. ver. 21.
[r] 2 Pet. cap. 2. ver. 19.
[t] Rom. cap. 5. ver. 10.
[w] Ibid. cap. 1. ver. 17.

Digitized by Google

libertatem homo habere potuit; non indiguit redemptione, non indiguit redemptore: et superfluus est adventus Christi, superflua est mors Christi.

Quod autem dicit iste, " peccantem hominem non amisisse libertatem, sed ipsius libertatis vigorem et potestatem;" non recte dicit, quia nec recte sentit. Non enim bonum libertatis ex parte tenuit, et ex parte amisit: sed sicut vigorem et potestatem libertatis, ita ipsam perdidit libertatem; ut jam ipse ad verum bonum, unde cecidit, liber esse non possit. Remansit autem liber ad malum: quia sicut libera voluntate deseruit bonum, ita libera voluntate adhæsit malo. Habet itaque homo post illam damnationem liberum arbitrium, quo propria voluntate inclinari potest et inclinatur ad malum, habet liberum arbitrium quo possit assurgere ad bonum: ut autem assurgat ad bonum, non est propriæ virtutis, sed gratiæ Dei miserantis.

Nam et qui graviter ægrotat, potest dici posse recipere sanitatem; sed ut recipiat sanitatem, habet necessarium medicamentum: et qui mortuus est, potest dici posse resurgere, posse vivere; non tamen sua virtute, sed Dei. Ita et liberum arbitrium hominis semel sauciatum, semel mortuum, potest sanari; non tamen sua virtute, sed gratia miserantis Dei. Et ideo recte omnes admonentur, recte omnibus verbum Dei prædicatur; quia habent posse credere, habent posse converti ad Deum, ut verbo extrinsecus admonente, et intus Deo suscitante, qui audiunt reviviscant: ut recte de hujusmodi homine dicatur, quia " mortuus[x] fuerat et revixit; perierat et inventus est."

Iste[y] autem postquam inaniter et fallaciter dixit, post peccatum homini libertatem remansisse, subjicit aliam conclusionem, et ait: " semper naturam inchoare posse, sed perficere non nisi per gratiam." Quod si ita dicit, quasi natura hominis per liberum arbitrium suum semper possit bonum inchoare, sed non nisi per gratiam Dei perficere; ut inchoatio totius boni semper homini deputetur, Deo autem tantummodo ejus perfectio; ut primam partem

[x] Luc. cap. 15. ver. 24. [y] Sec. 5.

Digitized by Google

boni agendi sibi vendicet homo, secundam Deus: talis sensus omnino Pelagianus est, et contrarius evangelicæ et apostolicæ veritati. Quia et ipse Dominus, ut initium boni nostri ostendat non esse ex nobis sed ex illo, ait: "Non[a] vos me elegistis, sed ego elegi vos." Et apostolus dicit fidelibus: "Quia[a] qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu." Et iterum: "Vobis[b] donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, verum etiam ut pro illo patiamini." Et beatus Johannes apostolus dicit: "Non[c] quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris." Et iterum beatus apostolus ait: "Per[d] patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem et consummatorem fidei nostræ Jesum."

Si ergo vere Catholici esse cupimus, totum fideliter divinæ gratiæ deputare debemus; et initium videlicet boni operis nostri et finem. Quia (sicut præmissis Scripturæ sanctæ testimoniis clarissime demonstratur) Dominus elegit sanctos suos, non illi eum; Deus in suis fidelibus, et incipit bonum et perficit; ab ipso donatur fidelibus qui pro eo patiuntur, et initium fidei et finis martyrii; ipse prior dilexit sanctos suos, ut et illi eum possent diligere; et fides nostra Dominum Jesum habet auctorem eam in nobis inchoando, et ipsum habet consummatorem perficiendo. Hæc ergo fideliter teneamus, ut in vera fide fundati, ab errore hæretico tuti simus. Aut si istius verba alium sensum habent; ostendat ipse qui scripsit.

Dicit deinde: "sicut[e] in præscientia et prædestinatione Deum causam non esse peccati, ita nec pœnæ ejus, nec mortis." Quibus verbis non respondemus. Quia si præscientia et prædestinatio Dei non est alicui causa peccati (sicut omnino verum est) ergo eadem divina præscientia et prædestinatio non est injusta, nec in aliquo vituperanda; qua (quia impios in sua impietate perseverantes præscivit)

[a] Joh. cap. 13. ver. 16.
[b] Philipp. cap. 1. ver. 29.
[d] Hebr. cap. 12. ver. 1, 2.
[a] Philipp. cap. 1. ver. 6.
[c] 1 Joh. cap. 4. ver. 10.
[e] Ad cap, V. sec. 3.

Digitized by Google

et prædestinavit æternis suppliciis condemnandos. Quia sua præscientia et prædestinatione omnipotens Deus non eis existit causa peccati, sed justus ultor peccati: nec eos impellit ad peccandum, sed juste tradit ad luendum supplicium. Præscit ergo sicut vere et verus Deus hominum futura peccata: (unde et Scriptura dicit: "Deus[f] æterne, qui occultorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant") non ut ad peccandum sua præscientia aliquem compellat, sed ut ipsos peccantes sua æterna providentia juste ordinet vel condemnet. Prædestinatione etiam sua, qua impios punire decrevit (sicut jam dictum est) non ut essent impii effecit; sed ut in ipsa impietate sua perseverantes non essent impuniti, juste constituit.

Quod vero iste adjungit atque definit, quia "sicut Deus sua præscientia et prædestinatione non est alicui causa peccati; ita nec causa sit pœnæ et mortis quæ peccato debetur;" fideliter discernendum est. Quia videlicet homo peccando ipse sibi extitit et existit causa pœnæ suæ, et causa mortis suæ. Et tamen quia omnipotens Deus judex est justus; licet non sit in ejus præscientia et prædestinatione, sed in hominum meritis, causa pœnarum et mortis: tamen est in eadem præscientia et prædestinatione æterna justitia, qua in sua impietate permanentibus et pœna inferatur et mors. Et ideo tali argumentatione, sicut iste vult, non destruitur prædestinatio Dei, qua impiis irrogat æterna supplicia. Quia si non est in ejus prædestinatione ulla causa pœnarum: est tamen ibi justitia et judicium juste inferendarum pœnarum.

Addit idem: "Si[g] qua causa præcedat voluntatem, id est, naturam ad bona vel mala cogitanda vel facienda, non esse naturam." Ubi manifeste contra veritatem loquitur. Si enim nulla causa præcedit voluntatem hominis ad bona cogitanda vel facienda: unde est in homine bona voluntas, id est, pia affectio ut possit aliquid boni cogitare vel facere? Neque enim a semetipso habet homo voluntatem bonam, de qua dicitur, "Pax[h] in terra, hominibus bonæ

[f] Dan. cap. 13. ver. 42.
[g] Sec. 5.
[h] Luc. cap. 2. ver. 14.

Digitized by Google

voluntatis," neque a semetipso habet efficientiam boni operis, de qua dicitur: "Gloria[i] autem et honor et pax omni operanti bonum," sed ab illo hæc habet, de quo apostolus fidelibus dicit; "Deus[k] est enim qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate." Ipse prævenit voluntatem hominis misericordia sua: sicut Psalmista dicit; "Deus[l] meus, misericordia ejus præveniet me." Ipse inspirat homini gratiam cogitandi recte: sicut apostolus dicit; "Non[m] quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est."

Ipse ergo nobis est causa bonæ voluntatis: ipse nobis est causa bene desiderandi et perficiendi: ipse nobis causa misericordiæ et gratiæ; qua non solum bene agere et perficere, sed etiam bene cogitare possimus. Et non solum in præsenti hæc agit in electis suis; sed etiam ante mundi constitutionem prædestinavit illos gratia sua, ut essent sancti et immaculati coram ipso: sicut apostolus testatur dicens; "sicut[n] elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus, in charitate." Cum ergo tanta et talis causa, quæ est utique causa omnium bonorum, sive in condendis, sive in munerandis creaturis suis, sit nobis optima et æterna causa bonæ voluntatis, præcedens nos gratia sua, ut bene velle et bene agere possimus: quomodo iste dicit, nullam causam præcedere bonam voluntatem, et bona opera nostra; aut si præcedat hæc aliqua causa per quam fiant, ipsam causam non esse naturam? cum omnipotens Deus, qui bonæ voluntatis nobis est causa, ipse sit præ omnibus summa et optima natura.

Qui ergo non credit hanc summam et efficacissimam causam eandemque summam et optimam naturam, præcedere voluntatem nostram ut recte velle et recte operari possimus; manifeste resistit veritati, et Pelagiani erroris esse convincitur. Si enim hæc felix causa non præce-

[i] Rom. cap. 2. ver. 10.
[l] Psalm. 59. ver. 10.
[n] Ephes. cap. 1. ver. 4.
[k] Philipp. cap. 2. ver. 13.
[m] 2 Cor. cap. 3. ver. 5.

Digitized by Google

deret hominum voluntates: nulla esset prædestinatio bonorum, nulla redemptio miserorum, nulla remuneratio operum piorum. Ad mala autem cogitanda vel facienda, absit ut hæc summa et optima causa voluntatem nostram præcedat: præcedit tamen eam causa, non efficiens sed deficiens, id est, summi boni desertio et inferioris appetitio; cum ab amore Dei anima deficit, et ea quæ sunt inferius concupiscit. Ad hoc ergo elapsa humanæ naturæ voluntas efficitur mala; nullam aliam habens causam quia mala sit, nisi, ut dictum est, defectum a summo bono. Talis namque defectus voluntatis et angelos fecit malos deserentes Deum, et hominem similiter malum inobedientem Deo. Talis autem defectus manifeste non est aliqua natura: est tamen ipsius vel humanæ vel angelicæ naturæ deserens creatorem, et defluens ad seipsum, vel etiam ad infimam creaturam. Et hæc est origo totius malæ voluntatis, totius pravæ cupiditatis et operis. Sed quamvis non sit Deus causa malis voluntatibus nostris; nec ulla natura subsistens, sed creaturæ rationalis adfectus ab amore conditoris deficiens: non tamen idcirco non est judex et vindex ipsarum cogitationum nostrarum, et justæ vindictæ ac judicii sui prædestinator æternus. Quod iste tantis ambagibus et argumentationibus evacuare contendit.

Quod ait, "nullum[o] peccatum, nullamque ejus pœnam aliunde nasci, nisi propria hominis voluntate libero male utentis arbitrio;" verum est quidem, quia hominis propria voluntate commissum est peccatum, et peccati merito consecuta est pœna peccati, id est, mors, miseria et supplicium. In hoc tamen plurimum distat inter peccatum et pœnam peccati: quod peccatum illud solus homo fecit; peccati vero pœnam et ipse meruit, et Deus juste judicando inflixit. Et ideo tali argumentatione nequaquam concludit vel ostendit iste quod vult; videlicet, quasi nulla pœna peccati, nulla miseria, nullum supplicium, quæ peccatoribus irrogantur, a Deo sint: et ideo non potuisse a Deo prædestinari iniquorum æterna supplicia; quia ab ipso non sunt, sicut peccatum, ita nec supplicium. Cum

[o] Ad cap. VI. sec. 1.

Digitized by Google

sicut jam supra ostendimus, apertissime contra hunc errorem Scriptura clamet: "Bona[p] et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt." Non utique illa mala quæ homines peccando et inique agendo committunt, quorum omnino Deus author non est, sed illa quæ propter peccata hominibus justo Dei judicio irrogantur; sicut, fames, cædes, hostilitates, vastationes, et cæteræ ærumnæ et clades.

Septimo capitulo talem definitionem ponit: "Liberum[q] arbitrium inter media dona Dei deputandum; ideoque et peccari potuisse." Ubi hoc breviter dicendum et distinguendum est, quod iste licet donum Deum dicat esse liberum arbitrium, tamen naturale illud tantummodo asserit more Pelagianorum. Cum fides Ecclesiæ multum distinguat inter dona naturæ et dona gratiæ: ut quod dedit omnipotens Deus homini naturaliter mentem rationalem et intellectualem, et in eadem mente memoriam, intelligentiam, voluntatem; quod etiam dedit naturaliter corpori humano, substantiam, formam, speciem, incolumitatem; sensum videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi, tangendi, vivificante illud anima et sensificante; manifeste sint dona et munera naturæ, quæ prima creatione Deus homini inseruit, et creando naturaliter dedit. Quod autem dat Deus homini fidem, spem, charitatem, pietatem, bonam voluntatem, boni operis facultatem, et cætera hujusmodi: dona [sunt] suæ gratiæ, dona Spiritus sancti; de quibus apostolus dicit: "Hæc[r] autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult." De quibus etiam in psalmo dictum esse exponit; "Ascendens[s] in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus."

Unde et ipsum liberum arbitrium fides Catholica, fides vera, inter dona gratiæ deputat. Quia licet naturaliter illud homini Deus inseruerit, quando eum creavit utique bonum et bona voluntate præditum: tamen et tunc indigebat gratia conditoris, ut in bono quo creatum fuerat per-

[p] Eccl. cap. 11. ver. 14. [q] Ad cap. VII.
[r] 1 Cor. cap. 12. ver. 11.
[s] Psalm. 68. ver. 18. Ephes. cap. 4. ver. 8.

Digitized by Google

maneret; et primi illius peccati merito amissa libertate infirmatum, vitiatum, atque corruptum, et velut quadam ruina depressum, nullatenus valet assurgere ad illud æternum et summum bonum, ad quod homo conditus est, nisi Dei gratia sanetur, redintegretur, illuminetur, et liberetur; nec potest omnino aliter fieri liberum, nisi fuerit Dei gratia liberatum, per eum qui dicit; " Si[u] vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis." Ut fiat in nobis quod apostolus ait: " Ubi[w] spiritus Domini, ibi libertas." Et ideo, sicut diximus; insanus et Pelagianus est error, si quis liberum arbitrium, quod in Adam periit peccando, amisso, et dono naturæ, et dono gratiæ, aliter putat esse liberum, nisi fuerit Christi gratia liberatum.

Quod autem dicit iste, " illud liberum arbitrium bonum et rectum, et bona voluntate ad superna et divina erectum, quale in primo homine conditum fuit, ita ut esset sine ullo peccato, et posset non peccare, si vellet:" quod, inquam, tale et tam magnum bonum, non inter summa, sed inter mediocria Dei dona esse asserit deputandum; multum a veritate discordat. Quia, sicut diximus, tantum et tale erat in illo primo homine liberi arbitrii bonum, quale in nullo est sanctorum in præsenti vita: in quibus licet sit liberum arbitrium jam Christi gratia liberatum atque sanctum, tamen tanta est illa sanitas, ut quandiu mortaliter vivunt, sine peccato esse non possint; et cum multum velint atque desiderent non peccare, non possint tamen non peccare. Unde et quotidie indigent supplicare, et veraciter dicere Patri cœlesti; " Dimitte[x] nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris." Non ergo medium, sed summum donum erat, secundum eum modum quo tunc homo in paradiso vivebat, liber a peccato, et libertatem non peccandi habens in propria voluntate, quandiu pie Deo se subjiceret regendum atque juvandum; licet adhuc esset perficiendum in melius, si in Dei obedientia permansisset, ut tantam virtutem acciperet, ut jam peccare non posset. Ut autem tale et tam liberum arbi-

[u] Joh. cap. 8. ver. 36.
[w] 2 Cor. cap. 3. ver. 17.
[x] Matt. cap. 6. ver. 12.

Digitized by Google

trium in illo primo homine peccare posset, fecit hoc desertio Dei, et præsumptio sui: dum sub Deo esse negligens, et in sua potestate esse volens, amisit donum divinæ gratiæ, amisit bonum naturæ, et invenit se sub damnatione miseriæ.

Post hæc dicit iste, "liberam[y] voluntatem esse naturam hominis, ejusque liberum motum ac potestatem movendi; quod sit liberum arbitrium hoc donum Creatoris." Nos autem, ut ipsa rei veritas evidenter ostendit, non dicimus hominem esse voluntatem. Quia videlicet aliud est ei esse, aliud velle: et ideo non homo voluntas, sed hominis est voluntas. Ostendit tamen iste quod, Pelagiano errore, secundum naturam tantum hominis liberum arbitrium esse sentiat; et donum esse naturæ, non donum gratiæ, id est, voluntatis humanæ, ut ipse dicit, liberum motum ac potestatem movendi. Per quod manifeste ostendit ita se sentire, quod voluntas humana non solum liberum naturaliter motum habeat, ut moveatur ad appetendum bonum vel malum; sed etiam liberam potestatem, qua faciat ipsum bonum vel malum.

Sed e contrario fides Catholica tenet, contra omnes hujusmodi errores, quod liberum arbitrium, etsi fuerit in homine naturaliter rectum et integrum ante peccatum; tamen peccati merito depravatum, imo amissum, nullum habeat motum, id est, appetitum bonæ voluntatis implendæ, nisi per occultam gratiam, donante et inspirante illo, de quo apostolus verissime dicit; "Deus[z] est enim qui operatur in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate." Habet namque, ut jam diximus, naturaliter a creatore insitum, ut possit velle, ut possit etiam posse quod bonum est: ut autem hoc velit, ut hoc possit nempe perficere; non habet ex se, sed ex illo tantum qui operatur in cordibus fidelium et velle et perficere pro bona voluntate.

Triplex[a] enim status humanæ voluntatis fideliter intelligi potest; videlicet, quod primus ille homo ita bonæ voluntatis conditus est, ut si vellet, posset non peccare.

[y] Ad cap. VIII. sec. 3.
[z] Philipp. cap. 2. ver. 13.
[a] Sec. 4.

Digitized by Google

Nunc autem etiam sancti homines, quia ex vitiata illius propagatione nascuntur, quamvis velint, non possint non peccare: unde et quotidie veraciter Deo dicunt; "dimitte[b] nobis debita nostra." In illa autem beatitudine quæ eis donanda est, tanta virtute solidandi sunt; ut jam non possint peccare; sicut tanta incorruptionis gratia induendi, ut nunquam possint mori.

At in tantum disputator iste auditorum sensibus et auribus abuti præsumpsit, ut auderet, velut quidam fabricator et figulus mendaciorum, novam liberi arbitrii definitionem velut luteam et lutulentam fingere, et quasi magnum aliquid intuentium oculis proponere. Subjunxit enim posthæc, et ait: "Sitque[c] talis differentia inter liberum hominis arbitrium, et ejus substantiam; ut natura ejus sit in voluntate rationali, liberum vero ejus arbitrium in ejus libertate, sive in motu liberæ naturaliter voluntatis, sive in munere intelligentiæ." Ecce quale liberum arbitrium docet; utique Pelagianum, non Christianum: cujus scilicet natura sit rationalis voluntas, effectus vero in sua naturali voluntatis libertate consistit; et ex sola et in sola ipsa naturali voluntate habeat libertatem et motum et intelligentiæ munus. Nos autem, secundum veritatem fidei, ita liberum arbitrium in homine agnoscimus, ut licet menti rationali naturaliter a Deo insitum, et bonum ac rectum prima conditione collatum; tamen peccati merito depravatum, et naturali virtute spoliatum, nullam possit habere ad verum bonum libertatem, nullum bonæ voluntatis motum, nullum intelligentiæ lumen, nisi illius gratia fuerit instauratum, qui ait: "Si[d] vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis."

Quod vero ait, "omnem[e] prædestinationem præscientiam esse;" ex parte verum est quidem. Quia omnis prædestinatio futurorum non sine præscientia sit, per quam ipsa futura præsciuntur. Sed si hoc ideo dictum est, quasi nihil amplius agat prædestinatio in rebus vel de rebus futuris, quam præscientia; manifestissime falsum

[b] Matt. cap. 6. ver. 12.
[c] Sec. 6.
[d] Joh. cap. 8. ver. 36.
[e] Ad cap. IX. sec. 2.

Digitized by Google

est. Quia præscientia ipsæ res futuræ tantummodo præsciuntur: prædestinatione vero etiam statuuntur, præfiniuntur et decernuntur. Et ideo prædestinatio impiorum ad supplicium æternum non tantummodo præscivit, sed etiam justo et æterno judicio statuit ac præfinivit quid essent passuri.

Quod dicit "non[f] esse Dei prædestinationem nisi de his qui præparati sunt ad æternam felicitatem;" sive ex suo sensu hoc dixerit, sive ab aliis audierit: Nos tamen veraciter scimus, quia iste est error moderni temporis apud plurimos, dum non putant prædestinationem Dei nisi in parte electorum in scripturis inveniri; nec ipsum beatum Paulum apostolum in epistolis suis nisi de solis similiter electis prædestinationem posuisse. Sed acquiescendum et obediendum est humiliter veritati; et non quod semel nobis persuasum est, contentiose defendendum; sed potius Scriptura sancta diligentius perscrutanda, non solum apostolica, sed etiam prophetica, ex qua omnis apostolica auctoritas descendit.

In quibus tamen propheticis testimoniis, (quæ nobis B. Apostolus tanta auctoritate proposuit; ut nihil omnino de hujus rei, id est, divinæ in utramque partem prædestinationis, profunditate et obscuritate, nisi ex eorum firmitate et evidenti attestatione docere voluerit) illud præcipue omni pietatis consideratione attendendum est, quod nusquam in eis expresse et proprie verbum prædestinationis sonet: tamen quia ipsæ res ad utramque prædestinationem pertinentes manifestissime apparent, et evidentissime declarantur, confidentissime apostolus ad tantæ rei confirmationem atque doctrinam ea assumpsit; et ita tenenda atque intelligenda Ecclesiæ tradidit. Sua scilicet auctoritate et exemplo nos informans et instruens, ut non contentiose et supervacue de ipso verbo prædestinationis in sanctorum prophetarum eloquiis inter nos disceptemus, vel, quod absit, etiam rixemur: sed pacifica et pia intelligentia, ubicunque res ipsa manifestissime declaratur, in-

[f] Ad cap. XI. sec. I.

Digitized by Google

dubitanter omnino divinam prædestinationem et agnoscere et asserere debeamus.

Proponit etiam quæstionem; "quomodo[g] juste judicabitur mundus, quem necessitas prædestinationis cogit perire?" quod absit ut aliquis nostrum dicat. Quia apertissimæ blasphemiæ est, ut Deus prædestinationis suæ præjudicio aliquem cogat peccare et peccando perire. Sed prædestinationis suæ justo judicio, quos perseverantes in peccatis punire decrevit, revocat potius a peccatis: et salubrem terrorem incutit audientibus, ut timentes corrigantur, et correcti minime damnentur.

Similiter falsissimum est, quod affirmare conatur, videlicet, "non[h] esse ullam prædestinationem pœnæ." Si enim pœna Diabolo et angelis ejus, et omnibus reprobis qui cum eis puniendi sunt, non esset prædestinata: nullatenus veritas diceret: "Ite[i] in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et angelis ejus." Et quod in fine hujus tertiæ propositionis ponit, "prædestinationem in donis divinæ largitatis semper intelligendam esse;" similiter falsum est. Invenitur enim et veraciter intelligitur, non solum in donis divinæ largitatis, sed etiam in judiciis justæ damnationis.

De[k] quibus, et suo merito, et justo divino judicio, damnatis cum iste dicat, quod in massa damnata ex originalis peccati merito sint derelicti, et male vivere permissi, et ad extremum æterno igne plectendi; etiam nolens et contradicens, nihil aliud dicit, quam divino eos judicio æterno igni prædestinatos. Nam si massa illa tota damnata est, utique justo Dei judicio est condemnata; et condemnata sine dubio ad æternam perditionem atque supplicium. Quod quid est aliud, quam hanc eandem massam divino judicio damnatam esse ad interitum sempiternum? Ita dum veritati resistere conatur, ipsam veritatem etiam nolens ac nesciens invicta ratione confiteri compellitur.

Mirum[l] est autem quo sensu vel qua ratione possit in-

[g] Sec. 2.
[h] Ad cap. XII. sec. 3.
[i] Matt. cap. 25. ver. 41.
[k] Ad cap. XIII. sec. 4.
[l] Ad cap. XIV. sec. 2.

Digitized by Google

telligi; ut Deus peccatoribus prædestinaverit pœnas, et peccatores non prædestinaverit pœnis. Neque enim quando eis pœnas prædestinavit et præparavit, ignorabat qui eis puniendi et cruciandi essent. Quod etiam iste confitetur, dicens esse præscitos. Si ergo certissime præsciebat, qui illis pœnis justissime puniendi et excruciandi essent: quid aliud fecit cum certissimis quibusque certissimas pœnas præparavit; nisi quod eos certissime pœnis prædestinavit? Omnino enim illi soli eas patientur, quos ille passuros præscivit. Quid ergo est immutabili præscientia præscisse illos ad pœnas, quam immutabiliter eos pœnis prædestinasse? Neque enim timendum erat, ut quod certissime præsciebat juste futurum, non prædestinaret se juste facturum.

Alia[m] est autem legum humanarum conditio, quæ sic statuunt peccantibus certa supplicia, ut tamen qui ita peccaturi sint, qui in illis vel illis suppliciis juste excrucientur, penitus ignorent. Et ideo pœnas peccatoribus præparare et prædestinare possunt, quas justas esse noverunt: ipsos tamen peccatores quos prorsus ignorant, pœnis prædestinare non possunt. Quod si scirent certissime personas, quæ illis suppliciis dignæ essent; possent omnino justissime, sicut peccatoribus pœnas statuere, ita et ipsos peccatores certa et justa definitione pœnis prædestinare: sicut in ipsa jam judicii examinatione, quos certissime comprobaverint capitalis criminis reos, et mortem eis statutam atque decretam ex legibus recitant, et manifesta sententia ipsos morti adjudicant. Quod eis utique præstat judicii certa cognitio: ut sicut peccatoribus pœnas, ita et ipsos peccatores pœnis prædestinare audeant.

Si ergo utrumque hoc recte et juste in humano judicio, certis cognitionibus informato atque formato, potest fieri, ut et pœnæ peccatoribus, et peccatores pœnis justo et irreprehensibili judicio decernantur; nec tamen aliquis talium reorum vel per ipsas leges vel per ipsos judices ad peccandum cogitur, sed tantum quia peccavit juste punitur: quanto incomparabiliter et ineffabiliter in divino ju-

[m] Sec. 3.

Digitized by Google

dicio fieri omnino credendum est, ut (quoniam et ipsas pœnas quæ peccatoribus juste debentur, et ipsos peccatores quibus debentur æterna scientia novit) cum nulli sit ipse auctor vel causa peccati, justissime tamen et pœnas peccatoribus quas justissimas novit, et peccatores, numquam sibi ignotos, sed æterna veritate notissimos, æternis prædestinet pœnis? Neque enim aliquis nostrum dicit, quod iste tam frequenter objicit, quod Deus prædestinatione sua aliquem cogat ad peccandum, sed tantummodo pro his quæ peccavit ad luendum supplicium: sicut nec leges ipsæ decernendo supplicium, compellunt ad peccatum; sed tantummodo quod spontanee et voluntarie peccatum est, justa damnationis ultione non relinquunt impunitum.

Ergo[n] quod dicit, Deum non prædestinasse pœnas vel peccata: de peccatis utique verum est, quia non prædestinavit nisi quæ fuerat ipse facturus; quæ utique omnia et bona et justa sunt: de pœnis autem manifeste falsissimum est; quas non solum prædestinavit, sed etiam præparavit. Sicut ipse Dominus in evangelio dicit. "Discedite[o] a me maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo et angelis ejus." Adjungit exemplum Judæ satis absurde et incongrue; et statim subjungit, dicens; "Pœnas mala esse, ideoque non a Deo, a quo malum non sit." Contra illud quod ipse Deus per prophetam testatur, dicens: "Ego[p] Dominus faciens pacem et creans malum." Unde et alibi scriptum est: "Si[q] erit malum in civitate quod Dominus non fecit." Et iterum: "Bona[r] et mala, vita et mors, paupertas et honestas, a Deo sunt."

Et ideo fideliter discernendum, aliud esse malum, id est, vitium contrarium bono, quo utique non est a Deo, sed vel a Diabolo inventum, vel ab homine commissum: aliud vero esse malum, quod significat aliquam afflictionem, vel temporalem vel æternam; ut sunt fames, pestilentia, hostilitates, vastationes, mors, et ipsa quæ appellantur æterna

[n] Ad cap. XV. sec. 2.
[o] Matt. cap. 25. ver. 41.
[p] Esai. cap. 45. ver. 7.
[q] Amos cap. 3. ver. 6.
[r] Eccl. cap. 11. ver. 14.

Digitized by Google

supplicia. Quæ utique omnia a Deo sunt; quia non nisi ejus justa dispositione, et justo ejus judicio, præparantur vel inferuntur. Iste autem qui pœnas illas æternas a Deo non esse confirmat, compellandus est ut dicat, a quo eas esse putet: utrum a Diabolo cui sunt præparatæ: an ab hominibus quibus pariter cruciandi sunt; an a nullo, ut sine aliquo auctore coæternæ Deo existant?

Quæ[s] cum ita sint; cur ipse omnipotens Deus, qui est auctor et factor omnium rerum, non recte et veraciter intelligatur sive credatur etiam prædestinator tam justorum et tam ordinatorum suppliciorum? Licet enim patientibus et sustinentibus illa supplicia videantur esse mala; apud illum tamen æternum judicem non sunt mala, quia justa, et nihil justum potest dici malum. Ipse ergo et prædestinavit et præparavit illum æternum ignem, de quo ipsa veritas ait: "Qui[t] paratus est Diabolo et angelis ejus." Certe omnes consonanter fatemur, Deum prædestinasse omnia quæ ipse esset facturus: et utique tam magna, tam justa et æterna judicia nemo præter ipsum facturus est. Si ergo ad ejus opera pertinent, nec ab alio fieri possunt: certum est omnino, nec dubitari debet, quod ipsum habent prædestinatorem, quem auctorem atque factorem.

Hinc[u] B. Judas apostolus, cum de impiisimis hæreticis, qui Ecclesiam Domini ab ipsis apostolicis temporibus usque ad finem sæculi et impugnaverunt et impugnaturi sunt, loqueretur; ut ostenderet eos æterno et justo Dei judicio in reprobum sensum traditos, ut tanta ac talia contra Deum loqui auderent, et ad ultimum eodem divino judicio æterna perditione damnandos, ita dicit. "Subintroierunt[w] enim quidam homines qui olim præscripti sunt in hoc judicium impii: Domini nostri Jesu Christi gratiam transferentes in luxuriam, et solum dominatorem Dominum nostrum Jesum Christum negantes." Ubi etiam quam olim et quam multis antea seculis hoc de eis fuerat prænuntiatum et prophetatum ostendens, post multa subjungit. "Prophetavit[x] autem et de his septimus ab Adam

[s] Ad cap. XVII. sec. 1.
[t] Matt. cap. 25. ver. 41.
[u] Ad cap. XVIII. sec. 1.
[w] Jud. ver. 4.
[x] Jud. ver. 14, 15.

Digitized by Google

Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, et de omnibus quæ locuti sunt contra eum peccatores impii." De quorum etiam æterna damnatione et pœna horribili eis præparata et reservata manifestissime adjungit dicens: "Sidera[y] errantia, quibus procella tenebrarum in æternum servata est." Quid enim evidentius de prædestinatione impiorum ad æterni judicii damnationem; quam quod hi homines impii, tanto olim et tantis antea sæculis, et divino judicio et prophetico vaticinio præscripti sint in hoc judicium?

Nec tantæ absurditatis esse debemus, ut quia beatissimus patriarcha et propheta Enoch septima ab Adam generatione prophetavit; putemus quod tunc Deus omnipotens aliquid statuerit ac prædestinaverit, quod in ejus æterno judicio atque consilio non fuerit. Cum omnino in illius incommutabili æternitate nulla possit esse nova voluntas, nulla recens dispositio: sed quod apud illum erat præfinitum æternaliter, hoc congruentissimo ordine hoc et prophetari et impleri voluit temporaliter. Ad illorum quidem damnationem et judicium, qui talia erant ausuri atque facturi: ad probationem vero et exercitium Ecclesiæ suæ, quam etiam per talium impugnationes et contradictiones et diligentius erudiri, et excellentius disposuit clarificari; sicut et apostolus dicit. "Nam[z] oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis." Si ergo quærimus justam et æternam Dei prædestinationem in malis ad judicium damnationis, audiamus quia homines præscripti sunt in hoc judicium impii; et præscripti non tam temporaliter sermone prophetico, quam omnino æternaliter divino judicio: quia utique quod erat apud Deum æternaliter præfixum, hoc per prophetam temporaliter est prædictum atque præscriptum. Si quærimus, utrum eis æterno Dei judicio pœna et supplicium sit præparatum, audiamus quod de ipsis dicitur; "quibus procella tenebrarum in æternum servata est:" atque

[y] Jud. ver. 13. [z] 1 Cor. cap. 11. ver. 19.

Digitized by Google

ita divinæ veritati fideliter acquiescentes, nec impios pœnis, nec pœnas impiis divinitus præparatas ullatenus dubitare poterimus.

Ac per[a] hoc absit omnino a nobis, quod iste dixit et quasi definivit, " prædestinationem et præfinitionem Dei, nihil aliud esse quam prævisionem :" quia iste sensus manifeste impius est; ut quasi tantummodo præviderit Deus quid quisque esset facturus, vel quid pro factis suis passurus, et nihil de illo qui vel male erat acturus in suo æterno judicio prædestinaverit vel præfinierit.

Quod autem dicit de Deo, quia " peccatores[b] in massa originalis peccati reliquit :" si dixisset reprobos, aut puniendos sive damnandos, profecto verum esset. Ipsi enim id est, reprobi, puniendi atque damnandi, remanent, in massa illa ex Adam generaliter damnata: quia non eos inde discrevit figulus ille omnipotens, qui " ex[c] una eademque massa facit aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam." Nunc vero quod dicit, quod Deus peccatores in massa originalis peccati reliquit, non omnino potest esse verum: quia utique peccatores inde discrevit ac liberavit ille, qui dicit: " Non[d] veni vocare justos, sed peccatores." Et de quo apostolus ait: " Fidelis[e] sermo et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere." Veruntamen, quia non dixit omnes peccatores in massa illa reliquit, quod utique apertissime falsum esset, sed dixit indefinite, peccatores in massa illa reliquit, quod potest intelligi et ex parte, stet utcunque quod dictum est.

Sed quia totum hoc, quod de illis qui in massa originalis peccati relicti sunt dicit, non ob aliud replicat; nisi ut eos tantummodo peccati originalis vinculo obstrictos, nullo Dei judicio asserat ad pœnam prædestinatos: quærendum ab eo est, et a cæteris qui ita sentiunt; utrum aliquo Dei judicio factum sit, ut tanta multitudo generis humani illi peccato originali fieret obnoxia, ac per hoc etiam æternæ morti debita, an non? Si enim nullo Dei

[a] Sec. 2.
[b] Sec. 4.
[c] Rom. cap. 9. ver. 21.
[d] Matt. cap. 9. ver. 13.
[e] 1 Tim. cap. 1. ver. 15.

Digitized by Google

judicio, sed tantummodo naturali cursu vitiatæ originis hoc factum est, ergo sic peccatum tantummodo in eos naturaliter ex illo primo homine transfusum est, ut nulla peccati ejus damnatio in eos transfunderetur; et cucurrit in eos ex Adam sola origo peccati, non etiam justa pœna peccati. Sed manifeste apostolus dicit; quod "per[f] unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit." Vere ergo ex uno, et per unum hominem, non solum peccatum sed etiam pœna peccati mors intravit in mundum. Cujus judicio, nisi illius qui homini prædixerat; "Quacunque[g] die comederis ex eo, morte morieris?"

Quia comedere ex illo ligno vetito, hoc fuit utique peccatum; pœna vero peccati, hoc quod consequenter adjunctum est, "morte morieris:" quod utique non de sola ista morte corporis comminatus est: sed de illa quæ peccando facta est in anima, quia "anima[h] quæ peccaverit, ipsa morietur," et de secunda etiam morte quæ erit in damnatione æterna; ad quam reatus illius primi peccati omnino omnem hominem trahit, nisi Christi gratia liberetur. Cum ergo hæc Deus dixit, non solummodo terrorem audienti incutere voluit, sed quod justum æterno judicio suo statuit, illa comminatione manifestavit; ut videlicet, justo et æterno ejus judicio, si homo illud peccatum admitteret, primum animæ mortem incurreret, secundo etiam corporis morte dissolveretur, tertio etiam secunda morte damnaretur: et hæc tota damnatio, et in anima scilicet, et in corpore, et post corpus, cum ipso peccato in omnes posteros transfunderetur. Et ideo judicium æterni consilii et justitiæ suæ, quod in illo primo et uno homine inchoandum judicavit, in omnem ejus progeniem transmisit; ut illo justo ejus judicio, quicunque ex illa massa damnata Christi gratia non fuisset discretus, prima illa divini judicii sententia æternæ damnationi teneretur prædestinatus. Et ideo reprobos non reliquit tantummodo in massa originalis peccati, quasi nihil de eis statuens atque definiens: sed etiam judicavit, ut æternum et justum ejus judicium, quod

[f] Rom. cap. 5. ver. 12.
[g] Genes. cap. 2. ver. 17.
[h] Ezech. cap. 18. ver. 4.

Digitized by Google

præcessit in radice, sequeretur in germine; et quod cœpit in parente, necessario impleretur in sobole.

Nam nulla omnino apud fideles dubitatio est, quod omnipotens Deus antequam peccaret homo, præscivit eum utique peccaturum, ita etiam prædestinavit, quid justo ejus judicio esset passurus. Et quod in illo juste judicando cœpit, in tota illius progenie eadem præscientia, eadem prædestinatione judicii, eadem justitia damnationis implevit. Sed hæc verba nulla ratione fulta, quod Deus reprobos in massa illa damnationis reliquerit, nec aliquid de eorum prædestinaverit damnatione; ex libello quem Græci Hypognosticῶn[i] appellant, quem etiam ex falso titulo, plerique sancti Augustini esse putant, assumpsisse videtur. Quem libellum non esse sancti Augustini, et stylus ipse demonstrat, et sensus non solum sancti Augustini scriptis, sed etiam fidei contrarius, et testimonia ex nova illa editione qua nos utimur sumpta: cum ille contra hæreticos disputans, et de causis fidei agens, continue ex antiqua editione convincat contradicentes, et ex ipsa instruat fideles.

Et quia iste, cujus verbis, auxiliante Domino, utcumque respondimus, in philosophicis regulis et syllogisticis argumentationibus gloriatur: audiamus in fine fideliter et obedienter beatissimum Christi antistitem et confessorem Hilarium, ita istiusmodi homines redarguentem, atque dicentem. "Oportuerat[k] homines religiosam divinarum rerum scientiam præferentes, ubi evangelicæ atque apostolicæ prædicationis veritas præferebat[l], callidæ philosophiæ tortuosas quæstiones abjicere, et sectari potius fidem quæ in Deo est: quia sensum infirmum facile fidei suæ præsidio sophisma syllogisticæ interrogationis exueret; cum captiosa propositio responsionem simplicem, sibique secundum interrogationem rerum obsecundantem, ad ultimum jam sensus sui interrogatione spoliaret: ut quod professione amisisset, id jam conscientia non teneret."

[i] al. Hypomnesticῶn.
[k] Hilar. de Trinitate lib. 12. op. pag. 1121.
[l] *præcellebat.*

Digitized by Google

CAP. XI.

Scripta a Prudentio Tricassino episcopo, Remigio Lugdunensi archiepiscopo, et Ratramno Corbeiensi monacho, causæ Gotteschalci patronis, edita.

ADVERSUS eundem Scotum, ex variis veterum doctorum testimoniis, a Prudentio episcopo Tricassino liber est congestus: cui et inde titulus datus: "Liber Johannis Scoti correctus a Prudentio, sive a cæteris Patribus; videlicet a Gregorio, Hieronymo, Fulgentio, atque Augustino." Is vero ex Nicolai Fabri suppellectile libraria in Augustini Thuani bibliothecam traductus, Lutetiæ nunc a Puteanis fratribus possidetur. Cui[a] hæc ad Wenilonem Senonensem archiepiscopum præfixa cernitur epistola.

Reverentissimo patri et beatissimo pontifici inter pastores Christi eminentia vitæ doctrinæque eximietate clarissimo Gueniloni, Prudentius æternam in Domino salutem.

"Accensus, prout decet atque oportet, zelo Catholicæ fidei, et veræ charitatis affectu, Pater beatissime, misisti mihi quandam schedulam decem et novem capitula continentem, ex libro cujusdam Scoti selecta, a nostro, ut ais, se quodam modo intellectu divertentia, rogans et monens, ut quæcunque in eis a vero exorbitantia comperissem, unicuique de libris evangelicis et catholicorum doctorum auctoritatibus devianti capitulo congrua depromerem abunde responsa. Quibus decursis solliciteque perspectis, reperi in eis Pelagianæ venena perfidiæ, et aliquoties Origenis amentiam, Collyrianorumque hæreticorum furiositatem: quorum [errores] merito a Catholicæ fidei cultoribus ac propugnatoribus validissimis confutati,

[a] Ex Nicol. Camuzatii promptuario antiquitatum Tricassinæ diœcesis.

Digitized by Google

censuraque justissimæ severitatis multo ante nostra tempora damnati sunt. Intremui, fateor, et expavi tot olim errores, cum suis auctoribus jam sopitos, nostris denuo temporibus pullulare; et deficientes quondam fumos nova rursum accensione erumpere, suique noxietate multorum oculos caligare. Quibus, ut jusseras, refellendis cum animum pararem appellere; laboris difficultate perterritus, deliberabam penitus omittendum."

"Verum monentis auctoritate perpensa, duxi satius cum fructu obedientiæ, etsi minus pleno, aliquatenus labi; quam paternæ reverentiæ, timiditate stupida, contraire. Animatus itaque meritis rogantis, orationumque instantissima puritate scribentis; visum est librum eundem si qua forte inveniri posset diligenti curiositate perquirere, cujus serie salebrosas tantorum errorum tortiones valerem facilius intueri. Quo gratia Dei, sine qua nihil sum, et nihil possum, ut optaveram assecuto; deprehendi, quantum divinitus inspiratus potui, Pelagii, Cœlestii, eorumque sequacis ac defensoris acerrimi Juliani, per omnia sectatorem, Johannem videlicet Scotum, tanta impudentia orthodoxæ fidei patribusque Catholicis oblatrantem: ac si unus spiritus Julianum Johannemque docuerit, unus idemque spiritus in eis fuerit; nec dispar spiritus per eorum linguas tot tantasque blasphemiarum nauseas evomuerit. Nam et gratuitam Dei gratiam pariliter impugnant, et Dei justitiam similiter denegant, et originale peccatum, quod nascentes trahimus, quoque non nisi cœlesti gratia per mysterium baptismatis solvimur, in dissimili garrulitate dissuadent; argutiisque dialecticis simillima vanitate desipiunt. Rectissimum etiam sanctarum Scripturarum intellectum, patrumque Catholicorum sensum sanissimum, tam concina varicositate pervertunt; ac si nunquam adversus eorum errores quippiam fuerit actitatum. Quibus cum a patribus, præcipueque beatissimo Augustino, competentissime abundantissimeque responsum fuerit: nequaquam me præsumptionis a piis lectoribus credidi judicandum, si tuis monitis, dictante pietate, libenter obsequens, offeram pro vili portione in donaria tabernaculi Domini mei quæ possim; relinquens potioribus ac doctioribus, quæ-

Digitized by Google

que melius valuerint et voluerint, offerenda. Nec posse, ut ait S. Hieronymus, *alterius opes alterius paupertate fœdari.* Fidens igitur in ejus gratia, qua prævenimur ut bene velimus, subsequimur ne frustra velimus; revolutis patrum consonis per omnia paginis, quid quisque eorum antidoti contra eadem venena confecerit, decerpere fideliter curavi, præfixo cujusque doctoris nomine, libroque pariter intimato. Verba quoque ejusdem Johannis, ut ab eo digesta sunt, pluribus locis inserui, præposito etiam nomine ipsius, cum præcedente illud nota quæ Græce dicitur *θῆτα*, quam sententiis capitalibus damnandorum aliqui[b] præscribere solebant. In multis enim non verba ejus interposui, quæ loquacitate nimia legentibus fastidium ingerunt; sed sensibus eorum pro captu meæ pusillitatis veraciter obviavi. Ubicunque autem mei sermonis interpositio necessarium locum expetit, ne quid mihi tribuerem, si quid boni suprema gratia per meæ linguæ organum loqueretur, notam superponere studui, quæ ab artigraphis[c] Chrisimon[d] nuncupatur: quoniam velut monogramma nominis Christi effigiare quodammodo cernitur: ut ejus totum ostenderem, quidquid benignitatis ipsius largifluis indebitisque muneribus imbibissem. Illud etiam necessario credidi præmonendum, ut tuæ beatitudinis perspicacia subtiliter solliciteque attendat, quantis se idem Johannes contrarietatibus impugnet, qui ea quæ nunc adfirmat post denegat, et quæ modo loquaci vanitate diffitetur, postmodum vana loquacitate confitetur: adeo ut aut non viderit quid dixerit, aut a nullo unquam videri putaverit."

" Quæso igitur, ut omnia vigilanter studioseque permetiens, quidquid fideliter dictum judicaveris, auctori Domino gratias agendo deputes: si quid vero (quod absit) secus reperies, imbecillitati meæ compatiens, emendare ne differas. Sicque fructum piæ devotionis duplicato fœnore consequeris; si et votis pie jubentis pie prolata re-

[b] *alioqui*, legit Barthius, adversar. lib. 29. cap. 15.

[c] Vid. eundem Barthium, lib. 18. cap. 14.

[d] *χρήσιμον*. Vid. Casaubon. pag. 59. notarum in Platonem Diogenis Laertii.

Digitized by Google

spondeant, et alio nitentia ad suum tramitem dirigantur. Orantem pro meis multipliciter prævalentibus mentis et corporis infirmitatibus sanctissimam paternitatem tuam, virtus omnipotentis gratiæ Dei vigentem ac sospitem jugiter conservare dignetur."

De censura vero illa iniquiore, quam opusculo huic in manuscripto exemplari ab antiquario præfixam fuisse commemoravimus[e], Caspar Barthii[f] conjectura est; "potuisse censorem illum Pelagianas Scoti diatribas, quarum vestigia in Prudentianis forte relicta, oculo non satis attento pellegisse, et inde notam innocenti episcopo impegisse." Non enim breves tantum illas novemdecim capitulorum summas, ut fecit Florus, sed ipsa quoque Scoti pluribus in locis verba, ex integro illius opere descripta, responsioni suæ inseruit Prudentius. Nisi putandum potius, ex Semipelagianorum numero fuisse censorem illum, vel, quod Flodoardo et aliis annalium scriptoribus accidisse videmus, Rabani et Hincmari partibus adversus Gotteschalcum nimium favisse: tum enim de Prudentii dogmatibus sinisterius eum judicasse, nihil est mirandum. Cum enim Æneas, qui synodo Carisiacæ interfuerat, in Parisiensi Ecclesia episcopus esset ordinandus: pro Gotteschalci parte capitula nonnulla edidit Prudentius, illis quæ in Carisiaco conventu constituta fuerant, opposita, quibus si episcopus postulatus subscribere recusaret, ordinationi ejus se nequaquam assensurum, missa per vicarium tractoria sua, protestatus est. Eam[g] vero integram, quandoquidem ad eam de qua agitur causam in primis facit, transcribendam hic curavimus.

Patri venerabili [Gueniloni metropolitano Senonicæ sedis Antistiti] et cæteris patribus fratribusque sincerissime diligendis, atque coepiscopis reverendis, Prudentius æternam in Domino salutem.

"QUANTUM ad meritum peccatorum meorum spectat, justissimo Dei judicio, quantum vero ad indebitas atque indeficientes ejus misericordias pertinere dinoscitur, mise-

[e] Supra, cap. 8. pag. 86.
[f] Barth. adversar. lib. 18. cap. 11.
[g] Ex Appendice tomi 2. conciliornm Galliæ.

Digitized by Google

ricordissimo ipsius munere, infirmitatibus pene omnibus notis depressus, sancto desiderabilique vestro conventui adesse prohibeor. Quod autem possum, præsentibus literis, atque legato nostræ Ecclesiæ presbytero Arnoldo, mei consensus præsentiam eatenus exhibeo, ut is qui ordinandus est, si apostolicæ sedis omnibus institutis, et beatorum patrum Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Xysti, Leonis, Gelasii, Cœlestini, Gregorii, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Isidori, Primasii, Fulgentii, Hieronymi, Cassiodori, Bedæ, aliorumque adæque catholicorum atque orthodoxorum virorum scriptis dictis, ac specialiter super quatuor capitulis, quibus omnis Ecclesia Catholica adversus Pelagium, ejusque hæreseos sequaces, pugnavit ac vicit, atque ad posterorum memoriam litteris auctoritate et veritate plenissimis mandavit, confitendo subscribere, et subscribendo confiteri voluerit; ejus me ordinationi consentaneum esse profiteor. Sin alias, prorsus neque assentior, neque fidelibus Christi assentiendum suadeo. Capitulorum vero quatuor præmissorum seriem, quamvis vestram prudentiam multo vivacius, quam meam extremitatem compertam esse non dubitem, necessario tamen breviter adnectendam judicavi, ut facilius quid sentiam, cui veritati consentiam, vestra bonitas recognoscat. Videlicet:

I. Ut liberum arbitrium in Adam merito inobedientiæ amissum, ita nobis per Dominum nostrum JESUM Christum redditum atque liberatum confiteatur, interim in spe, postmodum autem in re, sicut dicit apostolus: *Spe*[h] *enim salvi facti sumus;* ut tamen semper ad omne opus bonum Dei omnipotentis gratia indigeamus, sive cogitandum, sive inchoandum, operandum, ac perseveranter consummandum; et sine ipsa nihil nos posse ullatenus, aut cogitare, aut velle, aut operare sciamus.

II. Ut Dei omnipotentis altissimo secretoque consilio credat, atque fateatur, quosdam Dei gratuita misericordia ante omnia sæcula prædestinatos ad vitam; quosdam imperscrutabili justitia prædestinatos ad pœnam: ut id vide-

[h] Rom. cap. 8. ver. 24.

Digitized by Google

licet, sive in salvandis, sive in damnandis, prædestinaverit, quod se præscierat esse judicando facturum; dicente propheta: *Qui*[i] *fecit quæ futura sunt.*

III. Ut credat et confiteatur cum omnibus Catholicis, sanguinem Domini nostri JESU Christi pro omnibus hominibus ex toto mundo in eum credentibus fusum; non autem pro illis qui nunquam in eum crediderunt, nec hodieque credunt, nunquamque crediturі sunt, dicente ipso Domino: *Venit*[k] *enim filius hominis non ministrari sed ministrare, et dare animam suam in redemptionem pro multis.*

IV. Ut credat atque confiteatur, Deum omnipotentem omnes quoscunque vult salvare, et neminem posse salvari ullatenus, nisi quem ipse salvaverit: omnes autem salvari, quoscumque ipse salvare voluerit. Ac per hoc quicumque non salvantur, penitus non esse voluntatis illius ut salventur; dicente propheta: *Omnia*[l] *quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, et in terra, in mari et in omnibus abyssis.*"

" Et licet quædam sint alia, quibus in Pelagio damnatis universaliter Ecclesia consenserit, sategerit, atque subscripserit; hæc tamen specialiter adversus eum, ejusque complices, per apostolicam sedem, instantia beatissimi Aurelii Carthaginensis episcopi, atque Augustini, cum aliis ducentis quatuordecim episcopis, ab ejus pravissimis sensibus eruta, vindicata, et multis tam epistolis quam libris toto orbe vulgata, omnis hodieque gaudet, confitetur, prædicat, et tenet, atque tenebit Ecclesia. His per omnia consentaneam prædicabilem paternitatem fraternitatemque vestram gratia superna invictam atque prævalidam, et suo munere gaudentem, perpetuo conservare dignetur."

Hisce capitulis, accepta hac epistola, subscripserit Æneas necne, pro certo non habemus; subscripsisse tamen, ex eo nobis maxime fit verisimile, quod inter Lupi

[i] Esa. cap. 45. ver. 11. juxta LXX.
[k] Matt. cap. 20. ver. 28.
[l] Psal. 135. ver. 6.

Digitized by Google

Ferrariensis epistolas una reperiatur (ordine nonagesima nona) in qua et ejus veracem doctrinam commendat, et ordinationem ejus Prudentius cum reliquis episcopis pariter confirmat. Inde vero satis elucescit, quantopere doctores Gallicanos ista Gotteschalci causa exercuerit: de qua etiam, scripta ad Lugdunensem Ecclesiam epistola, episcopus quidam significavit; " quantum[m] apud eos esset de hisce quæstionibus inquirendi studium, et quanta dissonantia sententiarum, quantaque aviditate desideraretur, ut de his rebus aliquid certum et absque ambiguitate sequendum inveniri et ostendi posset." Tum " quosdam[n], qui adversus Gotteschalcum scripserint, fere sex numero memoravit: nec tamen aliquem eorum ad rem de qua quæritur sufficienti ratione satis fecisse conquestus est;" deinde hæc subjunxit verba. " Quæ[o] autem inter nostros inde sit maxima contentio, vobis significo. Quidam dicunt Augustinum edidisse libellum quem Hypognosticῶn[p] præintitulavit. Et quidam nostrorum dicunt, non a præfato viro eundem libellum esse editum: quod mendacium esse cito probare poterit, qui secundum libellum Augustini quem in Genesim contra Manichæos edidit, ad finem usque perlegerit; ubi demonstrat se ipsam quæstionem cum aliis quinque contra rabiem Manichæorum edidisse. Et propterea in Retractatione nihil inde commemorat; quia quæcunque aliorsum de prædestinatione dixerat, in eodem libello corrigere videtur."

Quibus hoc responsum retulit Remigius Lugdunensis archiepiscopus. " His[q] verbis quid aliud in primis respondere possumus, nisi quia de his rebus (auxiliante et protegente divina misericordia) nullus labor, nulla necessitas nova inquirendi, et inveniendi et scribendi apud eos extitisset, nec tanta dissensio et contentio exoriri potuisset: si remoto omni præsumptionis atque animositatis studio, sola apud illos veritas in sanctorum patrum dogmatibus, et ecclesiasticis definitionibus, quorum rectissimam fidem et fidelissimam doctrinam semper honorabiliter et

[m] Tom. 9. Biblioth. Patr. part. 1. pag. 1072. C. edit. Colon.
[n] Ibid. pag. 1053. E.
[o] Ibid. pag. 1072. C. D.
[p] al. *Hypomnesticῶn.*
[q] Ibid. pag. 1072. E. F.

Digitized by Google

fideliter et secuta est, et sequitur, et sequetur Ecclesia, unanimiter, et humiliter atque obedienter inquireretur, et quod inventum esset, pacifica et tranquilla pietate omnibus sequendum proponeretur, et commendaretur : nec propter unum libellum usque hodiè incerti auctoris, et inusitati atque nullatenus recipiendi sensus, de quæstione præscientiæ et prædestinationis Dei, tam claris et tanta firmitate solidatis ecclesiasticæ veritatis institutionibus præferre maluissent. Quid enim causæ extitit, ut illa omnia postponerentur, et Scripturæ sanctæ veritas minus discussa et considerata negligeretur, et his omnibus, quod nullo certo auctore, nulla vera ratione, fultum est, sequendum potius judicaretur? nisi a parte ipsum contentionis malum, quo semel præsumpta sententia, et sensus inconsiderate prolatus obstinate potius defendendus, quam salubriter putatus est corrigendus. Unde etiam satis mirari non possumus, quomodo illæ quinque vel sex quæstiones a beato Augustino contra Manichæorum rabiem prolatæ esse credi potuerint: cum sicut et multiplices libri ejusdem sancti Doctoris testantur, et ipse Hypomnesticῶn libellus manifeste ostendit, a Pelagianis primum hæreticis contra fidem Ecclesiæ sint objectæ, et ad eorum confutationem diligentius sint tractatæ; certissime autem, quando illos libros beatus Augustinus de expositione Genesis contra Manichæos scripsit, nec dum Pelagiani auditi aut exorti fuerint, sed longo post tempore ecclesiam Dei cœperint impugnare."

Eodem quoque tempore a Remigio ad Hincmari simul et Rabani, adhuc superstitis, epistolas edita est responsio. Remigii enim Lugdunensis nomine a Johanne[r] Maldonato citatur. Liber de tribus episcoporum epistolis: cui postea ex Nicolai Fabri apographo, a quo authoris nomen aberat, in lucem emisso, Lugdunensis Ecclesiæ titulum præfixit editor; primorum libri verborum authoritate fretus, quæ ita sese habent. "Quorundam venerabilium virorum trium videlicet episcoporum, ad Ecclesiam nos-

[r] Maldonat. in Matt. cap. 20. ver. 28. et Joh. cap. 17. ver. 9.

Digitized by Google

tram, id est, Lugdunensem epistolæ perlatæ sunt. Ex quibus duæ priores simpliciter et sinceriter de quadam profunda et perplexa quæstione, quæ jam per aliquot annos inter plures, multa et varia disceptatione vel etiam contentione, versatur, de veritate scilicet divinæ præscientiæ et prædestinationis, et quid ipsis videretur aperuisse et exposuisse, et quid præfata Ecclesia nostra, Deo inspirante atque auxiliante, de eadem re sentiat, ut eis vere et fideliter respondeatur, attentius flagitare et exigere noscuntur."

Ecclesiæ vero suæ hac de re sententiam, septem regulis comprehensam, explicat Remigius. Quas divinarum scripturarum primum, deinde antiquæ Ecclesiæ et orthodoxorum Patrum auctoritate confirmat.

Remigii[s] Lugdunensis, De veritate præscientiæ et prædestinationis, septem regulæ.

I.

"Ut omnino firmissime ac fidelissime teneamus, quia omnipotens Deus nihil ex tempore præscierit vel prædestinaverit: sed sicut ipse absque ullo initio æternus et incommutabilis est, ita ejus præscientia ac prædestinatio sempiterna atque incommutabilis sit. Nulla enim Deo nova voluntas, nullum novum consilium, nulla nova dispositio, nullum novum judicium, quasi ex æterno apud ipsum et in ipso non fuerit, sed postmodum esse cœperit. Nihil namque ejus divinitati est accidens; nihil in ejus deitate potest augeri, vel minui, vel mutari. Et ideo quicquid præscivit, æternaliter præscivit, quicquid prædestinavit proculdubio æternaliter prædestinavit."

II.

"Nihil omnino esse aut fuisse aut futurum esse potest in operibus Dei, quæ sive in condendis, sive in regendis, sive in consummandis vel finiendis creaturis agit, quod non ipse in suo æterno consilio atque judicio, et veraciter præ-

[s] Tom. 9. Biblioth. Patr. part. 1. pag. 1054.

Digitized by Google

scierit, et immobiliter prædestinaverit. Atque ita omne quod temporale est intemporaliter sua præscientia et prædestinatione præcedit; et omne quod in ejus æterna præscientia et prædestinatione dispositum est, etiam in rebus esse potest: quicquid vero ibi dispositum non est, nunquam et nusquam esse potest. Nihil enim temere vel fortuito, sed omnia æternæ suæ sapientiæ consilio et ratione facit. Unde constat omnino in utramque partem, electorum videlicet et reproborum, nisi eorum vel glorificationem vel damnationem justissimam præscientia et prædestinatio divina præcederet, nunquam in eis fieri et adimpleri posset: sicut nihil omnino in operibus divinis esse potest. Quod non ibi præcesserit."

III.

"In operibus omnipotentis Dei, non sunt alia præscita et alia prædestinata: sed quicquid ibi est præscitum, quia totum est bonum et justum, sine dubio est etiam prædestinatum, et quicquid est prædestinatum, utique est præscitum; quia prædestinatio sine præscientia esse non potest. Sic ergo in præordinatione electorum ad vitam, et in præordinatione reproborum ad mortem; quia utrumque justum opus Dei est, sicut Psalmista testatur dicens; *Justus*[t] *Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis;* nec præscientia ejus sine prædestinatione, nec prædestinatio sine præscientia intelligi potest: quia istud justum et rectum opus suum et vere præscivit, et præsciendo juste prædestinavit."

IV.

"Hæc duo in operibus rationalis creaturæ et distincte et conjuncte intelligi possunt: quia scilicet ejusdem creaturæ opera alia sunt bona, alia sunt mala. Et quia bona opera ita sunt ipsius creaturæ, ut sint omnino principaliter et veraciter opera Creatoris, qui *operatur*[u] in ea et *velle et perficere pro bona voluntate*, rectissime tanquam vere di-

[t] Psalm. 145. ver. 17.

[u] Philipp. cap. 2. ver. 13.

Digitized by Google

vina, id est, divinitus inspirata et gesta, et præscita et prædestinata debent intelligi. Mala vero opera ejusdem creaturæ, quia ipsius tantummodo sunt, et ex ejus vitio non ex Dei voluntate vel operatione procedunt; præscita a Deo dici possunt, prædestinata non possunt. Quia ita est ille certissime præscius omnium futurorum, et bonorum scilicet et malorum; ut nunquam esse possit prædestinator, sicut nec auctor, malorum."

V.

" Quod omnipotens Deus eadem præscientia et prædestinatione sua ita quosdam malos in sua iniquitate, et impietate et præscierit perseveraturos, et ob hoc juste prædestinaverit perituros; ut ex ipsa certa præscientia, et justa prædestinatione sua, nulli necessitatem imposuerit ut malus esset, et aliud esse non posset. Hoc enim si fecisset, quod absit de ejus bonitate sentire, ipse utique esset auctor malorum, quæ suæ potestatis violentia fieri compulisset. Non ergo ille, tantæ bonitatis et pietatis pater, quemquam impellit aut compellit ad malum opus agendum vel in malo opere permanendum: tamen vere constringit et compellit judicio in malis perseverantes ad justum supplicium luendum. Et ibi ergo bonus, quia neminem vult malum esse; et hic justus, quia nullum iniquum et impium permittit impunitum esse: nusquam autem malus, qui malorum tantummodo ultor, nunquam auctor existit."

VI.

" Ut in divinis scripturis nequaquam hoc pueriliter quæratur vel exigatur, ut ibi solummodo intelligatur divina præscientia et prædestinatio, ubi hæc ipsa nomina præscientiæ et prædestinationis expresse et proprie posita inveniuntur: sicut eo loco ubi apostolus dicit; *Nam*[w] *quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui,* sed ubicumque res ipsa ejusdem divinæ præscientiæ

[w] Rom. cap. 8. ver. 29.

Digitized by Google

et prædestinationis certissime posita legitur, præscientiam et prædestinationem ipsam intelligendam esse minime dubitemus."

VII.

" Ut neque de electis Dei ullum perire posse credamus, neque de reprobis aliquem salvari ullatenus existimemus. Non quia non possunt homines de malo ad bonum commutari, et de malis et pravis boni ac recti fieri : sed quia in melius mutari noluerunt, et in pessimis operibus usque in finem perseverare voluerunt; nec possunt ullo modo pertinere ad sortem electorum, qui magis elegerunt permanere in malitia iniquitatum et impietatum suarum. Hoc enim pessimum et nefarium malum, quod est nolle ad Deum converti, neque de malo ad bonum commutari; sed *secundum*[x] *duritiam et impœnitentiam cordis sui thesaurizare sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii,* ille in eis æterna sua præscientia verissime prævidit futurum, qui omnino falli non potest; et quia hoc verissime præscivit, juste omnino tales perditioni æternæ prædestinavit. Quod ergo non possunt salvari, eorum est vitium quia nolunt, non Dei, quod absit, aliqua iniquitas, qui erga illos et verax semper extitit in præscientia sua, et justus in judicio suo. Licet sit et aliud genus reproborum, in innumerabilibus videlicet millibus parvulorum, qui nec ætatem nec sensum ad aliquid boni agendum unquam acceperunt; sed in sola originalis peccati, quæ per unum hominem in mundum intravit, damnatione perierunt. De quibus quid aliud dicendum, nisi quod et in eorum reprobatione atque interitu omnipotens Deus justus est; in quibus non naturam bene a se conditam, sed culpam male admissam, et in eos originaliter transfusam, justa ultione damnavit ?"

EJUSDEM Remigii Lugdunensis in tredecim Pauli epistolas habemus commentarios: non illos quidem (uti arbitratus est Maldonatus[y]) qui Ambrosio Mediolanensi, sed

[x] Rom. cap. 2. ver. 5.

[y] Maldonat. in Matt. cap. 19. ver. 9. et cap. 12. ver. 32.

Digitized by Google

qui Haymoni Halberstatensi episcopo vulgo tribuuntur; et a Johanne Baptista Villalpando, falso Remigii Remensis titulo sunt editi, ejusque nomine a Cuthberto Tonstallo indeque a Bellarmino et aliis, in quæstione sacramentaria prius producti. In tredecim epistolas dixi: quoniam qui in epistolam ad Hebræos reliquis adjunguntur, neque Haymonis neque Remigii, sed Primasii esse; sicut et eos qui Ambrosianis annectuntur, et Ambrosii nomine ab Algero, Petro Longobardo, et aliis citantur, ex Johannis Chrysostomi in eandem epistolam homiliis, Cassiodori rogatu a Mutiano Scholastico latine conversis, ad verbum excerptos esse, deprehendi.

Porro Remigio in tutanda Gotteschalci causa adjunxit se etiam Ratramnus[a] monachus Corbeiensis; libro ad Karolum Calvum regem de prædestinatione scripto. De quo Sigebertus. "Ratramus[a] scripsit librum de corpore et sanguine Domini, et ad Karolum librum de prædestinatione." Et Trithemius, in scriptorum ecclesiasticorum catalogo. "Bertramus presbyter et monachus, in divinis scripturis valde peritus, et in literis secularium disciplinarum egregie doctus, ingenio subtilis et clarus eloquio, nec minus vita quam doctrina insignis; scripsit multa præclara opuscula, de quibus ad meam notitiam pauca pervenerunt. Ad Karolum regem, fratrem Lotharii imperatoris, scripsit commendabile opus De prædestinatione; et De corpore et sanguine Domini, lib. 1." Pervulgatum nimirum illum, cui Bertrami nomen ex Trithemio affixit primus editor: hac[b] tamen adjecta admonitiuncula, quæ in posterioribus editionibus est omissa. "De nomine authoris hujus norit lector, quod quamvis alicubi aliter quam hic habetur, nomen ejus exprimatur: tamen appellationem istam esse magis communem ac familiarem, ideoque hanc illi præferendam."

Inter opuscula vero ejus, quæ ad Trithemii notitiam non pervenerunt, unum est, De nativitate Christi, (in quo eandem, quam in libro de corpore et sanguine Do-

[a] Flodoard. lib. 3. cap. 15. [a] lib. de viris illustrib. cap. 96.
[b] Bertram. de corp. et sangu. Domini, edit. Colon. an. 1532. et 1551.

Digitized by Google

mini tradidit, doctrinam propugnat.) De Anima alterum: quorum utrumque tum in Sarisburiensi tum in Benedictini Collegii apud Cantabrigienses bibliotheca asservatur. Item liber contra Græcos: qui in Thuana bibliotheca penes fratres Puteanos est: et cum aliis ejusdem argumenti libellis a Jacobo Sirmondo V. C. propediem edendus expectatur. Ad eundem[c], ut videtur, Ratramnum; sive Ratrannum, epistolam suam septuagesimam nonam scripsit Lupus Ferrariensis Abbas; et Gotteschalcus carmen: cujus hoc procemiolum, ut et ejusdem Gotteschalci quicquid habemus reliquum ab interitu vindicavit a me modo nominatus vir[d] doctus cui tot alia veterum monumenta lucem debent.

Age, quæso, perge Clio,
Propera celer virago;
Repeda sagax propago,
Cui frater est Apollo.
Fer amico ovans Ratramno,
Domino, patri, magistro,
Calamo metrum impolito,
Quod ei libens remitto.

[c] Fuit enim et Ratrannus præpositus monasterii Orbacensis: apud Flodoard. lib. 3. cap. 28. Eo vero tempore quo in Carisiaca synodo condemnatus est Gotteschalcus, monasterii illius abbas fuit Bavo: supra pag. 60. (cum Flodoardo, lib. 3. cap. 11.)

[d] Sirmond. not. in Ennodii Ticinens. lib. 5. epist. 7.

Digitized by Google

CAP. XII.

Concilii Valentini canones, capitulis Carisiaci conventus et Johannis Scoti oppositi.

Rabanum, Lupum Servatum, Amalarium, Johannem Scotum et Hincmarum contra Gotteschalcum; atque ex alia parte Florum, Prudentium, Remigium et Ratramnum, pro eodem dimicantes conspeximus. Ejusdem causam in Moguntina et Carisiaca synodo condemnatam audivimus: eandem in Valentina et Lingonensi vindicatam jam videbimus, Et[a] Valentinæ quidem acta ita sese habent.

PRÆFATIO CONCILII VALENTINI.

"Regnante Domino nostro Jesu Christo, anno DCCCLV. ab Incarnatione ejus, gloriosissimo Lothario imperante XV. Indictione III. mense Januario, VI. Idus ejusdem mensis, apud urbem Valentinam, in domo Basilicæ S. Johannis adjacente. Cum propter causam episcopi civitatis ipsius criminibus diffamati, ex jussione præfati pii principis, reverentissimi trium provinciarum episcopi in unum collecti resedissent; id est, Lugdunensium, Viennensium, et Arelatensium, numero XIV. quibus præfuerunt, auctore Domino, episcopi metropolitani, videlicet Remigius Lugdunensis, Agilmarus Viennensis, Rodlandus Arelatensis, conlaborante eis quam maxime venerabili Ebbone Gratianopolitano episcopo; adjuncto etiam venerabili cœtu presbyterorum, devotissimis quoque diaconis adstantibus, evangeliis in medio positis, post objectiones episcopo factas, discussas, et finitas, placuit omnibus in

[a] Ann. DCCCLV.

Digitized by Google

sancta synodo constitutis, ne fratrum conventus absque ædificatione discederet, hæc pauca in Christi nomine, quæ subter adnexa sunt, ad commonitionem sui cæterorumque fidelium, devota et sollicita pietate adnotare."

CANONES.

I. Quod novitates vocum omni studio vitandæ sint.

"QUIA doctorem gentium in fide et veritate fideliter commonentem obedienterque audimus: *O Timothee*[b], *depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Et iterum; *Profanas*[c] *autem et inaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit.* Et iterum: *Stultas*[d] *autem et sine disciplina quæstiones devita; sciens quia generant lites: servum autem Domini non oportet litigare.* Et iterum; *Nihil*[e] *per contentionem neque per inanem gloriam.* Paci, quantum Deus dederit, et caritati studere cupientes, attendentes pium ejusdem apostoli consilium, *Solliciti*[f] *servare unitatem spiritus in vinculo pacis:* novitates vocum, et præsumptivas garrulitates, unde potius inter fratres contentionum et scandalorum fomes excitari potest, quam ædificatio ulla timoris Dei succrescere, cum studio omni devitamus; indubitanter autem doctoribus pie et recte tractantibus verbum veritatis, ipsisque sacræ Scripturæ lucidissimis expositoribus, id est, Cypriano, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, cæterisque in Catholica pietate quiescentibus, reverenter auditum, et obtemperanter intellectum submittimus, et pro viribus quæ ad salutem nostram scripserunt amplectimur. Nam de præscientia Dei, et de prædestinatione, et de quæstionibus aliis, in quibus fratrum animi non parum scandalizati probantur, illud

[b] 1 Tim. cap. 6. ver. 20.
[c] 2 Tim. cap. 2. ver. 16.
[d] 2 Tim. cap. 2. ver. 23. Ephes. cap. 4. ver. 3.
[e] Phil. cap. 2. ver. 3.

Digitized by Google

tantum firmissime tenendum esse credimus, quod ex maternis Ecclesiæ visceribus nos hausisse gaudemus."

II. De æterna Dei præscientia bonorum et malorum.

" Deum præscire et præscisse æternaliter, et bona quæ boni erant facturi, et mala quæ mali sunt gesturi, quia vocem Scripturæ dicentis habemus: *Deus*[g] *æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant;* fideliter tenemus, et placet tenere, bonos præscisse omnino per gratiam suam bonos futuros, et per eandem gratiam æterna præmia accepturos: malos præscisse per propriam malitiam malos futuros et per suam justitiam æterna ultione damnandos: ut secundum Psalmistam, *quia*[h] *potestas Dei est, et Domini misericordia, reddat unicuique secundum opera sua.* Et sicut apostolica doctrina se habet; *His*[i] *quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam: his autem qui ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum.* In eodem sensu idem alibi: *In*[k] *revelatione,* inquit, *Domini JESU Christi de cœlo cum angelis virtutis ejus, in igne flammæ dantis vindictam his qui non noverunt Deum, et qui non obediunt evangelio Domini nostri Jesu Christi; qui pœnas dabunt in interitu æternas, cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Nec prorsus ulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non posset; sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus, qui novit omnia antequam fiant, præsciit ex sua omnipotenti et incommutabili majestate. Nec ex præjudicio ejus aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa

[g] Dan. cap. 13. ver. 42.
[h] Psalm. 62. ver. 11, 12.
[i] Rom. cap. 2. ver. 7.
[k] 2 Thess. cap. 1. ver. 7, 8, 9, 10.

Digitized by Google

damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt."

III. De prædestinatione Dei, electorum ad vitam, et impiorum ad mortem.

" Sed et de prædestinatione Dei placuit, et fideliter placet; juxta auctoritatem apostolicam, quæ dicit; *An*[l] *non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* ubi et statim subjungit; *Quod si volens Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata sive præparata in interitum, ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.* Fidenter fatemur, prædestinationem electorum ad vitam, et prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere justum Dei judicium. Prædestinatione autem Deum ea tantum statuisse, quæ ipse vel gratuita misericordia, vel justo judicio facturus erat; secundum Scripturam dicentem: *Qui*[m] *fecit quæ futura sunt.* In malis vero ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est; non prædestinasse, quia ex illo non est. Pœnam sane malum meritum eorum sequentem, uti Deum, qui omnia prospicit, præscivisse; et prædestinasse, quia justus est; apud quem est, ut sanctus Augustinus ait, *de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia.* Ad hoc siquidem facit sapientis dictum: *Parata*[n] *sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus.* De hac immobilitate præscientiæ et prædestinationis Dei, per quam apud eum futura jam facta sunt, etiam apud Ecclesiastem bene intelligitur dictum: *Cognovi*[o] *quod omnia opera quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum. Non possumus his addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur.* Verum aliquos ad malum præ-

[l] Rom. cap. 9. ver. 21, 22, 23.
[m] Esai. cap. 45. ver. 11. (secundum LXX.)
[n] Prov. cap. 19. ver. 29.
[o] Eccles. cap. 3. ver. 14.

Digitized by Google

destinatos esse divina potestate, videlicet ut quasi aliud esse non possint; non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica[p] Synodus, illis anathema dicimus."

IV. De redemptione sanguinis Christi, et de quatuor, et novemdecim Capitulis.

"Item de redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem qui de hac causa exortus est, ita ut quidam, (sicut eorum scripta indicant) etiam pro illis impiis, qui a mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui æterna damnatione puniti sunt, effusum eum definiant, contra illud propheticum; *Ero*[q] *mors tua o mors, ero morsus tuus inferne:* Illud nobis simpliciter et fideliter tenendum ac docendum placet, juxta evangelicam et apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster ait: *Sicut*[r] *Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et apostolus: *Christus*[s], inquit, *semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Porro capitula quatuor, quæ a concilio fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, et errorem contrarium veritati: sed et alia novemdecim syllogismis ineptissime conclusa, et licet jactetur, nulla seculari literatura nitentia, in quibus commentum Diaboli potius, quam argumentum aliquod fidei deprehenditur, a pio auditu fidelium penitus explodimus; et ut talia et similia caveantur, per omnia, auctoritate Spiritus sancti interdicimus. Novarum etiam rerum introductores, ne districtius feriantur, castigandos esse censemus."

[p] Concil. Arausican. can. II. cap. 25.
[q] Hose. cap. 13. ver. 14.
[r] Joh. cap. 3. ver. 14, 15, 16.
[s] Heb. cap. 9. ver. 28,

Digitized by Google

V. Quod omnes regenerati a peccatis abluti sint: non tamen omnes salvi fiant.

" Item firmissime tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium ex aqua et Spiritu sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata et juxta doctrinam apostolicam, *in*[t] *morte Christi baptizata;* in ejus sanguine sit a peccatis suis abluta. Quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret et vera redemptio: cum in Ecclesiæ sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium; sed prorsus totum verum, et ipsa sui veritate ac sinceritate subnixum. Ex ipsa tamen multitudine fidelium et redemptorum, alios salvari æterna salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem[u] in corde ferentes; *Qui*[u] *perseveraverit usque in finem, hic salvus erit;* alios quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potius irritam facere prava doctrina vel vita, quam servare, elegerunt; ad plenitudinem salutis, et ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire. In utroque siquidem doctrinam pii doctoris habemus: *Quicumque*[w] *baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus.* Et, *Omnes*[x] *qui in Christo baptizati estis, Christum induistis;* et iterum: *Accedamus*[y] *cum vero corde, in plenitudine fidei aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem;* et iterum: *Voluntarie*[z] *peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia;* et iterum: *Irritam*[a] *quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum dixerit,*

[t] Rom. cap. 6. ver. 3.
[u] Matt. cap. 10. ver. 22. et cap. 24. ver. 13.
[w] Rom. cap. 6. ver. 3.
[x] Gal. cap. 3. ver. 27.
[y] Heb. cap. 10. ver. 22, 23.
[z] Ibid. ver. 26.
[a] Heb. cap. 10. ver. 28, 29.

Digitized by Google

in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?

VI. De gratia et libero arbitrio.

" Item de gratia, per quam salvantur credentes, et sine qua rationalis creatura nunquam beate vixit; et de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Jesu in fidelibus ejus redintegrato et sanato; id ipsum constantissime et fide plena fatemur, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt; quod Africana, quod Arausica synodus professa est; quod beatissimi pontifices apostolicæ sedis Catholica fide tenuerunt: sed et de natura et gratia, in aliam partem nullo modo declinare præsumentes. Ineptas autem quæstiunculas, et aniles pene fabulas, Scotorumque pultes, puritati fidei nauseam inferentes, quæ periculosissimis et gravissimis temporibus, ad cumulum laborum nostrorum, usque ad scissionem charitatis, miserabiliter et lachrymabiliter succreverunt; ne mentes Christianæ inde corrumpantur, et excidant a simplicitate et castitate fidei, quæ est in Christo JESU, penitus respuimus, et ut fraterna charitas cavendo a talibus auditum castiget, Domini Christi amore monemus. Recordetur fraternitas malis mundi gravissimis se urgeri, messe nimia iniquorum, et paleis levium hominum se durissime suffocari. Hæc vincere ferveat, hæc corrigere laboret, et superfluis cœtum pie dolentium et gementium non oneret: sed potius certa et vera fide, quod a sanctis patribus de his et similibus sufficienter prosecutum est, amplectatur."

Ut Carisiacorum canonum Hincmarus, ita Valentinorum horum author habitus est Ebbo Gratianopolitanus episcopus, S. Remigii apud Remenses quondam monachus, et alterius Ebbonis (cui deposito successit in Remensi archiepiscopatu Hincmarus) nepos: qui idcirco in synodi procœmio ex omnibus episcopis solus una cum archiepiscopis nominatur, et collaborasse eis quam maxime prædicatur. De quo Hincmarus, quem canones isti

Digitized by Google

maxime pupugerunt, in[b] prioris operis ad regem Karolum dedicatoria, ægri sui animi sensum ita aperuit.

" Miramur de tantis et talibus viris, archiepiscopis et episcoporum primoribus, maxime autem de Ebone, qui religiosus est, ut audivimus: quippe sicut ab ipsis pene cunabulis sub religione et habitu regulari nutritus in Remensis Ecclesiæ monasterio, ubi requiescit sanctus Remigius. In quo loco religioso suam exegit ætatem, quousque a domino Ebone avunculo suo, tunc Remorum archiepiscopo, ibidem diaconus consecratus, et abbas monachorum ad regularem ordinem tenendum et gubernandum constitutione episcopali est ordinatus. Quemque ita humilitatis tenore nutritum et humilitatis locum appetere, et tenere velle dicimus, ut illi et omnibus scriptum est: *Si*[c] *spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* Spiritus enim potestatem habentis, spiritus est superbiæ, locus autem noster est humilitas, quam a se vere locus munitus et turris fortitudinis nos discere jubet: *Discite*[d] *a me,* inquiens, *quia mitis sum et humilis corde.* Quamque pro loco tuto contra elationis ac jactantiæ spiritum, præfatum religiosum virum obnixe tenere velle audivimus, et pro certo credimus. Et idcirco discredimus ista capitula ab eo confecta: quia prætermissis aliorum consacerdotum nominibus, solius Ebonis nomen cum archiepiscopis est ibidem jactanter, ut quibusdam videtur, expressum; et quod quam maxime in hoc ipse collaboraverit, quasi e regione sit sensum, ut etiam cum archiepiscopis major cæteris et doctior in sententia fuerit. Hoc enim de sancto Augustino qui in conciliis Africanis scientia et labore ac vigilantia major extitit, nequaquam invenimus. Nam et ipse sanctus Augustinus non solum se cæteris coepiscopis, privatam gloriam quærens, non prætulit, nec præferri permisit, verum se aliis supposuit, cum ipse plus aliis laboraverit: sicut in epistolis ad sanctum Innocentium papam scriptis, et ad alios apostolicæ sedis præsules, qui

[b] Flodoard. lib. 3. cap. 15.
[c] Eccles. cap, 10. ver. 4.
[d] Matth. cap. 11. ver. 29.

Digitized by Google

legere voluerit invenire valebit. Neque de ullo episcoporum in ullis conciliis taliter legimus: nisi forte apostolicæ literæ propter evidentem causam aliquem coepiscoporum ad hoc negotium cum archiepiscopo suo ex nomine designari decreverint; sicut de Augustodunensi episcopo in epistolis beati Gregorii legimus. Quanto magis iste religiosus et vir cautus in hujusmodi se efferre noluisset, aut præferri despectis ac prætermissis cæteris coepiscopis, permisisset?"

Illæ vero Scotorum pultes, quas Hieronymum[e] imitati perstringunt in sexto canone Valentini patres, ad novemdecim capitula sunt referendæ, quæ in quarto canone "syllogismis ineptissime conclusa" fuisse dixerant: vel ut idem canon in Lingonensi synodo postea repetitus, planius appellat: "Capitula numero novemdecim syllogismis ineptissime ac mendacissime a quodam Scoto conclusa." Nimirum, ut in capite nono vidimus, a Johanne Erigena Scoto; de quo Remigius Lugdunensis archiepiscopus, qui Valentino huic concilio non modo interfuit, sed etiam præfuit, acerbam hanc protulit sententiam. "Sicut[f] ex ejus scriptis verissime comperimus, nec ipsa verba Scripturarum adhuc habet cognita: et ita quibusdam phantasticis adinventionibus et erroribus plenus est, ut non solum de fidei veritate nullatenus consulendus, sed etiam cum ipsis omni irrisione et despectione dignis scriptis suis (nisi corrigere et emendare festinet) vel sicut demens sit miserandus, vel sicut hæreticus anathematizandus."

Quæ cum minus percepisset Cæsar[g] Baronius, concilium Valentinum contra "Scotos quosdam vagos homines, quorum princeps Gotteschalcus," coactum fuisse censuit; qui "de prædestinatione et præscientia Dei, de gratia et libero arbitrio pravas opiniones in vulgus spargere laborarent ex quibus catholica doctrina corrumperetur." In quem errorem non suos solum induxit, Binium[h] et

[e] Hieronym. Procem. in lib. 1. Commentar. Hieremiæ de Cœlestio, ut videtur, Pelagii Britonis discipulo, verba faciens.

[f] Eccles. Lugdun. de trib. epistolis, pag. 1073. B.

[g] Baron. Annal. tom. 10. ad ann. 855. sec. 1.

[h] Bin. not. in Concil. Valentin.

Digitized by Google

Possevinum[i], sed nostrum quoque Calvisium, hominem antiquorum temporum magis quam rerum peritum, cum synodum scribit[k] " celebratam Valentinam a Carolo Calvo rege Galliæ: in qua iterum Godeschalci Scoti errores de prædestinatione damnati sint." In qua brevi notatione, tria non levia errata liceat animadvertere. I. Quod synodum a Carolo Calvo rege Galliæ celebratam fuisse dicat; cum ipsius synodi præfatio episcopos illos convenisse asserat, ex jussione Lotharii imperatoris, in cujus ditione sita erat Valentia, cum tribus illis provinciis quarum episcopi illuc convenerant. II. Quod Gotteschalcum ex Gallia Belgica (ut ostendimus[l]) oriundum, Scotum faciat: quam patriam ex illa Scotorum in sexto canone mentione facta, primus affinxit illi Baronius. III. Quod in synodo Valentina Gotteschalci de prædestinatione doctrinam damnatam fuisse scribat: quum adversariorum ipsius, Scoti et Hincmari adeoque ipsius Carisiacæ synodi, hac de re sententiam in hoc concilio explosam fuisse constet. Nam et novemdecim capitula a Johanne Scoto composita, et quatuor capitula ab Hincmaro in synodo Carisiaca contra Gotteschalcum edita, his verbis in quarto concilii hujus canone sunt rejecta, " Capitula quatuor, quæ a concilio fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt; propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, et errorem contrarium veritati: sed et alia novemdecim, syllogismis ineptissime conclusa, &c. a pio auditu fidelium penitus explodimus: et, ut talia et similia caveantur, per omnia, auctoritate Spiritus sancti, interdicimus."

Ad quosnam vero spectet, qui sequitur quintus canon; non est adeo exploratum. Hincmarus in citata ad Karolum epistola, hujusmodi quid a se dictum fuisse inficiatur: sed postquam quatuor illa Carisiaca capitula ab ipso edita fuerant, in Gotteschalci scriptis illud se invenisse asserit. Ad verba illa respiciens, ut videtur, quæ in superioribus[m]

[i] Possevin. apparat. in Valentino Concil.
[k] Calvis. Chronolog. an. Christ. 855.
[l] Supra, cap. 2. pag. 14.
[m] Supra, cap. 4. pag. 44.

Digitized by Google

a nobis sunt producta: " Baptismi sacramento eos emit; non tamen pro eis crucem subiit, neque mortem pertulit, neque sanguinem fudit." Verum ipsi quoque Hincmaro, saltem tacite et e latere notam impegisse videri possent hic Valentini patres. Sic enim in quarto capitulo Carisiaco, nullum fuisse hominem defendit, pro quo passus non fuerit Dominus: ut neget interim passionis ejus mysterio redemptos, non infideles modo, sed etiam non credentes, ea fide, quæ per dilectionem operatur. In qua definitione illud a Lugdunensi Ecclesia maxime reprehensum fuisse ostendimus; " quod[n] Dominus Jesus Christus etiam pro impiis in sua impietate pereuntibus dicatur passus; et tamen fidelis quisque fideliter baptismo ejus regeneratus, mysterio passionis ejus affirmetur non esse redemptus."

Scribit et alibi[o] idem Hincmarus, " petentibus, licet non impetrantibus communionem, ipsam ex desiderio fidelem postulationem prodesse posse: si non præscientia Dei ex retributione justitiæ fuerunt in massa perditionis totius humani generis relicti ad pœnam; sed gratia Dei ex eadem massa prædestinati ad gloriam." Cujusmodi dictorum[p] occasione, temporibus illis nata est quæstio: " quomodo recte et fideliter possit intelligi, tota humani generis massa merito primæ transgressionis ad æternum interitum damnata? cum proculdubio omnium electorum numerus ex ipsa esset assumendus, divina prædestinatione ac præscientia æternaliter præcognitus et præordinatus ad vitam æternam." De cujus quæstionis absolutione[q], inter Lugdunensis Ecclesiæ scripta, habetur libellus: in cujus fine, ab authore (qui alius ab eo qui ad Carisiaca capitula respondit, vel ob hanc ipsam judicii diversitatem, fuisse putatur,) primarium hoc inter reprobos et electos discrimen statuitur; quod " maneat[r] in illis etiam primæ præ-

[n] Supr. in fine cap. 7. pag. 81.
[o] Hincmar. Remens. opusc. contra Hincmar. Laudunens. Capitulo 48.
[p] Vid. supra Eclogas ex Floro cap. 10. pag. 155.
[q] Tom. 9. biblioth. Patr. part. 1. pag. 1077. A. (edit. Colon.)
[r] Ibid. pag. 1082. D.

Digitized by Google

varicationis reatus, qui in istis Christus sanguine est deletus."

Quo spectat et illa sententia, quam inter ipsos scholasticos Gabriel Biel est amplexus: reprobos, sive (ut ille appellat) "præscitos[s], non esse filios adoptivos:" et veterum celebratissimum illud dogma; "Corpus[t] Christi, quod est Ecclesia, ex solis constare electis;" et quæ cum istis sunt connexa. "Eos[u] esse ecclesiam, qui in domo Dei permanent." "Bonos[w] de Ecclesia non posse discedere:" et "qui[x] perierit, ex illa non fuisse." "Secundum[y] præscientiæ suæ gratiam, Christum sanctam ecclesiam de in æternum permansuris sanctis construxisse:" neque eum "justificare[z] nisi corpus suum, quod est Ecclesia." "Non[a] revera Domini corpus esse, quod cum illo non erit in æternum." "Deum[b] non omnium, sed eorum quos ante præscivit et prædestinavit, delicta dimittere." "Qui[c] perseveraturi non sunt, non esse a massa illa perditionis præscientia Dei et prædestinatione discretos." "Eos[d] qui cum tentati fuerint, superantur et pereunt; videri quidem filios Dei factos, propter aquam baptismatis, revera autem non esse filios Dei, quia non sunt in spiritu baptizati." "Visibilem[e] baptismum posse habere et alienos, id est, qui regnum Dei non possidebunt:" sed esse "donum Spiritus sancti, quod proprium est eorum tantum, qui regnabunt cum Christo in æternum." Denique, "Sacramenta[f] in solis electis efficere, quod figurant." Cum quibus quomodo concilianda sint, quæ apud eosdem

[s] Biel. in 3. sentent. distinct. 10. artic. 1.
[t] Coloss. cap. 1. ver. 24. collat. cum 2 Tim. cap. 10.
[u] Cyprian. epist. 55. op. pag. 83.
[w] Id. de unitate Ecclesiæ op. pag. 197.
[x] Augustin. de cathechizandis rudib. cap. 11. op. tom. 6. pag. 275.
[y] Gregor. in Cantica 3. [z] Augustin. epist. 185. op. tom. 2. pag. 659.
[a] Id. de Doctrin. Christian. lib. 3. cap. 32. op. tom. 3. pag. 58.
[b] Id. contra adversar. leg et prophet. lib. 2. cap. 11. op. tom. 8. pag. 601.
[c] Id. de corrept. et grat. cap. 7. op. tom. 10. pag. 758.
[d] Author. operis imperfecti in Matth. homil. 5.
[e] Augustin. de unitate Ecclesiæ, cap. 22. op. tom. 9. pag. 381.
[f] Idem apud Petrum Lombardum, lib. 4. sentent. dist. 4. A.

Digitized by Google

aliud sonantia occurrunt aliquoties, consulendi illi sunt, qui de perseverantia sanctorum et sacramentorum efficacia tractant controversias. Nos in instituta historia pergamus.

Digitized by Google

CAP. XIII.

De variis synodis, post Valentinam, in Gallia habitis: et Hincmari Remensis in acta tum Valentini tum Lingonensis concilii censura.

PROXIMO[a] post celebratum concilium Valentinum anno, in Karoli Calvi ditione apud Bonoilum, agri Parisiensis vicum, mense[b] Augusto habita est synodus: cujus Hincmarus, in præfatione posterioris refutationis Gotteschalci, his verbis meminit. " Sermonem Flori, quem, mutuante Heriboldo Antisiodorensium episcopo, in synodali conventu apud Bonoilum exscripsimus." Illum proculdubio Florum innuens: cujus, sub titulo Flori Magistri, expositionem Missæ; poemata, Drepanii cognomento addito; et responsum ad novemdecim Johannis Scoti capitula, Lugdunensis Ecclesiæ nomine edita, in bibliotheca Patrum legimus.

Ad sequentis[c] Septembris Kalendas, in villa Nielpha (Neaufla hodie dicta) a Karolo alius indictus est conventus: in quo, et Valentinæ synodi capitula, et quæ pro Gotteschalci causa ab aliis scripta acceperat Hincmaro, ut ad ea responderet, tradidit; qua de re in epistola ad regem anno octingentesimo quinquagesimo nono eidem refutationi posteriori præfixa, ita scribit Hincmarus ipse. " Hæc[d] eadem capitula, sicut facile reminisci potestis, ante triennium nobis in villa Rothomagensis episcopii, quæ Nelpha dicitur, quando in excubiis contra Normannorum infestationem degebamus, sub titulo, quasi in Valentiana synodo conscripta fuerint, anno Incarnationis Dominicæ

[a] Ann. DCCCLVI.
[b] Caroli Calvi capitul. tit. 15. pag. 123. cum notis, pag. 35, 36.
[c] Ibid. tit. 17. cap. 3. pag. 137. cum notis pag. 39.
[d] Flodoard. lib. 3. cap. 16.

Digitized by Google

DCCCLV. sub Lothario imperatore dedistis; ut ad illa, quæ nobis viderentur, Catholice ex orthodoxorum magisterio responderemus, cum aliis quorumcunque scriptis, quæ hinc ad vestram notitiam pervenere. Quorum quædam scripta recepimus: sed ea publicare noluimus, *solliciti*[e] *servare unitatem spiritus in vinculo pacis*, donec cum eis, qui vobis illa transmiserant, familiari colloqueremur sermone; et eos, si aliquo modo valeremus, ab hac prava intentione ad Catholicæ fidei unitatem, cooperante Domino, revocaremus."

" Sed quia partim occupationibus præpediti, partim autem in fraternis suasionibus, minus quam necesse fuerat, obauditi; eos quos monere disposuimus, a sua intentione revocare nequivimus. Unde (quia, sicut dicit apostolus; *Quorundam*[f] *hominum peccata manifesta sunt, et quæ aliter se habent abscondi non possunt:*) adeo quorundam excrevit dissensio; ut hæc dissonantia ad vestram perveniret notitiam, et synodali decreto pro zelo fidei, et unanimitatis amore, antequam hæc nobis perscrutanda committeretis, quatuor capitula episcopali definitione vobis de catholicorum patrum dictis colligi, et singulorum exigeretis manibus roborari. Postea vero et quorundam ex his, qui eisdem capitulis subscripserant, et aliorum etiam, in tantum est accumulata vecordia; ut necesse foret, et jussionis vestræ instantia, et executionis nostræ obedientia, hinc eorum quos præmisimus scriptis, et propositionibus, literali officio respondere."

Collegit igitur Hincmarus, " atque composuit volumen ingens, plures continens libros, de prædestinatione Dei et libero arbitrio, contra quosdam reprehensores suos episcopos, maximeque contra Gotteschalcum, atque Ratramnum monachum Corbeiensem:" ut refert Flodoardus[g], cui et integram dedicatoriam, ad Karolum regem, epistolam inseruit. Unde quæ in Valentinam Synodum ab eo sunt objecta, quæque totius operis οἰκονομίαν explicant (aliis, brevitatis causa, prætermissis) placuit hic describere.

" Capitula synodalia venerabilium consacerdotum nos-

[e] Ephes. cap. 4. ver. 3.
[f] 1 Tim. cap. 5. ver. 24, 25.
[g] lib. 3. cap. 15.

Digitized by Google

trorum, trium scilicet provinciarum, (sicut ibidem continetur, et inferius scriptum invenietur) vobis delata, quæ nostræ humilitati, juxta Scripturam præcipientem, *Interroga*[h] *sacerdotes legem meam* (quia et *fidei legem* esse legimus) præcedentium regum more, ob studium cognoscendæ veritatis, legenda et ventilanda dedistis, revolvimus. In quibus nos, licet nomina nostra sint tacita, designatione tamen effectus velut non Catholicos reprehensos, et sine fraternitatis respectu despectos reperimus. Capitula quoque, quæ, ob notam vobis, et infra innotescendam necessitatem, ex Catholicorum patrum sensibus et verbis excerpsimus, velut inutilia, imo noxia, repulsa et abominata invenimus. Quæ capitula, sicut a nobis excerpta sunt, suis scriptis inserere noluerunt, ne ab illis legerentur, in quorum manus illorum capitula devenirent: sed quædam de his, quæ in capitulis a nobis excerptis habentur, alio sensu, et aliis verbis tetigerunt, ut abominanda illa monstrarent: quædam autem suppresserunt, et taliter inde memoriam habuerunt, quasi nos contra sanctorum patrum sensa, in Africana et Arausica synodo, senserimus."

" De quodam autem capitulo, id est, quod omnes homines vult Deus salvos fieri, licet non omnes salventur, funditus tacuerunt: cum Dominus dicat; *Ecce*[i] *constitui te super gentes et regna, ut evellas, et destruas et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes.* Prius enim, (si de conscientia rectæ intelligentiæ fuere confisi) ponentes ea quæ destruere nitebantur (sicut illa cum integritate sua acceperant) in quibus evellenda et dissipanda erant, legentibus demonstrare; et tunc illis per auctoritatem destructis atque dispersis, sua rationabiliter et ordinabiliter plantare debuerant, ac in sublime ædificantes extollere. De quodam etiam capitulo, quasi ludificatio aliqua in sacris mysteriis esse possit, ita scripserunt, ut legentes hoc a nobis dictum fuisse intelligere possunt, de quo nihil a nobis est memoratum: et quare nihil a nobis inde sit dic-

[h] Haggæi cap. 2. ver. 11. Rom. cap. 3. ver. 27.
[i] Jerem. cap. 1. ver. 10.

Digitized by Google

tum, et in cujus scriptis a nobis postea quam illa capitula scripsimus, sit inventum, suo loco dicemus. Inseruerunt etiam in eisdem suis scriptis de quibusdam XVI[k]. capitulis, quasi nobis debeant imputari: de quibus nihil audivimus, vel vidimus, antequam venerabilis Ebo Gratianopolitanus episcopus vobis ea, quasi a bonæ memoriæ fratre vestro Lothario transmissa, apud Vermeriam palatium detulit. Quorum capitulorum authorem nec ibi annotatum invenimus, nec, cum multum quæsierimus, invenire valuimus. Unde putavimus quia alicujus invidia ad cujusquam opinionem infamandam fuerint compilata, sicut sæpe legimus."

" Unde et fieri potest, ut ista capitula, quæ vobis ex nomine confratrum nostrorum ab aliis quam ab illis delata vel transmissa sunt, taliter in sugillatione nostra conscripta non fuerint: sed instigante Diabolo (inter cætera mala, quæ nunc in hoc mundo crebrescunt) ad immittendam inter Domini sacerdotes discordiam sint confecta, qui caritatem vehementer in nobis et timet et invidet, cum videt illam a nobis servari hominibus terrenis in terra, quam ille servare nolens angelicus spiritus amisit in cœlo. Quomodo enim fieri posset, ut sic fratres nostri nos succensorie cum adnihilationis despectu judicarent; qui regulam Dominicam, qualiter confratrem quisque admonere debeat, continue præ oculis et in usu quotidie habeant? Scriptum enim esse cognoscunt: *Priusquam*[l] *interrogas, ne vituperes quenquam; et cum interroges, corripe juste.* Sanctus enim Augustinus hæreticorum et reprehensorum suorum scripta, si in eis quiddam bene dictum invenit, benignissime acceptavit, et plura ad rectos sensus interpretari elaboravit; nulla autem de recto sensu ad pravum inclinare tentavit."

" Et quomodo fratres nostri talia agerent, antequam nos secundum evangelicam regulam, vel viva voce, vel scriptis suis inde interrogarent: ut vel volentes discere docerent, vel pravum sentientes, et ad tramitem veritatis et fidei redire contemnentes, fraterne et sæpius commo-

[k] XVIIII. Vide not ad finem hujus epistolæ.

[l] Ecclus. cap. 11. ver. 7.

Digitized by Google

nerent, et auctoritates divinas et sanctorum patrum scripta nobis proponerent, et ut in unum conveniremus nos cum mansuetudine et lenitate invitarent? scientes quia episcopus ideo ad synodum consacerdotum debet venire, ut aut discat aut doceat. Literas namque quorundam eorum quidam nostrum benignas et fraternas suscepimus, nostrasque illis remisimus; et nihil tale de eorum parte perspeximus, audivimus, intelleximus, sensimus, vel percipere prævaluimus."

"Non enim nos adversus fratres nostros habemus, si talia contra nos ante collationem scripserunt. Sed credendum est, si illa scripsissent; ad nos, contra quos illa scripserant, transmisissent. Nunc autem illis quomodo rescribere possumus; cum utrum illa scripserint, ignoremus? Veruntamen, ne sine responso nostro vestra dominatio maneat; vobis, de cujus manu illa accepimus, corde, ore, et stylo, non formidantes carpentium nos derogationem, respondere curamus. Primo scilicet mittentes ea, quæ ab eisdem fratribus nostris in synodo conscripta fuisse leguntur; licet hinc ante alia fuisse conscripta reperiantur. Sed quia hæc in sugillationem nostram, et contra excerpta a nobis capitula confecta noscuntur, ea primum judicavimus ponere, quæ majoris nominis, licet non autoritatis, quia partim non veritatis, propter tamen synodalem prætitulationem dignum duximus magnipendere. Deinde illa, quæ a pluribus, et per aliorum manus de pluribus, ex his causis accepimus: propter quam necessitatem ex Catholicorum patrum, ut diximus, sensibus et verbis capitula illa quatuor excerpere procuravimus; ea conditione, ut de singulorum scriptis ex singulis sententiis, quæ in a nobis excerptis capitulis continentur, quædam, prout necesse viderimus, ponamus. Post hæc, capitula a nobis excerpta de patrum sensibus et verbis, ut illa excerpsimus, ponere procurabimus."

"Et quia libellum de scrinio bonæ memoriæ fratris vestri Lotharii, sine nomine authoris suscepimus, in quo sigillatim per loca singula capitula a nobis excerpta sunt posita; et assensu illius, quiscumque ille fuerit, reprehensa sunt et damnata: cum de Catholicorum patrum dictis

Digitized by Google

nostra capitula, si poterimus, confirmare curabimus, ipsius etiam reprehensiones ponemus, et eas, quantum Dominus dederit, confutare studebimus. Tunc demum ponemus de capitulo confratrum nostrorum quinto, unde notam nobis quasi tacite et e latere impegerunt, quod in Gotteschalci scriptis invenimus, postquam capitula quatuor sæpe memorata excerpsimus, et quid inde sentiamus, Domino inspirante, dicemus. Et sic tandem subjiciemus illa XIX[m]. capitula, pro quibus de Scotorum pultibus confratres nostri, sine culpa nostra, in hac duntaxat causa nos pascere decreverunt: et quid de iisdem capitulis sentiamus, ex Catholicorum patrum sensibus ostendemus."

Verum ingenti hoc volumine adversæ parti nequaquam satisfactum est; neque Valentinæ synodi authoritati detractum quicquam. Anno[n] enim octingentesimo quinquagesimo nono circa Kalendas Junias, in Andemantunno Lingonum, Remigius Lugdunensis, Agilmarus Viennensis, Ebbo Gratianopolitanus, et cæteri comprovinciales episcopi, cum rege ipsorum Karolo, concilium celebrantes, sex illos Valentinæ synodi canones suffragio suo comprobatos, ad instructionem Dominici populi, denuo promulgarunt. In quinto tantum canone, quod tam expressa Carisiacorum canonum condemnatione Hincmarum tantopere offensum animadvertissent, quatuor illorum capitulorum mentione penitus omissa, de novemdecim solummodo Johannis Scoti capitulis sententiam hanc ferendam esse censuerunt. " Porro capitula numero novemdecim, syllogismis ineptissime ac mendacissime a quodam Scoto conclusa (ubi non argumentum fidei, sed potius commentum perfidiæ paret; nulla omnino philosophiæ arte, ut arroganter a quibusdam jactatur, constructum, sed inani fallacia et deceptione imperitissime confusum) a pio auditu fidelium penitus explodimus: et ut talia et similia caveantur, per omnia, authoritate Spiritus sancti interdicimus."

[m] XVI. habebat editio Sirmondi: sed XIX. ex MSS. suis recte restituit Colvenerius qui tamen in prima nota ad cap. 16. Flodoardi, ista capitula ab Hincmaro collecta fuisse male asserit: quum Johanni Scoti tribuenda esse nullo modo dubitare liceat.

[n] Concil. Gall. tom. 1. pag. 136. et 152.

Digitized by Google

Quod ipsorum concilium pluribus exagitat Hincmarus, in tricesimo capitulo posterioris operis adversus Gotteschalcum ad regem Karolum conscripti.

Hæc[o] decreta sua synodica post quindecim dies Remigius, Agilmarus, Ebbo, et cæteri coepiscopi eorum, majori concilio, ex duodecim provinciis in Tullensis urbis suburbano, quod dicitur Saponarias, congregato, et tribus regibus, Karolo Calvo, ejusque nepotibus Lothario et Karolo Lotharii imperatoris filiis, adsidentibus obtulerunt. Ea[p] in concilio uno die, et quatuor Carisiacæ synodi capitula altero die relecta sunt. Unde, cum ibi Hincmarus cum suis ex una parte, Remigius et Ebbo cum suis adessent ex altera: gravis inter episcopos orta est disceptatio, ex diversis Gotteschalci fautorum vel adversariorum studiis nata. Qua de re in posterioris illius operis ad Karolum Calvum nuncupatoria, ita scribit Hincmarus ipse. "Ut[q] vere et nos fateamur, nostræ conscientiæ super pridem capitulis, quæ Remigius archiepiscopus synodo præsentaverat, recitatis, Catholicorum ad memoriam reducentes doctorum traditiones, non modice se concusserunt. Unde nostrorum quidam, fidei Christianæ zelo succensi, aliqua synodo voluere suggerere: sed motus nostri ab eodem venerabili archiepiscopo Remigio Lugdunensium sunt modeste compositi; eo venerabiliter perorante, ut si quorundam nostrorum sensus ab eisdem prolatis capitulis, in aliquo dissentiendo se commoveret, ad proxime futuram synodum Catholicorum libros doctorum quique deferre curaremus, et sicut melius secundum Catholicam et apostolicam doctrinam in commune invenerimus, de cætero omnes unanimiter teneamus. In cujus devotione, coepiscoporumque ipsius diœceseos, (quorum etiam, et ante ordinationem, mentem catholicam atque doctrinam, sicut et vos non latet, cognovimus) quantum sensui pusillitatis nostræ fidem accommodare audemus, percepimus, quia non ex

[o] Concil. Gall. tom. 1. pag. 153. ex codice Bibliothecæ Vaticanæ.

[p] Sirmond. not. in tom. 3. Concilior. Galliæ, pag. 682. et capitula Karoli Calvi pag. 55.

[q] Flodoard. lib. 3. cap. 16.

Digitized by Google

ipsis, ut non dicamus per ipsos, synodo capitula ipsa fuere prolata."

Male autem quod de Gotteschalco, a Galliæ Belgicæ et aliarum provinciarum episcopis in Carisiaca synodo damnato, alibi scripsit idem Hincmarus, ad Valentinam et Tullensem synodum traxit Colvenerius[r]: erroris causam non minimam præbente Baronio, qui[s] " in tribus conciliis adversus eum tractatum esse" scripsit, nempe Moguntino, Valentino, atque Tullensi; et de Tullensi hoc alia quoque in annales suos retulit, quæ castigatione maximopere indigent. Auditis enim Lingonensis conventus capitulis, " mirum[t] in modum commotos fuisse episcopos orthodoxos ait, videntes innovatam in eis hæresim Prædestinatianorum; paratique cum essent publice reclamare, cohibitos esse a Remigio, asserente, ut quæ essent Catholicæ fidei proferrent ipsi." Testem deinde producit Hincmarum, " in epistola nuncupatoria ad tres libros ab eo editos contra errores Gothescalci;" affirmantem " in hac synodo oblata a Remigio archiepiscopo Lugdunensi capita quædam de erroribus Gothescalci Karolo; ipsum vero dedisse illa Hincmaro, ut responderet: quod egregie (inquit) præstitit, tribus libris eo argumento conscriptis." Addit postremo in eadem[u] Tullensi synodo fuisse statutos canones sexdecim: ex quibus septem priores mutuati noscantur ex concilio Valentino, reliqui superadditi.

Atqui in Valentino concilio, Prædestinatianam illam quam vocat hæresim, hoc est, Gotteschalci pariter ac Augustini sententiam de prædestinatione orthodoxam, comprobatam fuisse jam ostendimus. Si illi igitur canones sexdecim, ex quibus (non septem, ut Baronio per incuriam excidit, sed) sex priores mutuati noscuntur ex concilio Valentino, in Tullensi synodo (ut ille asserit) statuti essent: sequeretur, in hoc etiam concilio eandem doctrinam

[r] Colvener. not. in Flodoard. histor. Remens. lib. 3. cap. 14.

[s] Baron. ann. 859. sec. 17.

[t] Id. ibid. et eum secutus Binius in notis ad Tullense Concil.

[u] Baron. ibid. sec. 51. eumque pari (ut solet) confidentia secutus Possevinus in apparatu voc. Tullense concil.

Digitized by Google

stabilitam fuisse. Re autem vera, in Lingonensi synodo sanciti sunt isti canones, in Tullensi relecti tantum: suntque illa ipsa capitula, quæ ibidem recitata tantos motus excitarunt inter episcopos, qui innovatam in eis hæresim Prædestinatianorum fuisse existimabant, quemadmodum Baronium jam referentem audivimus. Unde etiam est consequens, et Lingonensis et (ex quibus illa traducta sunt) Valentina capitula, pro Gotteschalci et Prædestinatianorum sententia lata fuisse.

In Tullensi vero concilio, pro neutra parte quicquam fuisse conclusum, sed ad proxime futuram synodum aut aliud colloquium dissentientium opinionum disceptationem dilatam, tum ex superiore Hincmari relatione manifestum est, tum ex ipsis concilii actis; in quibus ita legimus. " Relecta[w] sunt denique in eadem synodo quædam capitula, (Lingonensia nimirum illa) super quibus quorumdam fratrum sensus dissentire probantur. Unde convenit inter episcopos; ut, Deo favente, pace ac tranquillitate recuperata, simul conveniant; et prolatis sanctarum Scripturarum atque Catholicorum doctorum sententiis, quæ saniora sunt, concordi unanimitate sequantur."

Illud quoque est recte accipiendum, quod ex Hincmari epistola retulit Baronius, " in hac synodo oblata a Remigio archiepiscopo Lugdunensi capita quædam de erroribus Gothescalci Karolo; ipsum vero dedisse illa Hincmaro ut responderet." Narrat vero in loco citato Hincmarus, Lingonensis synodi capitula (quæ eadem fuerint cum Valentinis) biduo posteaquam in Tullensi concilio recitata fuerant, regi Karolo a Remigio porrecta fuisse, sibique a rege tradita, cum mandato, ut, quid de iis sentiret, exponeret. In quibus quidem (eo, quod de baptismi efficacia agebat, excepto) Gotteschalci errores confirmatos fuisse sensit Hincmarus sed ab ipso Remigio (quod verba Baronii innuunt) dogmata illa Gotteschalci habita fuisse erro-

[w] Baron. ann. 859. sec. 23. Concil. Bin. tom. 3. part. 1. sec. 2. pag. 551. (edit. Colon. ann. 1618.) Capitula Karoli Calvi, tit. 25. sec. 11. pag. 226. et Concil. Galliæ, tom. 3. pag. 140, 141.

Digitized by Google

nea, res est a veritate alienissima. An autem tam egregie Hincmarus munus sibi impositum præstiterit, in hisce tribus libris de hoc argumento conscriptis; haud scio an Baronio affirmanti temere credendum, qui libros illos nunquam conspexit.

Digitized by Google

CAP. XIV.

De postremis Hincmari Remensis scriptis, hac in causa editis; diuturna Gotteschalci custodia, et perpetua usque ad mortem servata constantia.

In posteriore hoc adversus Gotteschalcum scripto, Hincmarus capitula quatuor in Carisiaca synodo a se edita, Scripturarum et patrum testimoniis confirmare; capitula vero tum Lingonensis synodi, tum Prudentii[a] Tricassini episcopi, infirmare, magno studio multaque opera conatus est: interim vero dum integrum edatur opus (quod, cum alibi, tum in bibliotheca S. Remigii apud Remenses MS. asservatur) ex epistola ad Karolum Calvum dedicatoria a Flodoardo[b] historiæ suæ inferta, quæ ad jam traditæ historiæ confirmationem, et argumenti ipsius libri explicationem faciunt, visum est huc apponere.

" Nuper elapso mense Junio, per indictionem VII. anno Incarnationis Dominicæ DCCCLIX. dedistis nobis quædam capitula, sicut nostræ dixistis humilitati, a Remigio reverentissimo Lugdunensium archiepiscopo vestræ porrecta sublimitati: jubentes ut tempore congruo de his vobis redderemus responsum; si unanimes, uno ore, eorundem capitulorum sensu concordaremus; an (quia vobis a cana patrum fide in quibusdam dissentire videbantur) noster sensus, quem a Catholico tramite non deviare credebatis, ab eis in aliquo dissideret."

" Quæ capitula in conventu episcoporum habito in territorio Tullensi, in villa quæ dicitur Saponarias, ante biduum quam vobis porrecta fuerint, sunt recitata; proferente et deponente ea synodo domino Remigio Lugdunensium archiepiscopo: quæ (sicut dixit, et in epigrammate

[a] Supra cap. 11.

[b] Flodoard. lib. 3. cap. 16.

Digitized by Google

eorundem capitulorum continetur) in hoc ipso anno, in Kalendis nihilominus ibidem descriptis, et in suburbio Lingonicæ urbis, ad instructionem Dominici populi, ipse et sibi comprovinciales episcopi ediderunt. Et in crastina alia quædam capitula, de quibus post locuturi sumus, relecta fuere. Super quibus, sicut quibusdam ex fratribus visum est, quorundam sensus est motus."

His igitur capitulis, " pro nostri ingenioli capacitate, sub dubietate tamen, respondimus: quia non credimus, ut fratres et coepiscopi nostri contra regulas ecclesiasticas adversus nos talia debuissent conscribere: præsertim cum non ignorarent, Dominicis institutionibus, et legibus promulgatis, præfixum esse, qualiter si in sæpefatis capitulis fidei obloqueremur, nos compellare, et tunc synodali judicio nos, nostrasque sententias a sua debuissent conjunctione explodere. Nunc vero, quia certi sumus, cujus compositioni debemus de sæpe nominatis quæstionibus respondere, servatis relationum absolutionibus contra eos, quibus a vestra dominatione, pro imposito nobis ministerio, jussi sumus reddere rationem: contra hæc tantum capitula, quantum ex nobis est cum omnibus pacem habentes, ex sanctarum Scripturarum auctoritate, et Catholicorum patrum sententiis, simpliciter respondere curabimus; ut cui forte omnia illa legere non licuerit, vel non libuerit, hic compendiosas pro tempore capitulorum responsiones inveniat. Quas furatis horulis a diversis distensionibus, qui cogitationum ferias non habemus, sicut de sententiis sanctorum patrum accepimus, (ne torpore vel inobedientia a vestra denotaremur Christiana devotione,) committere schedulis tumultuario sermone studuimus: quoniam in præfatis relationibus, provocati multiplicibus multiplicium illationibus, multipliciter multiplicibusque collationibus, non sine (sicut scimus, et confitemur) lectoris tædio, sensu sed tamen Catholico, in tribus libris lacinioso sermone respondere sategimus."

" Sed in hoc maxime benigno lectori nos satisfacere autumamus; quia singularum singulas semper ponentes sententias, singulariter ad objecta et resistentia fidei respondere studuimus: et vel in hoc solo devotum quemque lec-

Digitized by Google

torem nobis conciliari confidimus; quia cum ex sua mente nostrum laborem perpenderit, nos apud se excusatos habebit. Quis vero sit istorum capitulorum compositor, cui quasi a novo cogimur respondere, ipse se prodet cum necessarium videbitur ad lucem veritatis venire. Quia operator tenebrosorum operum, inter quæ ab apostolo et hæreses describuntur, *odit*[c] *lucem; et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: omnis vero qui bona agit,* inter quæ bona ab apostolo et fides connumeratur, *venit*[d] *ad lucem; ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* Sed et ille quicunque est, si ad lucem venerit, et veritati ex corde consenserit; esse filius lucis poterit. Si autem et pertinaciter contradixerit veritati, ipse in infidelitate sua et contentionis suæ vecordia, hæretici sibi nomen imponet. Quia non statim hæreticum, quod ignoranter a fide sentitur diversum; si non fiat pertinaci contentione hæreticum."

Nec tantum regi Karolo hac de re scripsit Hincmarus, sed etiam "Papæ Nicolao[e]; fidei suæ depromendo tenorem, et suam contra Gotteschalci errorem, (Flodoardi verba hæc sunt) quam fidei Catholicæ dependere satagebat, defensionem." De quo in alia epistola ad eundem Nicolaum ab eo scripta, ita etiam legimus. "Luido[f] mihi dixit quod cum eo rationem de damnatione et reclusione Gotteschalci habuissetis. Unde quoniam per alios jam audieram ad sanctitatem vestram verba venisse; misi auctoritati vestræ quædam ex verbis et Catholicorum sensibus in rotula, qualiter contra ipsius pestiferi hominis sensum sentiam, per Odonem Episcopum: et nihil inde responsionis accipere merui." At neque ad regem, neque ad pontificem scriptæ ab illo commentationes, hisce altercationibus finem imponere valuerunt. Ad[g] Metense enim concilium, quod post Tullense integro quadriennio, Indictione videlicet XI. mense Junio, ab episcopis regni Lotharii (Impe-

[c] Gal. cap. 5. ver. 20. Joh. cap. 3. ver. 20, 21.
[d] Gal. cap. 5. ver. 22.
[e] Flodoard. lib. 3. cap. 15.
[f] Ibid. cap. 1.
[g] Annò DCCCLXIII.

Digitized by Google

ratoris Lotharii filii et Lotharingiæ regis primi) celebratum est, ut de causa Gotteschalci rationem redderet, Hincmarus vocatus est. In quo, injuriam sibi factam, in jam citatis ad Nicolaum papam literis, ita ille conqueritur. "De quo (Gotteschalco) ut redderem rationem, quidam episcopi quorum nihil de illo intererat, (quoniam nec eos, ut ipsi manifestis indiciis prodiderunt, ad hoc caritas commovebat, nec auctoritas deducebat) me ad conciliabulum nuper Metis habitum (quod vocari synodum vetuistis, sicut intelligo) irregulariter quarto die antequam congregaretur, cum ego longius quam octoginta, et idem Gotteschalcus plusquam centum millibus ab ipsa civitate (Metensi) disparati essemus, nihil me inde ante præmonitum, per quemdam laicum hominem literis vocaverunt."

Quum Rothadus Suessionensis episcopus, in pristinum honorem (a quo, ad Romanum pontificem appellans, ab Hincmaro fuerat depositus) a Romano concilio fuisset restitutus; ab Hincmaro scriptæ sunt istæ ad Nicolaum papam literæ: in quarum fine, post expositam pluribus Gotteschalci doctrinam, tanta episcoporum illius causæ faventium oppositione exacerbatus, ita demum perorat. "Sunt et alia, quæ ipse et alii plures in istis partibus dicunt, quæ nobis sanæ fidei adversari videntur: quæ dum per alium quam per vilitatem meæ personæ auctoritas vestra cognoverit, forte attendet solertius, et quæ inde tenenda sunt docere studebit quantocius. Erit enim in proximo inde necessitas: quia etsi eorum corda in insania perversi sensus ebulliunt, orthodoxi tamen regis nostri tempore prava, quæ sentiunt, eloqui non præsumunt. Ita ut aperte videamus impleri, quod scriptum est: *Congregans*[h] *sicut in utre aquas maris.* Aqua enim maris sicut in utre congregata est: quia amara hæreticorum scientia quicquid hodie in isto regno filii vestri Domini Karoli pravum sentit, in pectore comprimit, et aperte dicere non præsumit. Meam quoque exiguitatem et occulte canino dente corrodunt. Facile autem adjuvante Domino, portare valebo: quia et mihi paucum superest temporis spatium; et si inter filios

[h] Psal. 33. ver. 7.

Digitized by Google

Ecclesiæ, permittente Deo, in me acceperint potestatem corporaliter affligendi, divina gratia adjuvante exercebunt patientiam. Sed et si tantummodo male sentiendo adversabuntur; exercebunt quantulamcumque scientiam: et ut etiam inimici, secundum præceptum Domini, diligantur, exercebunt benevolentiam."

" Præfatum autem Gothescalcum, si vestra auctoritas mihi scripserit, ut eum a custodia solvam, et aut ad vos eundi (ut per vos ejus doctrinam experiamini) aut ad quemcunque ex nomine designatum pergendi licentiam donem: (quia, ut melius ipsi scitis, sicut absolute quisque regulariter ordinari non valet; ita nisi ex ipsius consensu, cujus esse dinoscitur, certæ personæ commendandus, et ad certum locum monachus, vel quisque sub regula constitutus, a loco suo absolvi juxta regulas sacras non valet:) vestris jussionibus nullo modo resultabo. Tantum ut auctoritatem vestram habeam; ne tantorum episcoporum judicium mea præsumptione parvi pendere videar. Non enim illius delector, quam juste sustinet pertinaciter contumax, quantulamcunque reclusionis molestiam: sed doleo a qua revocari non potest perfidiam."

" Quem si cuicunque commendandum vestra auctoritas viderit, hoc in commendatione etiam providebit; ut cui commendabitur Catholicus sit, et gravitatem ecclesiasticam, et vigorem ac Scripturarum scientiam habeat: quia non solum Scripturas ad suum sensum violenter inflexas, sed et Catholicorum dicta detruncata per totum diem sine respiratione aliqua prævalet memoriter decantare. Unde non solum idiotas in admirationem sui abducere, verum et sciolos et incautos atque zelum Dei, sed non secundum scientiam, habentes in sententiam suam solitus erat traducere. Et non solum doctorum suorum doctor videri appetit; sed et hoc solerter satis intendit, ut secum loquentes vel in sermone capere valeat: et si de veritate non poterit, invincibiliter sacramentis affirmare curabit, ea secum loquentes dixisse quæ forte non dixerant; ut ipse verax, et illi qui ei contradicunt probentur esse mendaces, et adversus suam doctrinam docentes."

Verum nec ad istas literas respondisse Nicolaum, neque

Digitized by Google

ratoris Lotharii filii et Lotharingiæ regis primi) celebratum est, ut de causa Gotteschalci rationem redderet, Hincmarus vocatus est. In quo, injuriam sibi factam, in jam citatis ad Nicolaum papam literis, ita ille conqueritur. "De quo (Gotteschalco) ut redderem rationem, quidam episcopi quorum nihil de illo intererat, (quoniam nec eos, ut ipsi manifestis indiciis prodiderunt, ad hoc caritas commovebat, nec auctoritas deducebat) me ad conciliabulum nuper Metis habitum (quod vocari synodum vetuistis, sicut intelligo) irregulariter quarto die antequam congregaretur, cum ego longius quam octoginta, et idem Gotteschalcus plusquam centum millibus ab ipsa civitate (Metensi) disparati essemus, nihil me inde ante præmonitum, per quemdam laicum hominem literis vocaverunt."

Quum Rothadus Suessionensis episcopus, in pristinum honorem (a quo, ad Romanum pontificem appellans, ab Hincmaro fuerat depositus) a Romano concilio fuisset restitutus; ab Hincmaro scriptæ sunt istæ ad Nicolaum papam literæ: in quarum fine, post expositam pluribus Gotteschalci doctrinam, tanta episcoporum illius causæ faventium oppositione exacerbatus, ita demum perorat. "Sunt et alia, quæ ipse et alii plures in istis partibus dicunt, quæ nobis sanæ fidei adversari videntur: quæ dum per alium quam per vilitatem meæ personæ auctoritas vestra cognoverit, forte attendet solertius, et quæ inde tenenda sunt docere studebit quantocius. Erit enim in proximo inde necessitas: quia etsi eorum corda in insania perversi sensus ebulliunt, orthodoxi tamen regis nostri tempore prava, quæ sentiunt, eloqui non præsumunt. Ita ut aperte videamus impleri, quod scriptum est: *Congregans*[h] *sicut in utre aquas maris.* Aqua enim maris sicut in utre congregata est: quia amara hæreticorum scientia quicquid hodie in isto regno filii vestri Domini Karoli pravum sentit, in pectore comprimit, et aperte dicere non præsumit. Meam quoque exiguitatem et occulte canino dente corrodunt. Facile autem adjuvante Domino, portare valebo: quia et mihi paucum superest temporis spatium; et si inter filios

[h] Psal. 33. ver. 7.

Digitized by Google

Ecclesiæ, permittente Deo, in me acceperint potestatem corporaliter affligendi, divina gratia adjuvante exercebunt patientiam. Sed et si tantummodo male sentiendo adversabuntur; exercebunt quantulamcumque scientiam: et ut etiam inimici, secundum præceptum Domini, diligantur, exercebunt benevolentiam."

"Præfatum autem Gothescalcum, si vestra auctoritas mihi scripserit, ut eum a custodia solvam, et aut ad vos eundi (ut per vos ejus doctrinam experiamini) aut ad quemcunque ex nomine designatum pergendi licentiam donem: (quia, ut melius ipsi scitis, sicut absolute quisque regulariter ordinari non valet; ita nisi ex ipsius consensu, cujus esse dinoscitur, certæ personæ commendandus, et ad certum locum monachus, vel quisque sub regula constitutus, a loco suo absolvi juxta regulas sacras non valet:) vestris jussionibus nullo modo resultabo. Tantum ut auctoritatem vestram habeam; ne tantorum episcoporum judicium mea præsumptione parvi pendere videar. Non enim illius delector, quam juste sustinet pertinaciter contumax, quantulamcunque reclusionis molestiam: sed doleo a qua revocari non potest perfidiam."

"Quem si cuicunque commendandum vestra auctoritas viderit, hoc in commendatione etiam providebit; ut cui commendabitur Catholicus sit, et gravitatem ecclesiasticam, et vigorem ac Scripturarum scientiam habeat: quia non solum Scripturas ad suum sensum violenter inflexas, sed et Catholicorum dicta detruncata per totum diem sine respiratione aliqua prævalet memoriter decantare. Unde non solum idiotas in admirationem sui abducere, verum et sciolos et incautos atque zelum Dei, sed non secundum scientiam, habentes in sententiam suam solitus erat traducere. Et non solum doctorum suorum doctor videri appetit; sed et hoc solerter satis intendit, ut secum loquentes vel in sermone capere valeat: et si de veritate non poterit, invincibiliter sacramentis affirmare curabit, ea secum loquentes dixisse quæ forte non dixerant; ut ipse verax, et illi qui ei contradicunt probentur esse mendaces, et adversus suam doctrinam docentes."

Verum nec ad istas literas respondisse Nicolaum, neque

Digitized by Google

de Gotteschalci causa quicquam in alterutram partem definivisse invenimus. De antagonistarum tamen ipsius uno, Johanne Scoto, sinistrum ad se pervenisse rumorem, non dissimulat; quod in quibusdam bene non senserit. Transtulerat nimirum Johannes ex Græco in Latinum libros Dionysio Areopagitæ attributos: eosque Karolo Calvo, in cujus aula vivebat, dicavit; carmine quoque præfixo, cujus hoc initium.

Hanc libam, sacro Græcorum nectare fartam,
Advena Johannes spondo meo Karolo.
Maxime Francigenum, cui regia stemmata fulgent,
Munera votiferi sint tibi grata tui.

Nicolaus[i] ægre ferens, tam rarum opus ipsius arbitrio non fuisse subjectum, ad Karolum hac de re ita scripsit. " Relatum[k] est apostolatui nostro, quod opus B. Dionysii Areopagitæ, quod de divinis nominibus, vel cœlestibus ordinibus, Græco descripsit eloquio, quidam vir Johannes, genere Scotus, nuper in Latinum transtulerit. Quod juxta morem nobis mitti, et nostro debuit judicio approbari: præsertim cum idem Johannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur. Itaque quod hactenus omissum est, vestra industria suppleat, et nobis præfatum opus sine ulla cunctatione mittat: quatenus dum a nostri apostolatus judicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter nostra auctoritate acceptius habeatur."

Nempe ejusmodi subjectionem ab advena Johanne expectabat novus hic apostolus, quam a servis suis domesticis accipere assueverat, e quibus unus, Romanæ Ecclesiæ eo tempore bibliothecarius, Anastasius, libellum alium e Græco in Latinum similiter translaturus, a Capitolino suo Vice-Deo ducto principio, judiciariæ hujus potestatis plenitudinem inflatis buccis ita decantat. " Hunc[l] codicem confi-

[i] Non Marinus: ut suspicatus est Andr. Duvalius, sub initium notarum in Lugdunensis Ecclesiæ libellum contra Jo. Scotum.

[k] Ivo Carnot. Decret. part. 4. cap. 104. Roger. Hoveden. annal. part. 1.

[l] Anastas. Bibliothecar. præfat. in translationem Latinam Leontii, de Vita Johannis Eleemosynarii ad Nicolaum papam.

Digitized by Google

cere ausus non sum, antequam a Dominatione vestra, o millies beate, licentiam adipisci promerui. Neque enim fas est, ut absque vicario Dei, absque clavigero cœli, absque curru et auriga spiritualis Israel, absque universitatis pontifice, absque unico papa, absque singulari pastore, absque speciali patre, absque te omnium arbitro, aliquid consummetur aut divulgetur. Tu enim tenes claves David, tu accepisti claves scientiæ. In arca quippe pectoris tui tabulæ testamenti et manna cœlestis saporis requiescunt. Tu[m] enim quod ligas, nemo solvit; quod solvis, nemo ligat: qui aperis, et nemo claudit; claudis, et nemo aperit. Vicem namque in terris possides Dei."

Interim dum Romæ ista agerentur, in Gallia carcerali custodia adhuc conclusus tenebatur miser Gotteschalcus; tum Nicolai, tum successoris etiam ipsius temporibus. Sub Hadriano enim II. opusculum quinquaginta quinque capitulorum ad nepotem suum Hincmarum Laudunensem episcopum edidit Hincmarus[n] Remensis archiepiscopus: in quo, cum consuevisse Gotteschalcum dixisset, non solum Scripturas "detruncare, et ad suum sensum violenter inflectere;" sed etiam "ea, quæ in canonicis libris non habentur, auditoribus suis proferre": subjicit. "Et quoniam hæc egisse Gotteschalcus in conventu episcopali (Carisiaco nimirum) revictus fuit: idem concilium (sicut scriptum est: *Qui[o] imponit stulto silentium, iras mitigat*) silentium ei imposuit, mihique illum ad custodiendum commisit. Sicque complicium ejus (qui jam sicut vermes, in putredine scatentes, ebulliebant) iræ partim sunt mitigatæ, et congregatæ[p] sunt a Domino quasi in utrem aquæ maris, cum amaritudo perversarum mentium, nondum apud nos de his, quæ Gotteschalcus eos docuerat, erumpit exterius in vocem pravæ libertatis."

Hæc ille, in hujus opusculi capite quadragesimo tertio cui et literas ad nepotem Idibus Februariis Indictionis III. a se datas inseruit: ad quas responsum nuperrime ab illo

[m] Apoc. cap. 3. ver. 7. cum cap. 13. ver. 11.
[n] Anno DCCCLXX.
[o] Prov. cap. 26. ver. 10. [p] Psalm. 33. ver. 7.

Digitized by Google

conscriptnm accepisse se, ibidem significat. Unde intelligimus scripta hæc fuisse anno octingentesimo septuagesimo (quo apud[q] Attiniacum mense Maio illa habita est synodus in qua hunc quinquaginta quinque capitulorum libellum nepoti suo coram episcopis se tradidisse alibi[r] confirmat idem Hincmarus:) indidemque per unum et viginti saltem annos in carcere detentum fuisse Gotteschalcum. De qua immoderata severitate ita jamdudum conquestus fuerat Remigius, cum Lugdunensibus suis. "Illa[s] miserandi hominis tam longa et inhumana in ergastulum per tot annos damnatio, aliqua (ut credimus) compassionis benignitate et consolatione fuerat temperanda, vel etiam removenda: ut frater, pro quo Christus mortuus est, per charitatem et spiritum mansuetudinis potius lucraretur, quam abundantiori tristitia absorberetur. Quod illa (ut Dominus novit, in quantum ipse inspicere dignatur) suggerimus charitate, quam nobis beatus Johannes apostolus commendat, dicens: *In*[t] *hoc cognovimus charitatem Dei, quod ille pro nobis animam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere.*"

In custodias autem inclusus ille est apud Altivillarensis[u] cœnobii monachos: ad quos Hincmarum epistolam demum scripsisse refert Flodoardus, "pro[w] eodem Gotteschalco, ut si se recognosceret, antequam anima illius egrederetur de corpore, et spiritalem et corporalem humanitatem exhiberent illi: ostensa auctoritate ecclesiastica ex verbis orthodoxorum super hujusmodi excommunicatis." Sed post tantos per tot annos tam fortiter exantlatos labores, in extremo actu defecisse Gotteschalcum non est credibile. Præsertim cum illi (ut et Gunthario Coloniensi archiepiscopo, cujus extat[x] liberrima illa adversus Nicolai pontificis

[q] Eginaldus, vel quicunque author fuit appendicis ad Aimoinum adjectæ, lib. 5. cap. 24.

[r] Apud Flodoard. lib. 3. cap. 22.

[s] Eccles. Lugdun. de trib. epistolis, pag. 1065. F.

[t] 1 Joh. cap. 3. ver. 16.

[u] *Haultvillier*, in Remensi episcopatu.

[w] Flodoard. lib. 3. cap. 28.

[x] Annal. Francor. a Pithœo edit. ad ann. 803.

Digitized by Google

tumidum, ut ille loquitur, potentatum exarata epistola) irrevocabilem pertinaciam, in postremo illo quinquaginta quinque capitulorum opusculo objiciat Hincmarus idem; et ipse in sententia sua ita obfirmatus fuerit, ut aquæ et olei ferventis examini, quod pro illorum temporum consuetudine[y] judicium Dei, et habebatur et nominabatur, promptissime hic se obtulerit; quemadmodum in posteriore ipsius confessione postea videbimus.

De quo mirabili probationis genere nihil aliud hic pronuntiamus, quam quod in similis historiæ commemoratione Johannes Mariana protulit. "Visum[z] est controversiam ignis judicio permittere: sic ejus seculi mores erant rudes et agrestes, neque satis expensi ad Christianæ pietatis regulam." Ab ethnicorum enim instituto haustum hoc fuisse, cum ex aliis indiciis observarunt eruditi, tum ex Sophoclis illis versibus.[a]

Ἡμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
Καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν,
Τὸ μήτε δρᾶσαι, μήτε τῳ ξυνειδέναι
Τὸ πρᾶγμα βουλεύσαντι, μήτ' εἰργασμένῳ.

Eramus sutem parati ignitum ferrum manu capere,
Et ire per ignem, et Deos jurare;
Quod non fecissemus, nec sciremus quenquam
Fecisse nostro consilio.

Et licet legibus demum tam civilibus quam ecclesiasticis mos iste abrogatus fuerit: mediis tamen illis temporibus ita apud Christianos invaluit, ut pro indubitato veritatis testimonio passim acciperetur. Unde in capitulis Karoli Calvi apud Carisiacum anno octingentesimo septuagesimo tertio, (id est, illis ipsis temporibus, de quibus nunc agimus) promulgatis, ejusmodi dicta aliquoties occurrunt. "Dei[b] judicio examinentur: et per illud Dei judicium aut

[y] Vide amicissimi nostri D. Henrici Spelmanni, equitis aurati, eximium Glossarium; titul. de Judicio Dei, et Martini Delrii disquisit. magic. lib. cap. 4. quæst. 4. sec. 3.

[z] Marian. de reb. Hispaniæ, lib. 9. cap. 18.

[a] Antigone: ver. 263.

[b] Capitul. Karoli Calvi, tit. 39. cap. 3. et 7. pag. 393, 395.

Digitized by Google

liberentur aut condemnentur." Et in capitulis Karoli Magni, avi ejus, anno regni nono datis in Aquensi palatio, capite vicesimo adhuc expressius. "Ut[c] omnes judicio Dei credant absque ulla dubitatione."

Ita igitur ad Gotteschalci usque mortem perducta hac tragœdia, id solum jam restat; ut duplicem ipsius confessionem e tenebris, in quibus tam diu delituit, erutam, velut λόγον quendam ἐπιτάφιον, hic tandem adscribamus.

[c] Tom. 2. Concil. Galliæ, pag. 247.

Digitized by Google

GOTTESCHALCI CONFESSIONES

DUÆ:

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITÆ.

1631.

Digitized by Google

Digitized by Google

GOTTESCHALCI CONFESSIO

BREVIOR.

Credo et confiteor, Deum omnipotentem et incommutabilem præscisse et prædestinasse angelos sanctos et homines electos ad vitam gratis æternam; et ipsum Diabolum caput omnium dæmoniorum, cum omnibus angelis suis apostaticis, et cum ipsis quoque universis hominibus reprobis, membris videlicet suis, propter præscita certissime ipsorum propria futura mala merita prædestinasse pariter per justissimum judicium suum in mortem merito sempiternam: quia sic ait ipse Dominus in evangelio: "Princeps[a] hujus mundi jam judicatus est." Quod B. Augustinus exponens, ad populum sic palam locutus est: "Id[b] est, judicio ignis æterni irrevocabiliter destinatus est." Item de reprobis ipsa veritas: "Qui[c] autem non credit, jam judicatus est." "Nondum," inquit[d], "apparuit judicium; sed jam factum est judicium.

Item exponens illud Johannis Baptistæ, "Testimonium[e] ejus nemo accepit:" ita dicit. "Nemo[f], est quidam populus præparatus ad iram Dei, damnandus cum Dia-

[a] Joh. cap. 16. ver. 11.
[b] In Joh. tract. 95. op. tom. 3. p. 2. pag. 732.
[c] Joh. cap. 3. ver. 18.
[d] Augustinus. in Joh. tract. 12. op. tom. 3. p. 2. pag. 389.
[e] Joh. cap. 3. ver. 32.
[f] In Joh. tract. 14. op. tom. 3. pag. 404.

Digitized by Google

bolo." Item de Judæis: "Isti[g] indignantes mortui, et morti sempiternæ prædestinati." Item: "Quare[h] dicit Dominus Judæis; *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis?* nisi quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos." Item exponens illa verba Domini: "Oves[i] meæ vocem meam audiunt, et cognosco eas, et sequuntur me: et ego vitam æternam do eis; et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi majus omnibus est; et nemo potest rapere de manu patris mei." ita dixit. "Quid[k] potest lupus? Quid potest fur et latro? Non perdit nisi ad interitum prædestinatos."

Item, de duobus loquens mundis. "Totus[l] mundus Ecclesia est, et totus mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum." Item: "Est[m] mundus de quo dicit apostolus; *ne*[n] *cum hoc mundo damnemur.* Pro isto mundo Dominus non rogat. Neque enim quos scit prædestinatos, ignorat." Item: "Filius[o] perditionis dictus est Judas, traditor Christi, perditioni prædestinatus." Item, in Enchiridion: "Ad[p] eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pœnam." Item, in libro de perfectione justitiæ: "Hoc[p]," inquit, "bonum quod est requirere Deum, *non*[q] *erat qui faceret, non erat usque ad unum;* sed in eo genere hominum, quod prædestinatum est ad interitum. Super hoc enim respexit Dei præscientia, protulitque sententiam." Item, in libris de civitate Dei: "Quid dabit eis quos prædestinavit ad vitam; qui hæc dedit eis quos prædestinavit ad mortem?"

Item beatus Gregorius papa. "Leviathan[r] iste, cum

[g] In Joh. tract. 43. op. tom. 3. p. 2. pag. 587. [h] Ibid. tract. 48. pag. 615.
[i] Joh. cap. 10. ver. 27, 28, 29.
[k] In Joh. tract. 48. op. tom. 3. p. 2. pag. 615.
[l] Ibid. tract. 87. pag. 715. [m] Ibid. tract. 110. pag. 775.
[n] 1 Cor. cap. 11. ver. 32.
[o] In Joh. tract. 107. op. tom. 3. p. 2. pag. 770.
[p] Aug. op. tom. 6. pag. 240. [p] Cap. 13. op. tom. 10. pag. 181.
[q] Rom. cap. 3. ver. 11, 12.
[r] Greg. Mor. l. 34. c. 2. op. tom. 1. pag. 1117.

Digitized by Google

universis membris suis, æternis cruciatibus est deputatus." Item S. Fulgentius, in libro tertio de veritate prædestinationis et gratiæ. " Præparavit," inquit, " Deus peccatoribus pœnas; illis utique quos juste prædestinavit ad luenda supplicia." Qui beatus Fulgentius composuit de hac tantummodo quæstione unum librum, id est, de prædestinatione reproborum ad interitum, ad amicum suum nomine Monimum. Unde dicit et S. Isidorus: " Gemina[a] est prædestinatio, sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem."

Sic et ego per omnia, cum istis electis Dei et Catholicis, credo et confiteor; prout divinitus afflatus, animatus, armatus, adjuvor, Amen.

Falsus enim testis est, qui in dictis quorumcunque aut sensum aut superficiem corrumpit.

[a] Isidor. Hisp. senten. lib. 2. c. 6. op. pag. 437.

Digitized by Google

Digitized by Google

GOTTESCHALCI CONFESSIO

PROLIXIOR.

Dominator Domine, Deus meus, misericordia mea, Rex omnipotens et incomparabiliter clemens, inæstimabilii quoque circa humanum genus benignitate patiens, et investigabili penitus profunditate sapiens. Cujus profecto sic semper indigent omnes electi tui, quo videlicet tibi de te solo semper valeant placere; quemadmodum palmites indigent vite, quo fructum queant ferre, vel aer aut oculi luce, quo vel ille lucidus esse, vel illi possint videre: alioquin et palmites absque vite arescunt, et in igne missi consequenter ardent; et aer absque luce tenebrosus est, et oculi frustra patent. Te igitur supplex invoco, cunctipotentissime, clementissime et gloriosissime, trine et une Domine Deus; ut gratis esse digneris piissimus adjutor et exauditor meus: dignanterque largiaris indigentissimo mihi, per gratuitæ gratiæ tuæ invictissimam virtutem, ut quod ex te, per te, et in te de præscientia et prædestinatione tua jamdudum corde credo (tibi gratias) ad justitiam; sicuti jam crebro per gratiam tuam confessus sum, nunc quoque veraciter atque simpliciter ore confitear ad salutem. Quatenus tandem aliquando mea de parte patefiat electis tuis veritas invicta et sine fine benedicta; et facessat jam jamque, sicut oportet, falsitas devicta et prorsus jure maledicta, Amen.

Digitized by Google

CREDO siquidem atque confiteor, præscisse te ante sæcula quæcunque erant futura, sive bona sive mala; prædestinasse vero tantummodo bona. Bona autem a te prædestinata, bifariam sunt tuis a fidelibus indagata (immo, te revelante, illis evidenter constat esse intimata) id est, in gratiæ beneficia, et justitiæ simul judicia. Quoniam quidem, sicut certissimum Psalmista præbet judicium, utrumque tu Domine " diligis[a] et misericordiam" videlicet " et judicium." Prædestinasse itaque in omnibus electis tuis vitam gratis æternam, et eos nihilominus ad gloriam sempiternam: quia certe frustra illis prædestinasses vitam, nisi et illos prædestinasses ad ipsam. Sic etiam propemodum Diabolo et angelis ejus, et omnibus quoque reprobis hominibus, perennem merito prædestinasti pœnam, et eosdem similiter prædestinasti ad eam: quia nimirum sine causa et ipsius prædestinasses mortis perpetuæ pœnam, nisi et ipsos prædestinasses ad eam. Non enim irent nisi destinati; neque profecto destinarentur, nisi essent prædestinati. Quippe cum ipse et ante omnia sæcula semper esses, quod ne ad momentum quidem modo quolibet esse potes mutabilis; et per omnia postmodum sæcula probareris esse mutatus, si vel ullus (quod absit) reproborum illuc esset destinatus, qui non fuisset prædestinatus.

Proinde quia tu, Domine, solus " es[b] qui es," velut ipse testaris; et, ut David tibi quoque dicit, " Tu[c] semper idem ipse es;" et, ut alias etiam ipse dicis. " Tu[d] es Domine, et non mutaris;" et, sicut egregius quoque prædicator tuus perhibet Paulus, " Tu[e] solus habes immortalitatem," id est, incommutabilitatem; " apud quem," ut ab alio nihilominus asseritur apostolo, " non[f] est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio:" liquet prorsus evidenter, et cuivis sanum sapienti claret omnino satis patenter; præscisse ac prædestinasse te mox, absque ullo scilicet intervallo, utpote simul et semel, ante sæcula tam

[a] Psal. 33. ver. 5.
[b] Exod. cap. 3. ver. 14.
[c] Psal. 102. ver. 27.
[d] Malach. cap. 3. ver. 6.
[e] 1 Tim. cap. 6. ver. 16.
[f] Jacob. cap. 1. ver. 17.

Digitized by Google

cuncta quam singula opera tua. Quippe qui juxta quod dictum est ab Esaia, "fecisti[g] quæ sunt futura."

Unde etiam verissime, David prophetam sequendo et exponendo, fidelissimus famulus tuus Augustinus ita dicit. "Deus," inquit, "secundum illam voluntatem suam, quæ cum ejus præscientia sempiterna est, *profecto*[h] *in cœlo et in terra omnia quæcunque voluit*, non solum præterita vel præsentia, sed etiam futura jam fecit." Igitur cum sempiterna sit, Domine, cum præscientia voluntas tua, sicut hic ait Augustinus; et apud omnipotentiam tuam, de operibus duntaxat tuis, hoc sit præscire quod velle, secundum quod ad eundem Augustinum scribit Orosius; et ipsum quoque velle tuum fecisse sit, juxta quod dicit Ambrosius: manifestum est proculdubio, quicquid foras futurum est in opere, jam factum esse a te in prædestinatione, juxta quod audet et dicit, docet et scribit, papa Gregorius. Absit ergo ut inter præscientiam et prædestinationem operum tuorum ullum vel momenti quilibet Catholicorum tuorum suspicetur intervallum fuisse; dum omnia quæ voluisti te legit vel audit creditque simul fecisse: præsertim cum prius omnino nihil in effectu feceris, quam incomparabiliter futura præscieris, et ea sempiterno consilio prædestinando disposueris.

Sed jam tempus est, Domine, veridica divinorum subjici testimonia librorum, quibus docetur absque scrupulo, et declaratur absque ambiguo, prædestinatos esse reprobos ad æternorum incendia tormentorum. Ac primum tua, Domine JESU CHRISTE, veritas invicta, proferenda censeo merito dicta. "Qui[i] non credit," inquis, "jam judicatus est:" id est, ut Augustinus exposuit, jam damnatus est. "Nondum[k] enim," inquit, "apparuit judicium, sed jam factum est judicium." Item, "Princeps[l]" ais "mundi hujus jam judicatus est:" id est, ut idem exposuit "judicio[m] ignis æterni irrevocabiliter destinatus est." David etiam dicit: "Ideo[n] non resurgent impii in judicio."

[g] Esai. cap. 45. ver. 11. (juxta LXX.)
[h] Psal. 135. ver. 6.
[i] Joh. cap. 3. ver. 18.
[k] Aug. in Joh. tract. 13. op. tom. 3. p. 2. pag. 389.
[l] Joh. cap. 16. ver. 11.
[m] Aug. in Joh. tract. 95. op. tom. 3. p. 2. pag. 732.
[n] Psalm. 1. ver. 5.

Digitized by Google

Augustinus exponit: "quia[o] jam pœnis certissimis destinati sunt." Item. "Tu[p] percussisti omnes adversantes mihi sine causa." "Recte[q]," inquit, "in prædestinatione dicitur de Diabolo et angelis ejus." Atque ne dicatur Diabolum tantummodo cum angelis ejus ad mortem esse destinatum (quod omnino satis esse probatur absurdum; ut videlicet caput a corpore prædestinando sit segregatum:) dicit iterum David; "In[r] pulverem mortis deduxisti me," id est, impios mortis destinatos. Quod omnino super hominibus, de pulvere scilicet factis, et in pulverem quoque relictis nemo prudentium ambigit dici. Salomon quoque ait: "Universa[s] propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum." In libro quoque Ecclesiastico ita dicitur: "Qui[t] transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit illum ad rhomphæam." Quod profecto de reproborum populo intelligendum est esse dictum tantummodo.

Hinc etiam Job ait: "Interrogate[u] quemlibet de viatoribus, et hæc eadem illum intelligere cognoscatis: quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducitur." Quod explanator ipsius ita exponit Gregorius. "Sæpe," inquit, "diu divina patientia tolerat, quos jam ad supplicia præscita condemnat." Unde cum exponeret illud; "Ipse[x] habet consilium et fortitudinem:" ait inter cætera. "Potest quoque in consilii nomine ipsa occulta judicii mora signari: ut quod aliquando tardiu delinquentes percutit. Non quia iniquorum culpa non conspicitur, sed ut damnationis eorum sententia, quæ pro agenda pœnitentia differtur, quasi tarde et consilio prodire jubeatur. Quod ergo quandoque foris aperta sententia indicat, hoc apud omnipotentem Deum ante secula in consilio latebat." Item exponens; "Constituisti[y] terminos ejus qui præteriri non poterunt:" dicit. "Nulla, quæ in hoc mundo, hominibus absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt. Nam cuncta Deus secutura præsciens ante secula decrevit

[o] Aug. in Psal. 1. op. tom. 4. pag. 3.
[q] Aug. in Psal. 5. op. tom. 4. pag. 12.
[s] Prov. cap. 16. ver. 4.
[u] Job, cap. 21. ver. 29, 30.
[y] Job, cap. 14. ver. 5.
[p] Psalm. 3. ver. 7.
[r] Psalm. 22. ver. 15.
[t] Eccles. cap. 26. ver. 27.
[x] Ibid. cap. 12. ver. 13.

Digitized by Google

qualiter per secula disponantur." Idem exponens illud de impiis; " Erunt[a] sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla quam turbo dispergit:" ait. " Ante omnipotentis Dei oculos iniqui vita favilla est: quia etsi apparet ad momentum viridis, ab ejus tamen judicio jam consumpta cernitur; quia consumptioni est æternæ deputata."

De talibus quoque et eorum flagitiis, tu ipse, Domine, per Moysem dicis: " Nonne[a] hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis? Mea est ultio; et ego retribuam eis in tempore." Item: " Juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora." Item: " Levabo[b] ad cœlum manum meam, et dicam, Vivo ego in æternum. Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerint judicium manus meæ; reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes de cruore occisorum, et de captivitate nudati inimicorum capitis. Laudate gentes populum ejus: quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum."

Si quis hæc omnia, et alia interminabiliter plura per canonicarum latitudinem Scripturarum multipliciter sparsa, sic a te præsumit dicere prædicta, ut sint quidem præscita, sed nullo modo præfinita: fac illum, quæso, diligenter attendere, quam sit contrarius veritati, quamque noxiæ faveat falsitari; dum te tam temerarie subjicit mutabilitati, tamque variæ et inconstanti subdere non timet instabilitati. Ut tum videlicet, juxta quod sanctus ait Augustinus, nulla remaneret natura mutabilis, nisi tu, Domine Deus noster, permaneres immutabilis; parvi pendat, si ab æterno usque in diem judicii mutabilis esse (quod absit) ab Ecclesia tua puteris, imo credaris et prædiceris: et in ipso quoque die judicii, quasi non prædestinata faciendo, id est, reprobos ad tormenta mittendo muteris; et ita deinceps in sempiternum mutatus, id est, mortuus esse (quod absit) proberis. Quodammodo enim moritur qui mutatur: ut Augustini et Gregorii, cæterorumque doctorum auctoritas

[a] Job, cap. 11. ver. 18.
[b] Deut. cap. 32. ver. 40, 41, 42, 43.
[a] Deut. cap. 32. ver. 34, 35.

Digitized by Google

Augustinus exponit: "quia[o] jam pœnis certissimis destinati sunt." Item. "Tu[p] percussisti omnes adversantes mihi sine causa." "Recte[q]," inquit, "in prædestinatione dicitur de Diabolo et angelis ejus." Atque ne dicatur Diabolum tantummodo cum angelis ejus ad mortem esse destinatum (quod omnino satis esse probatur absurdum; ut videlicet caput a corpore prædestinando sit segregatum:) dicit iterum David; "In[r] pulverem mortis deduxisti me," id est, impios mortis destinatos. Quod omnino super hominibus, de pulvere scilicet factis, et in pulverem quoque relictis nemo prudentium ambigit dici. Salomon quoque ait: "Universa[s] propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum." In libro quoque Ecclesiastico ita dicitur: "Qui[t] transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit illum ad rhomphæam." Quod profecto de reproborum populo intelligendum est esse dictum tantummodo.

Hinc etiam Job ait: "Interrogate[u] quemlibet de viatoribus, et hæc eadem illum intelligere cognoscatis: quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducitur." Quod explanator ipsius ita exponit Gregorius. "Sæpe," inquit, "diu divina patientia tolerat, quos jam ad supplicia præscita condemnat." Unde cum exponeret illud; "Ipse[x] habet consilium et fortitudinem:" ait inter cætera. "Potest quoque in consilii nomine ipsa occ judicii mora signari: ut quod aliquando tardiu delinqu percutit. Non quia iniquorum culpa non conspici ut damnationis eorum sententia, quæ pro tentia differtur, quasi tarde et consilio Quod ergo quandoque foris aperta apud omnipotentem Deum ante secula Item exponens; "Constituisti[y] non poterunt:" dicit. "Nulla minibus absque omnipot Nam cuncta Deus

[o] Aug
[q] Aug
[r] Ps
[s] Jo
[t] I

Digitized by Google



Unde
inando
i: cum
ebunt,"

nes apos-
i sunt, et
unt mortui
opera ip-
is secundum
t in stagnum
tagnum ignis
os. " Et[m] qui
issus est in stag-
abolus qui sedu-
sulphuris." Item
c, quia hæc verba
i, Factum est." Ac
s a Joanne; sequeris
JESU Christe: " Ego[o]
Ego sitienti dabo de fonte
possidebit hæc: et ero illi
. Timidis autem, et incre-
cidis, et fornicatoribus, et ve-
omnibus mendacibus, pars illo-
nte igni et sulphure, quod est
ant igitur et caveant increduli simul
pars eorum sit cum supradictis com-
erspicuæ resistendo veritati fore de-

venio cito, et merces mea mecum est,
que secundum opera sua." * *[r] Nisi in præ-
quam disposuisti incommutabiliter, inretrac-
dinatione. Sequeris igitur et dicis: " Ego[s]

ver. 13, 14.
cap. 20. ver. 13, 14.
ver. 10.
cap. 21. ver. 6, 7, 8.
uid deest.

[k] Apocal. cap. 20. ver. 12.
[m] Ibid. ver. 15.
[o] Ibid. cap. 21. ver. 5, 6.
[q] Ibid. cap. 22. ver. 12.
[s] Apocal. cap. 22. ver. 13, 14, 15.

Digitized by Google

attestatur. Sed absit, ut tu Domine, qui nullatenus mutari potuisti, potes, vel poteris aliquando, ut vel ad momentum sis absque ullo initio mutabilis, usque in diem judicii; et inde quoque mutatus appareas in æternum, propter solummodo damnationem reproborum, debitumque sibi tormentum.

Vere, Domine, satius incomparabiliter fuisset, si nullus nisi te mutabili, nedum mutato, creatus esset, (ne dico salvatus) electorum: quanto magis absit, ut immuteris propter vasa iræ et furoris, super quæ vultus tuus est ob mala quæ faciunt, "ut[c] perdas de terra memoriam eorum"? De quibus etiam longe lateque die noctuque tibi veraciter psallitur a fidelibus. "Tu[d] vero, Deus, deduces eos in puteum interitus." De quibus ait et apostolus Petrus: "Quibus[e] judicium jam in olim non cessat, et perditio eorum non dormitat." Et Paulus: "Volens[f] Deus ostendere iram, et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ apta vel aptata in interitum" secundum Hieronymum; vel "præparata in interitum," secundum Ambrosium; vel "perfecta in perditionem," secundum Augustinum, id est, sine dubio prædestinata; sicut ab ipso Augustino esse constat expositum. Item prædicator idem. "Ut[g] compleant peccata sua semper, pervenit enim ira Dei super eos usque in finem."

Item Judas Jacobi: "Subintroierunt[h]," ait, "quidam qui olim præscripti sunt in hoc judicium impii." Ubi dum eos non in hoc judicio, sed in hoc judicium, id est, in hanc damnationem præscriptos asseruit; non modo præscitos, verum etiam prædestinatos pariter intelligi voluit. Quippe cum tu, Deus æternus, eos prius habeas prædestinatos, quam ullus temporaliter natus eos cognoverit esse præscitos. Quia quos præscisti per ipsorum propriam miseriam in damnabilibus perseveraturos esse peccatis, illos profecto tanquam justissimus judex prædestinasti ad interitum juste ac merito satis: et non modo prædestinasti,

[c] Psalm. 34. ver. 16.
[d] Psalm. 55. ver. 23.
[e] 2 Pet. cap. 2. ver. 3.
[f] Rom. cap. 9. ver. 22.
[g] 1 Thess. cap. 2. ver. 16.
[h] Jud. ver. 4.

Digitized by Google

verum etiam prædestinando jam utique destinasti. Unde dicit et David, quasi de jam in infernum prædestinando positis, licet adhuc essent illuc te jubente ponendi: cum enim prædixisset; " Et[i] postea in ore suo complacebunt," subjecit: " Sicut oves in inferno positi sunt."

Cui per omnia manifestissime consonat et Joannes apostolus, in Apocalypsi dicens. " Et[k] libri aperti sunt, et alius liber apertus est qui est vitæ: et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum." Item: " Et[l] judicatum est de singulis secundum opera ipsorum; et mors et infernus missi sunt in stagnum ignis." Quod autem mortem et infernum in stagnum ignis asserit esse missos, Diabolum dicit et suos. " Et[m] qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis." Item paulo ante: " Et[n] Diabolus qui seducebat eos missus est in stagnum ignis et sulphuris." Item paulo post: " Et[o] dixit mihi, Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt et vera; et dixit mihi, Factum est." Ac ne quis forte dubitaret hæc audiens a Joanne; sequeris ipse continuo, et dicis, Domine JESU Christe: " Ego[p] sum A et Ω, initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vicerit possidebit hæc: et ero illi Deus, et ipse erit mihi filius. Timidis autem, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardente igni et sulphure, quod est mors secunda." Timeant igitur et caveant increduli simul atque mendaces, ne pars eorum sit cum supradictis complicibus; si tam perspicuæ resistendo veritati fore delegerint pertinaces.

Item: " Ecce[q] venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua." * *[r] Nisi in prædestinatione, quam disposuisti incommutabiliter, inretractabili præordinatione. Sequeris igitur et dicis: " Ego[s]

[i] Psal. 49. ver. 13, 14.
[k] Apocal. cap. 20. ver. 12.
[l] Apocal. cap. 20. ver. 13, 14.
[m] Ibid. ver. 15.
[n] Ibid. ver. 10.
[o] Ibid. cap. 21. ver. 5, 6.
[p] Ibid. cap. 21. ver. 6, 7, 8.
[q] Ibid. cap. 22. ver. 12.
[r] Aliquid deest.
[s] Apocal. cap. 22. ver. 13, 14, 15.

Digitized by Google

sum A et Ω, primus et novissimus, principium et finis. Beati qui levant stolas suas; ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat, et facit mendacium." Audiant hæc generaliter universi quidem mendaces, sed illi tamen potissimum, qui in doctrina religionis non modo non verentur aut verecundantur; verum etiam nullatenus cunctantur esse fallaces. Quia profecto, isto genere mendacii nullum gravius unquam valet inveniri; imo nullum reperitur tam grave: licet nonnullis esse videatur leve, sive putetur etiam suave. Sed audiant sequentia; si flocci pendunt præcedentia.

" Ego[t] JESUS misi angelum meum, testificari hæc vobis in Ecclesiis." Et paulo post: " Contestor[u] ego omni audienti verba prophetiæ hujus. Si quis apposuerit ad hæc; apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, et de civitate sancta, et de his quæ scripta sunt in libro isto. Dicit qui testimonium perhibet istorum: etiam venio cito." Ecce, Domine JESU, in hoc sancto libro tuo Diabolum et angelos ejus, et omnes etiam homines reprobos, in stagnum ignis et sulphuris (ut supradictum est) te destinante jam esse missos invenio. Negare te, id est, veritatem non audeo; quia negari a te timeo: quemadmodum videlicet ipse testaris. " Qui[x] me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui est in cœlis." Unde et Paulus: " Si[y] nos," inquit, " eum negaverimus; et ille negabit nos." Negare igitur, sicut prædixi, te non audeo; quia negari a te timeo. Apponere vero vel diminuere nihil præsumo: quoniam vel plagas in hoc ipso libro scriptas mihi apponi, vel auferri partem meam de libro vitæ metuo.

Igitur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti supplico, Domine, prout amplius possum tibi, quo, quemadmodum indigeo, suffragari digneris mihi: neque permittas ab ullo diutius electorum tuorum (quod absit) hinc ambigi; sed saluberrimam potius veritatem hinc innotes-

[t] Apocal. cap. 22. ver. 16.
[u] Ibid. cap. 22. ver. 18, 19, 20.
[x] Matt. cap. 10. ver. 33.
[y] 2 Tim. cap. 2. ver. 12.

Digitized by Google

cere non moreris, ut esse vides pernecessarium sibi. Quia revera, secundum beati quoque Augustini veracissimam testificationem, quam palam protulit ad populum, evangelicam luculenter ac fideliter explanando perplexitatem: "Qui[a] mendacium," inquit, "ædificant in hominibus, quid ab eis expellunt nisi veritatem? Immittunt Diabolum, excludunt Christum; immittunt adulterum, excludunt sponsum; paranymphi scilicet, vel potius lenones serpentis. Ad hoc enim loquuntur, ut serpens possideat Christus excludatur. Quando possidet falsitas, serpens possidet: quando possidet veritas, Christus possidet." Ipse enim dixit: "Ego[b] sum veritas." De illo autem: "Et[b] in veritate non stetit, quia veritas in eo non est."

Quapropter et illud quod idem beatus minister tuus veraciter perhibere studuit Augustinus, præscientia scilicet reprobos esse damnatos, cum alibi atque alibi ad mortem fateatur esse prædestinatione condemnatos: utrumque prorsus verum est, quia hic hoc utrumque verum est. Nam, sicut idem sagaciter atque veraciter fatetur, interdum præscientia pro prædestinatione ponitur. Neque revera repugnat (quod absit) sed veritati potius congruere videtur, quale illud videlicet est, quod apostolus dicit: "Non[c] repulit Deus plebem suam quam præscivit." Cum tamen hoc alias, utrumque quidem jungens, sed ab invicem rationabili differentia distinguens, mirabiliter definierit; dicens: "Prædestinatione[d] Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus. Unde dictum est: "*Fecit*[e] *quæ futura sunt*." Item quid sit prædestinatio planius ac plenius cum præscientia connectens, ita de Trinitate dicens. "In[f] sua quæ falli mutarique potest non præscientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quicquam est prædestinare." Item brevius, sed in superiorem sensum multo apertius. Cui enim prædixisset apostolum dixisse, "Non[g] repulit Deus plebem suam, quam præscivit;" et exposuisset eum nomine præscientiæ prædestinationem hoc in

[a] Aug. in Joh. tract. 8. op. tom. 3. p. 2. pag. 355.
[b] Joh. cap. 14. ver. 16. [b] Ibid. cap. 8. ver. 44.
[c] Rom. cap. 11. ver. 2. [d] Aug. de præd. sanct. qp. tom. 10. pag. 803.
[e] Esai. cap. 45. ver. 11. [f] Aug. de dono persev. op. tom. 10. pag. 844.
[g] Rom. cap. 11. ver. 2.

Digitized by Google

loco significare voluisse, paulo post ait: "Sed[h] prædestinasse, est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus."

Ergo utrumque, ut jam dixi, verum est; id est, tam præscientia quam prædestinatione reprobos esse damnatos, quos omnino constat ad interitum jure prædestinatos. Quod satis superque testimonia probant prædicta: quæ certe Catholici nullatenus esse dubitant invicta. Licet si hujus rei testimonium penitus debuisset esse, metalepticos id intelligi regulariter potuisset et omnino debuisset; ut videlicet id quod sequitur per id quod præcedit intelligeretur. Attamen si adhuc hinc audire plura desiderant, ob amorem videlicet veritatis, quam nimis oppugnari considerant, aures audiendi precor accommodent, et tuendæ jam jamque veritati totis viribus operam dent. Audiant (inquam) hinc adhuc loquentem mirabiliter Augustinum, per sibi gratis infusum satis ubertim charisma divinum. "Hoc[i]," inquit, "bonum, quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat usque ad unum: sed in eo genere hominum, quod prædestinatum est ad interitum." Item de duabus loquens civitatibus: "Quarum[k] est," inquit, "una quæ prædestinata est in æternum regnare cum Domino: altera æternum supplicium subire cum Diabolo." Item: "Si[l] de aliquibus ita certa esset Ecclesia, ut qui sint illi etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum Diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso." Item: "Quid[m] dabit his quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis quos prædestinavit ad mortem?"

Item in Enchiridion, quod senex de fide, spe et charitate, sensu subtilissimo, ingenio exercitatissimo, eloquio quoque purissimo, styloque luculentissimo, mirabiliter sibi ac singulariter, Deo favente, conscripsit et edidit. "Ad[n] eorum," inquit, "damnationem quos juste prædestinavit ad pœnam." Item in eodem: "Dicuntur[o] etiam filii gehennæ, non ex illa nati, sed in illam præparati; sicut filii

[h] Aug. de dono persev. op. tom. 10. pag. 848.
[i] Aug. de perfect. just. op. tom. 10. pag. 181.
[k] Aug. de civ. Dei. lib. 15. cap. 1. op. tom. 7. pag. 379.
[l] Ibid. lib. 21. cap. 24. pag. 642.
[m] Ibid. lib. 22. cap. 26. pag. 692.
[n] Aug. op. tom. 6. pag. 234.
[o] Ibid. pag. 212.

Digitized by Google

regni præparantur in regnum." Quid quæritur evidentius? quid sufficientius? Sicut, inquit, filii regni præparantur in regnum: sic etiam filii gehennæ in illam sunt præparati: quod omnino nihil est aliud quam prædestinati. Nempe hæc omnia et alia insuper plura si tantus auctor iste verissima et Catholicæ fidei per omnia congruentissima non esse perspexisset, nullatenus incorrecta relinqueret; sed ea potius, quando libros suos diligentissime retractando recensuit, corrigere studuisset. Ne inde prorsus tam frequenter ad populum impavide simul et intrepide, licenter, libenter, ac libere, fidenter ac fiducialiter ac gaudenter, servili postposito timore, luminosoque tui perfusus amore, tua auctoritate locutus fuisset, si quid itidem periculi inesse cognovisset. Unde quidem nonnulla jam superius posui, et pauca hic etiam subjicienda censui.

" Est[p] quidam populus præparatus ad iram Dei, damnandus cum Diabolo." Item: " Est[q] quidam populus natus ad iram Dei." Item: " Quare[r] dixit Dominus Judæis, *Vos non creditis quia non estis ex ovibus meis*, nisi quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos?" Item: " Quid[s] potest lupus? quid potest fur et latro? non perdunt nisi ad interitum prædestinatos." Item: " Isti[t] indignantes mortui, et morti sempiternæ prædestinati." Item: " Mundus[u]," inquit, " odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum." Item: " Filius[w] perditionis dictus est Judas traditor Christi, damnationi prædestinatus." Item: "Pro[x] isto mundo non rogat: neque enim quos scit prædestinatos ignorat."

Beatus quoque Fulgentius inde taliter dicit: " Præparavit etiam Deus peccatoribus pœnas: illis utique quos juste prædestinavit ad luenda supplicia." Ubi prorsus utrumque satis aperte fatetur; et reprobis videlicet prædestinatas esse pœnas, et illos vicissim prædestinatos ad eas. Unde nimirum Catholicissime, necnon

[p] Augustin. in Joh. tract. 14. op. tom. 3. p. 2. pag. 404.
[q] Ibid. tract. 14. pag. 404.
[r] Ibid. tract. 48. pag. 615.
[s] Ibid. tract. 48. pag. 615.
[t] Ibid. tract. 43. pag. 587.
[u] Ibid. tract. 87. pag. 715.
[w] Ibid. tract. 107. pag. 770.
[x] Ibid. tract. 110. pag. 775.

Digitized by Google

et copiosissime disputavit in septem libris contra duos libros Fausti hæretici, Lirinensis quondam monachi, Regensis vero postmodum episcopi. Quem convicit idem doctor mirabiliter, contrivitque commenta Diaboli; et cum aliis quatuordecim sanctis coepiscopis suis, ab Ecclesia Christi repulit et eliminavit lethiferum virus Antichristi. Nec non et tribus aliis de veritate prædestinationis et gratiæ. Sed et in uno illo, quem totum super hac tantummodo quæstione ad Monimum hinc consulentem cognoscitur edidisse.

Gloriosus quoque Gregorius cujus inde aliquanta jam inserui superius, taliter inter cætera inde est locutus. "Tenebrosa[y] ostia tunc Dominus vidit, cum claustra inferni penetrans crudeles spiritus perculit, et mortis præpositos moriendo damnavit. Quod idcirco," inquit, "non adhuc de futuro, sed jam de præterito dicitur: quia quicquid futurum erat in opere, nimirum jam factum est in prædestinatione." Item: "Leviathan[z] iste, cum universis membris suis, æternis cruciatibus est deputatus." Item ipsum quoque diem judicii dicit esse prædestinatum, exponens illud ex libro Job; "Lampas[a] contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum." "Statutum[b], inquit, contemptæ lampadis tempus, est extremi judicii prædestinatus dies." Sanctus etiam Isidorus inde sic dicit: "Gemina[c] est prædestinatio; sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem." Non enim ait, duæ sunt, quia non sunt: sed gemina, id est, bipartita. Quia semel tu, Domine, locutus es, qualiter una quidem, sed tamen gemina prædestinatione, et electos gratis justifices ac perpetim salves; et reprobos quoque merito refutes, justeque condemnes: et sicut supradictus ait Gregorius, "alios respiciens redimas, alios deserens perdas."

Tale est autem quod dicitur prædestinatio gemina, in electos videlicet et reprobos bipartita, cum sit una, licet sit dupla: quale est quod frequenter a beato Augustino, et a cæteris patribus dicitur caritas vel dilectio gemina: cum

[y] Greg. mor. lib. 29. op. tom. 1. pag. 928.
[z] Ibid. lib. 34. pag. 1117. [a] Job. cap. 12. ver. 5.
[b] Greg. mor. lib. 11. op. tom. 1. pag. 363.
[c] Isidor. Hispal. senten. lib. 2. cap. 6. op. pag. 437.

Digitized by Google

utique non sint duæ sed una, licet propter Deum et proximum sit etiam dupla. Quale est et illud patris Augustini, quod dicit bipartitum esse opus Dei; geminum videlicet volens intelligi: et quod quadripartitus ab ipso quoque dicitur mundus; non quatuor tamen, sed unus: et quod quinquepartitam fatetur esse continentiam; non quinque tamen esse docet, sed unam. Hinc et a Sancto Gregorio gemina Judæorum scientia dicitur: et tamen licet dupla sit, una esse cognoscitur. Quod et ipsum genus locutionis usitatissimum est et apud auctores quoque sæcularis literaturæ. Quod quia rectissimum est ac verissimum; non ab re est, si et inde hic ponantur aliqua, quæ valeant ad cumulum tuendæ sententiæ supradictæ. Nam et eorum quidam geminam dixit arborem; non duas volens intelligi, sed unam: et alius qualitatem nominis bipartitam, et universorum pedum trinam conditionem. Et tertius æque peritus, Priscianus, quam ille dixerat trinam, exposuit tripartitam.

Nec sane cuiquam pie sapientium videri debet absurdum, si gemina prædestinatio creditur et cognoscitur, et incunctanter esse dicitur apud te Dominum nostrum, naturaliter quidem unum, sed simul etiam personaliter trinum. Qui certe secundum hanc geminam prædestinationem tuam, quemadmodum Augustinus tuus fideliter credit et fidenter asserit, "bonus es in beneficio certorum, justus in supplicio certorum:" et insuper, ut profitetur consequenter, "bonus es in omnibus, quoniam bonum est cum debitum redditur; et justus in omnibus, quoniam justum est cum debitum sine cujusquam fraude donatur." Hæc omnia sicut hic, tibi gratias, et credo, et confiteor, gratias tibi, prout gratis largitus es mihi. Et quia in tuis, in libris tuorum scilicet ministrorum, labore, immo gratia tua veraciter expositis, hæc a te dicta reperio: tam perspicuæ prorsus veritati contradicere (quod absit) non audeo. Quoniam prorsus a te veritate negari, sicut minata es, metuens; et illam quoque repetitam Pauli sententiam vehementissime timeo: "Si[d] quis vobis adnuntiaverit præterquam quod accepistis, anathema sit."

[d] Gal. cap. 1. ver. 8, 9.

Digitized by Google

Tantum siquidem amoris tibi, Domine JESU, veritas invicta, perpetualiter debeo; ut, quemadmodum ab Augustino perhibetur veraciter tuo, neque hominibus placendi studio, neque respectu devitandorum quorumlibet incommodorum, detorquear (quod absit) a vero. Et ut beatus etiam docet Gregorius: "In[e] quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandala debemus; si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur." Nec sane cujuscunque persona contra recipienda modo quolibet excipitur; quando vel angelus, vel apostolus adnuntians, ipsius ore apostoli, anathemate digno percellitur. Ut enim prædictus Gregorius veraciter fatetur: "dum salva fide res agitur, virtutis est meritum, si quicquid prioris est toleratur." Alioquin, si fieri posset, millies potius pro veritate deberem prorsus et optarem occumbere; quam semel (quod absit) culibet secus loquenti cedendo succumbere. Illius videlicet tuæ memor sententiæ: "Qui[f] me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui est in cœlis."

Simulque illius quoque memini: "Ne[g] transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui." Quod nimirum, ut Gregorius exponit, hæretici faciunt, qui a sanctæ Ecclesiæ gremio extranei existunt. "Ipsi[h]," inquit, "terminos transferunt, quia constitutiones patrum prævaricando transcendunt." Qui etiam greges diripiunt et pascunt: quia imperitos quosque perversis ad se suasionibus trahunt, et donis pestiferis ad interficiendum nutriunt. Quos beatus quoque Job increpat dicens: "Numquid[i] Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?" "Deus[k] mendacio non eget; quia veritas fulciri non quærit auxilio falsitatis. Hæretici autem, quia ea quæ prave de Deo intelligunt ex veritate tueri non possunt, quasi ad approbandum radium luminis umbras falsitatis requirunt: et pro eo dolos loquuntur, dum infirmas mentes

[e] Greg. in Esech. lib. 1. hom. 7. op. tom. 1. pag. 1225.
[f] Matt. cap. 10. ver. 32.
[g] Prov. cap. 22. ver. 28.
[h] Greg. mor. lib. 16. op. tom. 1. pag. 522.
[i] Job, cap. 13. ver. 7.
[k] Greg. mor. lib. 11. op. tom. 1. pag. 379.

Digitized by Google

ab intellectu illius stulta seductione decipiunt." Item: "Aut[l] placebit ei, quem celare nihil potest? aut decipietur, ut homo, vestris fraudulentiis?" "Fraudem[m] Deo hæretici exhibent, quia ea adstruunt, quæ nequaquam ipsi pro quo loquuntur placent: eumque dum quasi defendere nituntur, offendunt; dum in adversitatem ejus corruunt, cui videntur ex prædicatione famulari. Unde et per Psalmistam dicitur: *Ut[n] destruas inimicum et defensorem.* Omnis quippe hæreticus omnipotenti Deo inimicus et defensor est; quia unde hunc quasi defendere nititur, inde veritati illius adversatur. Quia autem latere Deum nihil potest; hoc in eis judicat quod intus sentiunt, non quod famulari foris videntur. Quia igitur eorum fraudulentiis Deus ut homo non fallitur, recte subjungitur: *Ipse[o] vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis. Statim ut se commoverit, turbabit vos; et terror ejus irruet super vos.* Hoc quod in abscondito accipi asserit faciem Dei; duobus modis valet intelligi. Sunt namque nonnulli, qui et veritatem in corde sentiunt, et tamen quæ falsa sunt de Deo foras loquuntur. Ne enim vinci videantur, et cognoscunt veritatem interius, et tamen hanc exterius impugnant. Unde bene nunc dicitur: *Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis.* Ac si aperte diceretur: Tanto magis de falsitate apud eum estis reprehensi, quanto et apud vosmetipsos quod verum est videtis."

Quid autem sit hæreticus, ne cuilibet aliud pro alio fingere licitum sit, quidam patrum, ut Cassiodorus dicit, pulcherrime definivit. "Hæreticus," inquit, "is est, qui divinæ legis vel ignorantia vel contemptu raptatus aut novi pertinax invenitur erroris, aut alicui sectator, Catholicæ veritati magis vult adversari quam subjici." Hoc autem ideo subinferendum censui, quia plurimos hinc et falli et fallere comperi; volentes videlicet vel (mitius dixerim) suspicantes illos esse hæreticos, qui hanc Catholicæ fidei de prædestinatione reproborum necessario contra resistentes et obloquentes credunt et confitentur, dante te,

[l] Job, cap. 13. ver. 9.
[n] Psal. 8. ver. 2.
[m] Greg. mor. lib. 11. op. tom. 1. pag. 380.
[o] Job, cap. 13. ver. 10, 11.

Digitized by Google

veritatem: et illos e contrario asseverantes Catholicos, qui tam perspicuæ veritati inimicam non verentur susurrare, immo palam prædicare, falsitatem. Floccipendentes illud beati Basilii: " Qui divinis saginantur eloquiis, corrumpere de divinis dogmatibus neque unam syllabam patiuntur; sed pro his, si contigerit, etiam omnes mortis species amplectuntur." Et illud quoque contemnentes Gregorii Nazianzeni: " Fortitudinis est perseverare in veritate; licet quispiam debelletur ad ea quæ nihil sunt." Nihil autem sunt falsitas et mendacium: quæ profecto super omnia corporalium genera mortium vitant, et cavent, et horrent, ut debent, corda semper veracium; maxime tamen in doctrina religionis evitant omnimodo præcipitium falsidicæ locutionis.

Hæc est, gratias tibi Domine, alma Trinitas, inviolabilis fides et confessio mea, de præscientia scilicet ac prædestinatione tua: quam prædicavit ipsa veritas, et supradicti quoque ipsius discipuli, contra falsiloquos fautores, et, nisi corrigantur, filios falsitatis et perditionis, et contra pestifera venena et hæretica dogmata sua. Qui si gratia tua respersi diligenter attendant, appendant atque perpendant; qualiter ab exordio prolapsionis angelicæ, quemadmodum videlicet Petrus dicit apostolus, eisdem " Angelis[p] peccantibus non peperceris;" sed eos rudentibus vel carceribus inferni, pœnisque aeris hujus traditos, ad majores in diem judicii cruciatus reservaveris: et qualiter etiam originalem mundum propter nequam hominum scelera perdideris. Nec non quomodo et nefanda facinora simul et flagitia Sodomorum punieris, eosdem igne cœlesti conflagrantes deleveris, atque perennes in pœnas demerseris: quodque Pharaonem et exercitum ejus in mare projeceris, ut eos ibidem tanquam paleas excussos funditus aboleveris.

Si hæc, inquam, animositate deposita solerter inspiciant, et te opitulante sapienter advertant, perfacile prorsus intelligent, quod supradictos angelos, qui, ut scribit Judas Jacobi, " non[q] servaverunt suum principatum, sed reli-

[p] 2 Pet. cap. 2. ver. 4. [q] Jud. ver. 6.

Digitized by Google

querunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservasti," nullatenus omnino sine sempiterno prædestinationis tuæ consilio; et in hunc caliginosi aeris carcerem præcipitaveris, et ad majores etiam pœnas merito per sæcula cruciandos, ut prædicti ambo testantur apostoli, reservaveris: et quod illa quoque quæ consequenter de reprobis narrata sunt hominibus, non sine prædestinatione (quod absit) patraveris. Alioquin et ante omnia sæcula mutabilis, et in exordio quoque sæculorum, juxta fallacissimum horum dogma, mox mutatus (quod ne ad momentum quidem esse potest) invenireris; qui solus incommutabilis ab universis prorsus Catholicis esse crederis, et luce clarius, te revelante, sciris.

Fac etiam quæso, Domine Deus, ut etiam atque etiam non jam procaces, pertinaces atque pervicaces, neque pugnaces, fallaces atque mandaces, quia certe hujusmodi homines ad intuendam, cui repugnant, veritatem non possunt esse perspicaces; quantumlibet etiam naturaliter esse valuerint sagaces, sed potius effecti simplices veritatis amatores, tota spiritali (non luminum) acie considerent; quod si animas reproborum, quæ (ab eorum primo videlicet Cain ad usque novissimum, ante diem duntaxat judicii morituram) de propriis corporibus extractæ sunt, sine cœterna tibi prædestinatione tua destinasti postmodum, et quotidie destinas ac destinabis (quoties videlicet cumque mortui sunt, moriuntur sive morientur) in tormenta sibi debita meritoque prorsus disposita: non solum mutabilis es ante sæcula, sed etiam, quod esse nullo modo potes, jam inde ab initio mortis eorumdem reproborum, immo ab exordio malignorum damnationis angelorum, mutatus es creberrimis vicibus, immo innumeris vicissitudinibus; et per singulos dies noctesque mutaris atque mutaberis, et mutatus absque dubio permanebis in sæcula, propter solos videlicet filios gehennæ; quos inimici veritatis prædestinatos esse pertinaciter atque fallaciter negant ad supplicium perenne.

Hæc, inquam, Domine, fac precor, ut, sicut oportet, attendant, appendant, atque perpendant, et tandem aliquando videant, quod se hactenus non vidisse dissimulant;

Digitized by Google

By all this we may see, how far king Henry the second proceeded in this business: which I do not so much note, to convince the stolidity of O Sullevan, who would fain persuade fools that he was preferred only to be collector of the pope's Peter-pence; as to shew, that Ireland at that time was esteemed a kingdom, and the kings of England accounted no less than kings thereof. And therefore Paul[l] the fourth needed not make all that noise, and trouble[m] the whole court of heaven with the matter, when in the year MDLV. he took upon him by his apostolical authority (such I am sure, as none of the apostles of Christ did ever assume unto themselves) to erect Ireland unto the title and dignity of a kingdom. Whereas he might have found, even in his own Roman[n] provincial, that Ireland was reckoned among the kingdoms of Christendom before he was born. Insomuch, that in the year MCCCCXVII. when the legates of the king of England and the French king's ambassadors fell at variance in the council of Constance for precedency; the English orators, among

[k] Quibus ipse commisit legatiam in Hiberniam, ad coronandum ibi Johannem filium regis. Sed dominus rex coronationem illam distulit. Id. ad ann. 1187.

[l] Paulus IV. nostris temporibus Hiberniam insulam in regni titulum ac dignitatem erexit. Gabutius in vita Pii V.

[m] Ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac gloriosissimæ ejus genitricis Virginis Mariæ, totiusque curiæ cœlestis honorem, et fidei catholicæ exaltationem, Philippo rege et Maria regina nobis super hoc humiliter supplicantibus, de fratrum nostrorum consilio et apostolicæ potestatis plenitudine, apostolica authoritate insulam Hiberniæ in regnum perpetuo erigimus; ac titulo, dignitate, honore, facultatibus, juribus, insigniis, prærogativis, antelationibus, præeminentiis regiis, ac quibus alia Christi fidelium regna utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodo libet, in futurum insignimus et decoramus. Bulla Pauli IV. in Rotulo patentium, ann. 2. et 3. Philippi et Mariæ, in Cancellaria Hiberniæ.

[n] Provinciale ex archivis Cancellariæ apostolicæ edit. tomo 2. Tractat. Doctor. fol. 344. (impress. Venet. ann. 1548.)

Digitized by Google

other arguments, alleged this also for themselves: "It[o] is well known, that according to Albertus Magnus and Bartholomæus, in his book De proprietatibus rerum, the whole world being divided into three parts (to wit, Asia, Africa and Europe) Europe is divided into four kingdoms, namely, the Roman for the first, the Constantinopolitan for the second, the third the kingdom of Ireland, which is now translated unto the English, and the fourth the kingdom of Spain. Whereby it appeareth, that the king of England and his kingdom are of the more eminent ancient kings and kingdoms of all Europe, which prerogative the kingdom of France is not said to obtain." And this have I here inserted the more willingly, because it maketh something for the honour of my country, to which, I confess, I am very much devoted, and in the printed acts of the council it is not commonly to be had.

But now cometh forth O Sullevan again, and like a little fury flieth upon the[p] English-Irish priests of his own religion, which in the late rebellion of the Earl of Tyrone did "not deny that hellish doctrine, fetched out of hell for the destruction of Catholics, that it is lawful for Catholics to bear arms and fight for heretics against Catholics and their country;" or rather, if you will have it in plainer terms, that it is lawful for them of the Romish religion, to bear arms and fight for their sovereign and fellow-subjects that are of another profession, against those of their own religion that traitorously rebel against their

[o] Satis constat, secundum Albertum Magnum et Bartholomæum de proprietatibus rerum, quod toto mundo in tres partes diviso (videlicet Asiam, Africam, et Europam) Europa in quatuor dividitur regna: primum videlicet Romanum, secundum Constantinopolitanum, tertium regnum Hiberniæ quod jam translatum est in Anglicos, et quartum regnum Hispaniæ. Ex quo patet, quod rex Angliæ et regnum suum sunt de eminentioribus antiquioribus regibus et regnis totius Europæ: quam prærogativam regnum Franciæ non fertur obtinere. Act. Concil. Constant. Sess. 28. MS. in bibliotheca regia.

[p] Cujus mali maxima culpa in aliquot Anglo Ibernos sacerdotes jure transferenda est; qui tartareum dogma ab Orco in catholicorum perniciem emissum non negabant, licere catholicis contra catholicos et suam patriam pro hæreticis gerere arma et dimicare. Philip O Sullevan. hist. Catholic. Iberniæ, tom. 4. lib. 3. cap. 5. fol. 263. edit. Ulissipon. ann. 1621.

Digitized by Google

prince and country; and to shew "how[q] mad and how venomous a doctrine they did bring (these be the caitiff's own terms) that exhorted the laity to follow the queen's side;" he setteth down the censure of the doctors of the university of Salamanca and Valladolid, published in the year MDCIII. for the justification of that rebellion, and the declaration of pope Clement the eighth's letters touching the same, wherein he signifieth that "the[r] English ought to be set upon no less than the Turks, and imparteth the same favours unto such as set upon them, that he doth unto such as fight against the Turks." Such wholesome directions doth the bishop of Rome give unto those that will be ruled by him: far different (I wiss) from that holy doctrine, wherewith the Church of Rome was at first seasoned by the apostles: "Let[s] every soul be subject unto the higher powers; for there is no power but of God," was the lesson that St. Paul taught to the ancient Romans. Where if it be demanded, "whether[t] that power also, which persecuteth the servants of God, impugneth the faith, and subverteth religion, be of God?" our countryman Sedulius will teach us to answer with Origen, that "even such a power as that, is given of God, for the revenge of the evil, and the praise of the good;" although he were as wicked as either Nero among the Romans, or Herod among the Jews: the one whereof

[q] Hæc est academiarum censura; qua liquido constat, quanta ignoratione et caligine erraverint illi Iberni, qui in hoc bello Protestantibus opem tulerunt, et catholicos oppugnarunt; quamque insanam et venenosam doctrinam attulerint nonnulli doctiores vulgo habiti, qui sæculares homines ad reginæ partes sequendas exhortati, a fide tuenda averterunt. Id. tom. 3. lib. 8. cap. 7. fol. 204.

[r] Cum enim pontifex dicat Anglos adversus catholicam religionem pugnare, eosque non minus ac Turcas oppugnari debere; eisdemque gratiis eos oppugnantes prosequatur, quibus contra Turcas pugnantes prosequitur: quis dubitet, bellum ab Anglis adversus exercitum catholicum omninò iniquum geri? Censur. Doct. Salmantic. et Vallisolet. de Hiberniæ bello.

[s] Rom. cap. 13. ver. 1.

[t] Quid et illa potestas, quæ servos Dei persequitur, fidem impugnat, religionem subvertit, a Deo est? Ad quod respondendum, quod etiam talis potestas a Deo data est, ad vindictam quidem malorum, laudem vero bonorum. Sedul. in Rom. cap. 13.

Digitized by Google

most cruelly persecuted the Christians, the other Christ himself.

And yet when the one of them swayed the sceptre, St. Paul told the Christian Romans, that they "must[u] needs be subject, not only for wrath, but also for conscience sake:" and of the causeless fear of the other, these verses of Sedulius are solemnly sung in the Church of Rome, even unto this day:

Herodes[w] hostis impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia.

Why, wicked Herod, dost thou fear
And at Christ's coming frown?
The mortal he takes not away,
That gives the heavenly crown.

a better paraphrase whereof you cannot have, than this which Claudius hath inserted into his collections upon St. Matthew: "That[x] king which is born, doth not come to overcome kings by fighting, but to subdue them after a wonderful manner by dying: neither is he born to the end that he may succeed thee, but that the world may faithfully believe in him. For he is come, not that he may fight being alive, but that he may triumph being slain; nor that he may with gold get an army unto himself out

[u] Rom. cap. 13. ver. 5.

[w] Sedul. in Hymno acrostich. de vita Christi.

[x] Rex iste qui natus est, non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare: neque ideo natus est ut tibi succedat, sed ut in eum mundus fideliter credat. Venit enim, non ut regnet vivus, sed ut triumphet occisus: nec sibi de aliis gentibus auro exercitum quærat; sed ut pro salvandis gentibus pretiosum sanguinem fundat. Inaniter invidendo timuisti successorem, quem credendo debuisti quærere salvatorem; quia si in eum crederes, cum eo regnares; et sicut ab illo accepisti temporale regnum, acciperes etiam sempiternum. Hujus enim pueri regnum non est de hoc mundo; sed per ipsum regnatur in hoc mundo. Ipse est etiam sapientia Dei, quæ dicit in proverbiis: Per me reges regnant. Puer iste verbum Dei est, puer iste virtus et sapientia Dei est. Si potes, contra Dei sapientiam cogita: in tuam perniciem versaris, et nescis. Tu enim regnum nullatenus habuisses, nisi ab isto puero qui nunc natus est accepisses. Claud. lib. 1. in Matth.

Digitized by Google

of other nations, but that he may shed his precious blood for the saving of the nations. Vainly didst thou by envying fear him to be thy successor, whom by believing thou oughtest to seek as thy Saviour: because if thou didst believe in him, thou shouldst reign with him; and as thou hast received a temporal kingdom from him, thou shouldst also receive from him an everlasting. For the kingdom of this Child is not of this world, but by him it is that men do reign in this world. He is the wisdom of God, which saith in the Proverbs, By me kings reign. This Child is the Word of God: this Child is the power and wisdom of God: If thou canst, think against the wisdom of God: thou workest thine own destruction, and dost not know it. For thou by no means shouldst have had thy kingdom, unless thou hadst received it from that Child which now is born."

As for the censure of the doctors of Salamanca and Vallodilid, our nobility and gentry, by the faithful service which at that time they performed unto the crown of England, did make a real confutation of it. Of whose fidelity in this kind I am so well persuaded, that I do assure myself, that neither the names of Franciscus Zumel and Alphonsus Curiel, how great schoolmen soever they were, nor of the fathers of the society, Johannes de Zinguenza, Emanuel de Roias, and Gaspar de Mena, nor of the pope himself, upon whose sentence they wholly ground their resolution; either then was or hereafter will be of any force, to remove them one whit from the allegiance and duty which they do owe unto their king and country. Nay I am in good hope, that their loyal minds will so far distaste that evil lesson, which those great rabbies of theirs would have them learn; that it will teach them to unlearn another bad lesson, wherewith they have been most miserably deluded. For whereas heretofore wise[y]

[y] Veritas sapienti nitet, cujuscunque ore prolata fuerit. Gildas, in Codice canonum Cottoniano tit. De veritate credenda, quocunque ore prolata fuerit. Similiter Nennius, præfat. in historiam Britonum (MS. in publica Cantabrigiensis academiæ bibliotheca:) Non quis dicat, aut qualiter dicatur, sed quid dictum sit, veritatis testimonio magis attendendum esse probatur

Digitized by Google

men did learn to give credence to the truth, "by whosoever's mouth it should be delivered:" now men are made such fools, that they are taught "to[z] attend in the doctrine of religion, not what the thing is that is said, but what the person is that speaketh it."

But how dangerous a thing it is, to have the faith of our Lord Jesus Christ in respect of persons; and to give entertainment to the truth, not so much for itself as for the regard that is had to the deliverer of it: I wish men would learn otherwise, than by woful experience in themselves. "The[a] truth (saith Claudius) is to be loved for itself, not for the man, or for the angel, by whom it is preached. For he that doth love it in respect of the preachers of it, may love lies also, if they peradventure shall deliver any;" as here without all peradventure, the pope and his doctors have done, unless the teaching of flat rebellion and high treason may pass in the account of Catholic verities. The Lord of his mercy open their eyes, that they may see the light, and give them grace to receive the love of the truth, that they may be saved. The Lord likewise grant, if it be his blessed will, that truth and peace may meet together in our days, that we may be all gathered into "one[b] fold," under "one shepherd," and that "the[c] whole earth may be filled with his glory." Amen, Amen.

[z] In doctrina religionis non quid dicatur, sed quis loquatur attendendum esse. Thom. Stapleton. defens. ecclesiastic. authoritat. lib. 3. cap. 7. et demonstrat. principior. doctrinal. lib. 10. cap. 5.

[a] Veritas propter seipsam diligenda est, non propter hominem, aut propter angelum, per quem adnunciatur. Qui enim propter adnunciatores eam diligit, potest et mendacia diligere, siqua forte ipsi sua protulerint. Claud. in Galat. cap. 1.

[b] John, chap. 10. ver. 16. [c] Psalm 72. ver. 19.

Digitized by Google

TO THE READER.

In judging of the religion of our ancestors, we are not to build our conclusion upon every single proposition wherein they either agree with, or dissent from us; but upon the main bulk of the substantial points of doctrine which are controverted betwixt us at this day. Therefore the adversary must not imagine, that I intend here to make such simple collections as these. Such a man held such a point with us: therefore he was a Protestant; no more than I will allow him to frame the like. Such a man was a monk, or in such or such a particular agreed with the now Church of Rome: therefore he was a papist. And forasmuch as for any one man we have not sufficient evidences left unto us, whereby it may appear what he held in every particular, the only way that now remaineth is to join all of them together, with this presumption, that what one man of note hath delivered, the contrary whereof is not to be found in others of his countrymen who lived about the same time; that is to be supposed to have been the doctrine which was commonly received in those countries at that time.

Hence it is that I oftentimes chain together the sayings

Digitized by Google

of divers authors into one context; and insert also sometimes certain sentences of theirs, which do not so much make for any controversy, as for the apt connexion of the points, and the illustration of the present head of doctrine there treated of. And although my principal intention in this discourse was to produce such evidences as might shew the agreement that was betwixt our ancestors and us in matter of religion, and to leave the instances which might be alleged for the contrary to them unto whom the maintaining of that part did properly belong: yet I have upon occasion touched upon that part also, and brought to light some things which I met withal in such hidden antiquities, as in all likelihood would not have come unto their notice without my discovery.

The printed books which I cite, lie as open to them as they have done to me; neither need they our help for the collecting of such things out of them as may seem to make for their purpose: I would we were half as careful for the maintenance of the truth that way, as they every day shew themselves to be in not letting slip any manner of advantage which may countenance their superstitions and errors. As for the manuscripts which I use, they are partly known to some of them, partly notified in the marginal quotations of the treatise itself, where the place is noted in which they may be found. A great part whereof being gathered together in the rare treasury of that worthy baronet, Sir Robert Cotton, I thought it not amiss to mark all such with an asterisk (*) in the following catalogue; to the end, that if any of the other side will be pleased to look into these things, he may with more ease satisfy himself by perusing the chief of these monuments brought thus together into one place; and so as well examine the truth of my allegations, as take up what he shall think meet for the patronage of his own cause;

Digitized by Google

my intention herein being to deal fairly, and not to desire the concealing of any thing that may tend to the true discovery of the state of former times, whether it may seem to make for me or against me.

A catalogue of the authors cited in this discourse, according to the times wherein they flourished.

300. Eumenius Rhetor
317. Constantinus Magnus: cui ineptissima afficta est Donatio
330. Eusebius
380. Amphilochius
400. Jo. Chrysostomus
410. Hieronymus
414. Pelagius et Celestius hæretici
420. Augustinus
433. Prosper Aquitanicus
440. *Patricius
448. Secundinus
450. Synodus Patricii, Auxilii et Issernini
490. Sedulius
494. Concilium Romanum sub Gelasio
530. Damascius
540. Gildas
*Cogitosus
580. Venantius Fortunatus
592. Gregorius I.
600. Columbanus
610. Laurentius, Mellitus et Justus: quorum epistolæ ad Hibernos pars habetur apud Bedam
620. Taliessinus Bardus
630. Gallus
634. Honorius I. cujus epistolæ ad Hibernos pars habetur apud Bedam
639. Clerus Romanus: cujus epistolæ ad Hibernos fragmentum habetur apud Bedam

Digitized by Google

640. Jonas
650. *Cummianus
657. Author libri de Mirabilibus S. Scripturæ
660. Hildephonsus Toletanus
664. Streneshalchana Synodus : cui interfuerunt Colmanus et Wilfridus
680. Theodorus Campidonensis, vel quicunque author fuit vitæ Magni sive Magnoaldi
680. *Author vitæ Fursei
690. Adamnanus
690. Aldhelmus
700. *Collectio Canonum Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ
720. *Stephanus presbyter
730. *Author fragmenti de Ecclesiasticorum Officiorum origine
731. Beda
745. Bonifacius Moguntinus
745. Concilium Romanum II. sub Zacharia P.
760. *Egbertus
795. Alcuinus
800. Egilwardus, vel quicunque author fuit vitæ Kiliani
815. Claudius Scotus
840. Walafridus Strabus
850. Anonymus author vitæ Chrysostomi
850. Johannes Erigena
858. *Nennius
860. Photius
885. Ælfredus Rex
890. Leo Imperator
893. Asser Menevensis
914. *Howelus Dha
950. *Fridegodus
Probus
Brito
1010. Calvus Perennis
1022. *Burgenses Dublinienses
1022. *Henricus I. Rex Angliæ
1074. *Lanfrancus
1080. Gregorius VII.
1082. *Marianus Scotus
1085. *Johannes, Sulgeni filius
1090. Ricemarchus, filius ejusdem
1095. Anselmus
1100. Gille sive Gillebertus Lumnicensis Episcopus
1110. *Gotcelinus Bertinianus
1123. Eadmerus

Digitized by Google

1125. Hildebertus Cenomanensis
1130. Liber Landavensis Ecclesiæ, vocatus Tilo
1140. Guilielmus Malmesburiensis
1150. Bernardus Clarævallensis
1153. Henricus Saltereyensis
1155. Adrianus IV.
1156. Caradocus Lancarvanensis
1158. Johannes Sarisburiensis
1175. Alexander III.
1180. Jocelinus Furnesii monachus
1185. *Giraldus Cambrensis
1204. Rogerus Hovedenus
1210. Robertus de Monte
1210. Innocentius III.
1216. Tumanensis archiepiscopus et suffraganeorum rescriptum ad eundem
1222. Cæsarius Heisterbachensis monachus
1226. Gualterus Coventriensis
1235. *Rogerus de Wendover
1240. *Annalium Dubliniensium fragmentum
1250. Matthæus Parisiensis
1281. *Johannes Brampton
1292. *Bartholomæus de Cotton
*Annales Melrosensis Cœnobii
1307. Nicolaus Trivetus
1347. Pembrigius, author prioris partis annalium Hiberniæ a D. Camdeno editorum
1357. Richardus Armachanus
1366. *Johannes de Tinmouth, Anglicus vulgo dictus
1384. Guilielmus Andreæ, Midensis episcopus
1392. Concilium Stanfordiæ sub Guilielmo Cantuariensi
1417. Oratores Angli in Constantiensi Concilio
1427. *Thomas Casæus
1438. Marcus Ephesius
1460. Johannes Capgravius
1461. Johannes Hardingus
1480. Johannes Rossus
1490. Pomponius Lætus
1494. Baptista Mantuanus
1500. Jo. Cuspinianus
1533. Polydorus Virgilius

Digitized by Google

THAT which concerneth the pope's supremacy and the union of other Churches with the Church of Rome, I have here handled at large: because upon that point the Romanists do hazard their whole cause, acknowledging the standing[a] or falling of their Church absolutely to depend thereupon. I have somewhat also insisted upon the supreme power which the kings of England have in the temporal state of this realm, and discovered the vanity of the pope's claim unto it: the exercise of the prince's power in causes ecclesiastical, I have touched but incidently; that being a question which requireth explication rather than demonstration. Wherein having been called by authority (the very same time wherein I was making up this treatise) to give satisfaction in a public place of justice unto such as pretended some scruple of conscience that way, I thought good to annex that declaration[b] as a kind of a supplement to this present discourse, together with his Majesty's royal approbation of it[c]; which I have done, not for any vain ostentation (although I have good cause to rejoice in the testimony and perpetual memory of my dear master) but to stop the mouth of cavillers, who may perhaps object that the king challengeth another manner of authority than that which I ascribe unto him: which no man will say, who knew king James to have been, as the most learned and judicious prince that ever sat upon this throne, so the most jealous of his prerogative royal, and the most impatient of the least diminution of the rights and preeminences united unto his imperial crown: whereby you may easily discern, that such as charge the taking that part of the oath of supre-

[a] Etenim de qua re agitur, cum de primatu pontificis agitur? brevissime dicam, de summa rei Christianæ. Id enim quæritur, debeatne Ecclesia diutius consistere, an vero dissolvi, et concidere. Bellarm. Præfat. in libros de Rom. Pontif.

[b] See vol. 2. pag.

[c] See life, ann. 1622.

Digitized by Google

macy, which concerneth the king's authority in causes ecclesiastical, with " loathsome and base flattery, abominable and blasphemous adulation, shameful heresy and untruth against nature" (these be the powers of cardinal Allen's rhetoric) bewray themselves to be somewhat near of kin unto those false teachers, that speak great swelling words of vanity: whose characters St. Peter[d] and St. Jude[e] have long since deciphered; that not only, out of their presumption and self conceitedness, " they are not afraid to speak evil of dignities," but also after a brutish manner take the boldness to " speak evil of those things which they understand not," from whose seductions I beseech God to deliver all his Majesty's true hearted subjects.

[d] 2 Peter chap. 2. ver. 10, 12, 18. [e] Jude, ver. 8, 10.

Digitized by Google

Digitized by Google

VETERUM
EPISTOLARUM HIBERNICARUM
SYLLOGE;

QUÆ PARTIM AB HIBERNIS, PARTIM AD HIBERNOS, PARTIM DE HIBERNIS VEL REBUS HIBERNICIS SUNT CONSCRIPTÆ.

JACOBUS USSERIUS

ARMACHANUS ARCHIEPISCOPUS COLLEGIT ET RECENSUIT.

1632.

Digitized by Google

Digitized by Google

JACOBUS ARMACHANUS

LECTORI S.

QUANTUM ad fidem rerum conferat epistolarum propriis temporibus scriptarum diligens inspectio; cum ex aliorum annalium, tum ex historiæ Augustæ scriptorum lectione, compertum habent eruditi. Hinc ego patriarum antiquitatum, ecclesiasticarum præsertim, penitius cognoscendarum studio ductus; ut Sedulii nostri epistolas (quas intra centum quadraginta proximos annos adhuc extitisse, ex Johanne Trithemio intellexeram) alicunde nanciscerer, operam inprimis dedi. Verum quum neque illius, neque unius alicujus e veterum illorum numero, justum aliquod hujus argumenti volumen adipisci possem: ad δευτέρον πλοῦν conversus, quicquid sparsim inter chartulas meas ejus generis ἀνέκδοτον reperire potui, addito ex libris

Digitized by Google

editis supplemento, in unum literarum fasciculum conjeci. Unde jam, pro unius alicujus aut alterius libris singularibus, multorum et diversis sibi ætatibus succedentium disjectæ tabulæ, uno veluti intuitu conspiciendas sese offerunt: ex quarum consideratione, quantum seu in pietate seu in doctrina seculum quodque vel profecerit vel defecerit, licebit animadvertere. Neque enim tam hic spectandum, quid quisque loqui semper debeat; quam quid quaque ætate homines dicere assueverint.

Id autem cum primis memorabile est, quod in tertia decima epistola prodit Aldhelmus, de exteris ad capessendum ingenii cultum catervatim in Hiberniam confluentibus: quæ ab illo ut Paradisus quidam aut novus Circulus lacteus depingitur; "discentium opulans vernansque pascuosa numerositate lectorum, quemadmodum poli cardines astriferis micantium ornantur vibraminibus siderum." Eo pertinet et Bedæ ille locus[a]. Erant in Hibernia multi nobilium simul et mediocrium de gente Anglorum, qui tempore Finani et Colmani episcoporum, relicta insula patria, vel divinæ lectionis vel continentioris vitæ gratia illo secesserant. Et quidam quidem mox se monasticæ conversationi fideliter mancipaverunt: alii magis

[a] Histor. ecclesiastic. lib. 3. cap. 27.

Digitized by Google

circumeundo per cellas magistrorum lectioni operam dare gaudebant. Quos omnes Scoti libentissime suscipientes, victum eis quotidianum sine pretio, libros quoque ad legendum, et magisterium gratuitum præbere curabant." Ut iis temporibus verissimum fuerit, quod de eadem Hibernia alibi pronuntiat idem: "gentem[b] fuisse innoxiam, et nationi Anglorum semper amicissimam."

Huc etiam spectat, quod de Agilberto Gallo, Occidentalium Saxonum primum, deinde Parisiacæ civitatis episcopo, apud eundem Bedam legimus. "Legendarum[c] gratia scripturarum in Hibernia non parvo tempore demoratus est." Et de Ædilvino: "Hiberniam[d] gratia legendi adiit, et bene instructus patriam rediit, atque episcopus in provincia Lindissi factus, multo Ecclesiam tempore nobilissime rexit." Et de Altfrido Nordanhumbrorum rege:

> Scotorum[e] qui tum versatus incola terris,
> Cœlestem intento spirabat corde sophiam.
> Nam patriæ fines et dulcia liquerat arva;
> Sedulus ut Domini mysteria disceret exul.

In Hiberniam siquidem secedens (ut libro primo

[b] Bed. lib. 4. Hist. eccles. cap. 25. quam eandem historiam, libro 1. de gestis regum Anglor. cap. 3. Guilielmus Malmesburiensis enarrans, Hibernense genus hominum innocens genuina simplicitate, nil unquam mali moliens, appellat.

[c] Bed. lib. 3. cap. 7. [d] Id. ibid. cap. 27.

[e] Id. in Carm. de vita S. Cuthberti, cap. 21.

Digitized by Google

de gestis regum Anglorum refert Guilielmus Malmesburiensis) ibique " magno otio literis imbutus, omni philosophia composuerat animum."

Albinus quoque qui et Alcuinus (cujus est ad Colcum, lectorem in Scotia sive Hibernia octava decima epistola) de Willibrordo Ultrajectino archiepiscopo, qui Batavos, Frisios et Antuerpienses ad fidem Christi convertit, ita scribit. " Quia in Hibernia scholasticam eruditionem viguisse audivit, etiam quorundam sanctorum virorum, fama narrante, conversatione incitatus, et præcipue beatissimi partis et episcopi Egberti, qui cognomento sanctus vocabatur, necnon et Wicberti venerabilis viri et sacerdotis Dei (quorum uterque ob cœlestis patriæ amorem, domo, patria, cognationeque relicta, Hiberniam secessit, ibique dulcissimos supernæ contemplationis fructus seculo nudus, Deo plenus, solitaria quotidie hauriebat conversatione :) horum beatus adolescens æmulari cupiens religionem, cum conniventia sui abbatis et fratrum, in Hiberniam veloci cursu contendit, prædictorum patrum se familiaritati conjungens; quatenus, ceu prudentissima apis, ex eorum propinquitate mellifluos pietatis carperet flores, et in sui pectoris alveario dulcissimos virtutum favos construeret. Ibique duodecim annos inter eximios simul piæ religionis et sacræ lectionis magistros,

Digitized by Google

futurus multorum populorum prædicator, erudiebatur." Hæc in primo de vita Willibrordi libro, Alcuinus: et in secundi initio.

Venerat occiduis quidam de finibus orbis,
Vir virtute potens, divino plenus amore,
Ore sagax, et mente vigil, et fervidus actu;
Ad te, temporibus Pippini, Francia felix:
Quem tibi jam genuit fœcunda Britannia mater,
Doctaque nutrivit studiis sed Hibernia sacris;
Nomine Willbrordus.

atque iterum in capitulo tricessimo tertio:

Ut dudum cecini, fœcunda Britannia mater,
Patria Scotorum clara magistra fuit.

Ubi "doctam Hiberniam, et claram Scotorum patriam," Caroli Magni temporibus eandem fuisse habitam, non obscure indicat. Ut quod de sua cecinit[f] poeta optimus, de nostra Scotia multo rectius possit usurpari.

Hæc quoque, cum Latium quateret Mars barbarus orbem,
Sola prope expulsis fuit hospita terra Camœnis.
Hinc Sophiæ Graiæ, Sophiæ decreta Latinæ,
Doctoresque rudis formatoresque juventæ
Carolus ad Celtas traduxit.

Nam ex Hibernia traductos fuisse doctores istos, luculenter confirmat, qui vitam magni Caroli septuaginta circiter post mortem ipsius annis scripsit, Notkerus Balbulus Sangallensis monachus, narrationis suæ hinc ducto principio.

[f] Georg. Buchanan. in Silvis.

Digitized by Google

" Omnipotens regum[g] dispositor, ordinatorque regnorum et temporum, cum illius admirandæ statuæ pedes ferreos[h] vel testaceos comminuisset in Romanis; alterius non minus admirabilis statuæ caput aureum per illustrem Carolum erexit in Francis. Qui cum in occiduis mundi partibus solus regnare cœpisset, et studia literarum ubique propemodum essent in oblivione; contigit duos Scotos de Hibernia cum mercatoribus Britannis ad littus Galliæ devenire, viros et in secularibus et in sacris Scripturis incomparabiliter eruditos. Qui quotidie cum nihil ostenderent venale, ad convenientes emendi gratia turbas clamare solebant: *Si quis sapientiæ cupidus est, veniat ad nos, et accipiat eam; nam venalis est apud nos.* Quam tamen idcirco venalem se habere professi sunt, quia populum non gratuita, sed venalia mercari viderunt: ut sic vel sapientiæ, sicut cæteris rebus coemendis, eos incitarent; vel (sicut sequentia comprobant) per tale præconium in admirationem verterent et stuporem. Denique tam diu conclamata sunt ista, donec ab admirantibus, vel insanos illos putantibus, ad aures Caroli Regis, semper amatoris et cupidissimi sapientiæ, perlata fuissent. Qui sub omni celeritate ad suam eos præsentiam evocatos interro-

[g] al. *rerum.*

[h] Daniel. cap. 2.

Digitized by Google

gavit; si vere, ut ipse fama comperit, sapientiam secum haberent. Qui dixerunt: *Et habemus eam, et in nomine Domini digne quærentibus dure parati sumus.* Qui cum inquisisset ab illis quid pro ipsa peterent, responderunt: *Loca tantum opportuna, et animas ingeniosas, et, sine quibus ista peregrinatio transigi non potest, alimenta, et quibus tegamur.* Quibus ille perceptis, ingenti gaudio repletus, primum quidem apud se utrumque parvo tempore tenuit. Postea vero, cum ad expeditiones bellicas urgeretur, unum eorum nomine Clementem in Gallia residere præcepit: cui et pueros nobilissimos, mediocres, et infimos, satis multos commendavit; et eis, prout necessarium habuerant, victualia ministrari præcepit, habitaculis opportunis ad habitandum deputatis. Alterum vero nomine Albinum in Italiam direxit: cui et monasterium sancti Augustini juxta Ticinensem urbem delegavit; ut illuc ad eum qui voluissent, ad discendum congregari potuissent. Audito autem Albinus de natione Anglorum, quam gratanter sapientes viros religiosissimus regum Carolus susciperet, conscensa navi venit ad eum." Et quæ sequuntur.

Eadem ipsa ex chronicis metropolis Arelatensis producunt alii[1]: quos Johannes Rossus Warwi-

[1] Vincent. specul. historial. lib. 23. cap. 173. et Antonin. Chronic. tit. 14. cap. 4. sec. 12.

Digitized by Google

censis secutus, in libro de regibus ita rem narrat. " Florentibus his diebus in Hibernia studiis liberalibus præ cæteris regnis, contigit duos Scotos monachos de Hibernia cum mercatoribus Britannicis ad littus Galliæ devenire. Et post; cum rex Carolus responsum duorum monachorum Hibernensium audisset; repletus gaudio, ambos secum retinuit. Tandem unum eorum nomine Clementem, in Gallia Parisiæ residere fecit." Hic vero Clemente Antisiodorensi episcopo, atque illo Bonifacii Moguntini antagonista (cujus in quindecima epistola fit mentio) et ætate posterior et inferior officio; Clemens Scotus ille fuit, ad quem a Ratgario Fuldensi abbate Modestus et Candidus, cum aliis, grammaticæ studendi gratia, in antiquo abbatum cœnobii illius indice missus[k] fuisse legitur. Ejusdem grammatica quædam collectanea a Melchiore Goldasto citantur[l], cum ex aliis, tum ex Comminiano, grammatico ut antiquissimo, ita et disertissimo, mutuata; cujus tamen non alia apud eum reperisse se notat Helias Putschius in sua veterum grammaticorum συναγωγῇ quam quæ in Charisio legerat: neque alius videtur esse Clemens, vitæ Caroli Magni exarator, in catalogo authorum, quorum testimonia a Wolfgango Lazio

[k] Christoph. Brower. in notis ad Rabani Poemata, pag. 118. et antiquit. Fuldens. lib. 1. cap. 14. pag. 60.

[l] Goldast. in notis ad Parænetic. vet. pag. 24. et 96.

Digitized by Google

in commentariis reipublicæ Romanæ producuntur, nominatus. Socium autem illius Albinum, apud Italos in urbe Ticinensi sive Papiensi a rege Carolo collocatum, ab Albino Anglo in loco jam citato clare separat Notkerus: neque alium Johannem illum Albinum esse existimaverim, cui rhetorica præceptà inscripta vidisse se testatur Georgius[m] Buchananus, quæ Albino Flacco sive Alcuino vulgo tribuuntur.

Neque prætermittendum est Guilielmi Camdeni, viri eruditissimi et candidissimi, præclarum hic testimonium: "Anglo-Saxones[n] nostri illa ætate, in Hiberniam tanquam ad bonarum literarum mercaturam undique confluxerunt: unde de vitis sanctis sæpissime in nostris scriptoribus legitur; Amandatus est ad disciplinam in Hiberniam." Similia quoque in Cambro-Britannicorum sanctorum vitis subinde occurrunt: quibus etiam, de Marco et Sulgeno Britannis, ista visum est adjicere. Sic enim in extremo libri primi de miraculis S. Germani capitulo, Ericus Antissiodorensis de Marco scribit. "Qui natione Brito, educatus vero in Hibernia, post longa pontificalis sanctitatis exercitia, ultroneam sibi peregrinationem indixit. Sic traductus in Franciam, piissi-

[m] Buchanan. rer. Scotic. lib. 5. in rege LXV.

[n] Camden. in Hibern. pag. 730.

Digitized by Google

mique regis Caroli (illius nempe qui Calvus est dictus) munificentia illectus, apud beatorum Medardi et Sebastiani cœnobium anachoriticam exercet vitam; singularis nostro tempore unicæ philosophus sanctitatis." De Sulgeno qui sub annum MLXX. episcopus Menevensis fuit, ipsius filius Johannes hunc in modum cecinit.

Exemplo patrum, commotus amore legendi,
Ivit ad Hibernos sophia, mirabile, claros.
Sed cum jam cimba voluisset adire revectus
Famosam gentem scripturis atque magistris:
Appulit ad patriam, ventorum flatibus actus,
Nomine quam noto perhibent Albania longe.
Ac remoratus ibi certe tum quinque per annos
Indefessus agit votum, &c.
His ita digestis Scotorum visitat arva.
Ac mox scripturas multo meditamine sacras,
Legis divinæ scrutatur sæpe retractans.
Ast ibi per denos tricens[o] jam placidus annos
Congregat immensam pretioso pondere massam;
Protinus arguta thesaurum mente recondens.
Post hæc ad patriam remeans jam dogmate clarus
Venit, et inventum multis jam dividit aurum;
Proficiens cunctis discentibus undique circum.
Reges, quem populi, cleri, cunctique coloni,
Omnes unanimes venerantur mente serena.

In quo carmine, tria ista notanda veniunt. I. Sulgenum legendi causa, exemplo patrum Hiberniam adire voluisse: quod more majorum hoc ab illo factum fuisse ostendit. II. Tametsi Norwagienses[p] grassatores nono post Christum seculo,

[o] *trinos.*

[p] Girald. Cambrens. Topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 37. 42. 46. Jocelin. in vita Patricii, cap. 175. et 186.

Digitized by Google

duce Turgesio, insulam hanc per annos triginta occupantes, Ecclesias fere omnes atque libros incendio consumpserint: revixisse tamen bonarum literarum studia, et seculo adhuc undecimo habitam fuisse "Hiberniam virorum doctissimorum officinam." III. Ad illa ipsa usque tempora Hibernos nostros κατ' ἐξοχὴν Scotorum nomen retinuisse. Narrat enim hic Johannes, patri suo fuisse propositum, studendi gratia, Hiberniam petere: sed navigio, quo vectus illo pervenire cogitaverat, adversis ventis acto, ad Albaniam appulisse; ibidemque quinquennii facta mora, Scotorum demum arva invisisse, atque illic decem vel tredecim annos sacrarum Scripturarum lectioni impendisse.

Hæc ex innumeris paucula, ad epistolæ tertiædecimæ illustrationem, proferre visum fuit. In cæteris si quid obscuri sit, quod ex temporis historia lumen aliquod desideret; ei facem, ex vetere memoria comparatam, præferre conati sumus. Id tantum jam monendum: ex iis quæ ab aliis antehac sunt editæ, plures epistolas hic addi potuisse, et illam nominatim, quæ anno DCCXLII. a papa Zacharia ad Wittam vel Wittanum scripta, inter Romanorum[q] pontificum et Bonifacii[r] Moguntini

[q] Epist. Decret. edit. Romæ, tom. 2. epist. 2.
[r] Bonifac. epist. 131.

Digitized by Google

epistolas excusa prostat. Qui[s] enim Saxonico nomine Witanus sive Whitus dictus est, a Lupo[t] Servato et aliis Latino vocabulo, Albuinus eodem sensu est appellatus: is ipse, qui "egressus de Hibernia (ut notat Trithemius[u]) prædicationis causa venit in Thuringiam;" ubi a Bonifacio primus Barbarensæ sive Buraburgensis ecclesiæ episcopus est constitutus. "In oppido enim Buraburg juxta Fritzlar, sedi episcopali post suum recessum ordinavit episcopum Albuinum discipulum suum Hiberniensem, monasterii urbis monachum: cujus festum agitur VII kalendas Novembris," quemadmodum ex Manuscripto suo retulit Nicolaus Serarius[w].

Ex ineditis vero plurimæ sunt epistolæ quas, omni licet adhibita diligentia, consequi nequivimus: inter quas et regum nostrorum illæ sunt, de quibus in Caroli Magni vita Eginhardus. "Scotorum reges sic habuit ad suam voluntatem per suam munificentiam inclinatos, ut eum nunquam aliter quam Dominum, seque subditos et servos ejus pronuntiarent. Extant epistolæ ab iis ad eum missæ,

[s] Ex Anglia a Bonifacio accitum notat Othlonus vita Bonifacii lib. 1. cap. 30. Vid. Miræum in Fastis Belgicis. Mai. 1.

[t] Lup. in vita Wigberchti, cap. 14.

[u] Jo. Trithem. de viris illustr. Ord. Benedicti, lib. 4. cap. 190. vid. et lib. 3. cap. 267.

[w] Rerum Moguntiacarum libro 3. notat. 29.

Digitized by Google

quibus hujusmodi affectus eorum erga illum indicatur." Quod a Saxonico illo poeta, libro quinto de gestis Caroli, sic habetur expressum

Scotorum reges ipsum Dominum vocitabant,
Ac se subjectos ipsius et famulos.
Hoc apices ab eis missi testantur ad illum,
Quorum claret amor maximus alloquio.

Sed has, et ejus generis alias, illis qui in transmarinis partibus degunt e tenebris eruendas relinquimus; earum quas domi reperire potuimus editione hoc tempore contenti.

Digitized by Google

Digitized by Google

VETERUM
EPISTOLARUM HIBERNICARUM
SYLLOGE.

EPISTOLA I.

GREGORII I. ROMANI PONTIFICIS, AD EPISCOPOS HIBERNIÆ.

Gregorius[a], universis episcopis per Hiberniam[b].

Scripta vestra summa cum gratulatione suscepi: sed erit in me uberior valde lætitia, si mihi de vestra contigerit reversione gaudere. Prima itaque epistolæ vestræ frons gravem vos pati persecutionem innotuit. Quæ quidem persecutio dum non rationabiliter sustinetur, nequaquam proficit ad salutem. Nam nulli fas est retributionem præmiorum expectare pro culpa. Debetis enim scire (sicut beatus Cyprianus dixit) quia martyrem non facit pœna, sed causa. Dum igitur ita sit, incongruum nimis est de ea vos, quam dicitis, persecutione gloriari, per quam vos constat ad æterna præmia minime provehi. Reducat ergo charitatem vestram tandem integritas fidei ad matrem, quæ vos generavit, Ecclesiam. Nulla vos animorum intentio a concordiæ unitate dissociet: nulla persuasio rependo vos a recto itinere defatiget. Nam in synodo, in

[a] Anno Christi 592.

[b] Ita legunt magno consensu exemplaria tum edita, tum manuscripta.

Digitized by Google

qua de tribus capitulis actum est, aperto liquet, nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum, sed (sicut scitis) de quibusdam illic solummodo personis est actitatum: quarum una, cujus scripta evidenter a rectitudine Catholicæ fidei deviabant, non injuste damnata est.

Quod autem scribitis, quia ex illo tempore inter alias provincias maxime flagellatur Italia: non hoc ad ejus debetis intorquere opprobrium; quoniam scriptum est: " Quem[b] diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit." Si igitur ita est, ut dicitis; ex eo tempore magis dilecta est apud Deum et modis omnibus approbata, ex quo Domini sui meruit sustinere flagella. Quia vero non ita fit, quemadmodum vos in ejus insultatione affirmare conamini, rationem attendite. Postquam recordandæ memoriæ Vigilius papa in urbe regia constitutus, contra Theodoram tunc Augustam et Acephalos damnationis promulgavit sententiam; tunc Romana urbs ab hostibus adita et captivata est. Ergo bonam causam habuerunt Acephali, et injuste damnati sunt, post quorum damnationem talia contigerunt? Absit. Hoc enim nec nostrum quempiam, nec alios qui Catholicæ fidei mysteriis instituti sunt, vel dicere, vel aliquo modo confiteri convenit. His denique cognitis, ab hac quandoque jam deliberatione recedite.

Ut igitur de tribus capitulis animis vestris ablata dubietate, possit satisfactio abundanter infundi; librum quem ex hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius papa scripserat, vobis utile judicavi transmittere. Quem si deposito voluntariæ defensionis studio, puro vigilantique corde sæpius volueritis relegere; eum vos per omnia secuturos, et ad unitatem nostram reversuros nihilominus esse confido. Porro autem si, post hujus libri lectionem, in ea qua estis volueritis deliberatione persistere, sine dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis. Unde iterum habita locutione, charitatem vestram admoneo, ut quoniam, Deo suffragante, fidei nostræ integritas in causa trium capitulorum inviolata permansit;

[b] Heb. cap. 12. ver. 6.

Digitized by Google

mentis tumore deposito, tanto citius ad matrem vestram, quæ filios suos expectat et invitat, Ecclesiam redeatis, quanto vos ab ea quotidie expectari cognoscitis.

RECENSIO.

Ex Gregorii Regesto, lib. 2. epist. 36. indictione 10. quæ anno æræ nostræ Christianæ 592. respondet.

Digitized by Google

EPISTOLA II.

EJUSDEM GREGORII, AD QUIRINUM EPISCOPUM.

Gregorius,[a] Quirino episcopo, et cæteris episcopis in Hibernia Catholicis.

QUIA charitati nihil est longe ; quos dividunt loca, jungat epistola. Lator itaque præsentium ad beati Petri apostolorum principis Ecclesiam veniens, fraternitatis vestræ se asseruit ad nos epistolas accepisse, easque in Hierosolymorum urbe cum rebus quoque aliis perdidisse. In quibus, sicut ipse ait, studuistis inquirere, sacerdotes ac plebes quæ Nestorianæ hæreseos errore confusæ sunt, cum ad matrem electorum omnium Catholicam Ecclesiam revertuntur, utrum baptizari debeant, an certe solius veræ fidei confessione ejusdem matris Ecclesiæ visceribus adjungi.

Et quidem ab antiqua patrum institutione didicimus, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus occidens, per unctionem vero sancti chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ oriens reformat. Monophysitas vero et alios ex sola vera confessione recipit: quia sanctum baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis accipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint, vel isti per professionem veræ fidei sanctæ et universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti. Hi vero hæretici qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiani[b] et Cataphryges (quia et illi Christum

[a] Anno Christi. 601.

[b] al. *Bonosiaci.*

Digitized by Google

Dominum non credunt, et isti sanctum Spiritum perverso sensu esse quendam pravum hominem Montanum credunt, quorum similes multi sunt) et alii tales, cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur: quia baptisma non fuit, quod in errore positi in sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt. Nec potest hoc ipsum baptisma dici iteratum, quod, sicut dictum est, in Trinitatis nomine non erat datum.

Nestoriani vero quia in sanctæ Trinitatis nomine baptizantur, sed eos Judaicæ perfidiæ similes, incarnationem unigeniti non credentes, suæ hæreseos error obscurat, ad sanctam Ecclesiam Catholicam venientes, de veræ fidei firmitate et confessione docendi sunt: ut unum eundemque Dei et hominis filium, Deum Dominum nostrum Jesum Christum credant, ipsum existentem in divinitate ante secula, et ipsum factum hominem in fine seculorum: quia "Verbum[c] caro factum est, et habitavit in nobis." Verbum vero carnem dicimus factum, non immutando quod erat, sed suscipiendo quod non erat. Incarnationis enim suæ mysterio unigenitus patris nostra auxit, sua non minuit. Una itaque persona est Verbum et caro, sicut ipse ait: "Nemo[d] ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo." Qui filius Dei in cœlo, erat filius hominis qui loquebatur in terra.

Hinc Johannes ait: "Scimus[e] quia filius Dei venit, et dedit nobis sensum." Qui nobis quem sensum dederit, illico subjungit: "ut cognoscamus verum Deum." Quem hoc loco verum Deum insinuat, nisi Patrem omnipotentem? Sed quid etiam de omnipotente filio sentiat, adjungit: "Et simus in vero filio ejus Jesu Christo." Ecce ait verum Deum patrem, verum ejus filium Jesum Christum. Quem verum filium quid esse sentiat, apertius ostendit: "Hic est," inquit, "verus Deus, et vita æterna." Si igitur, juxta errorem Nestorii, alius Verbum atque alius esset homo Jesus Christus; qui verus est homo, utique verus Deus non esset et vita æterna. Sed unigenitus filius

[c] Joh. cap. 1. ver. 14.
[d] Ibid. cap. 3. ver. 13.
[e] Ibid. cap. 5. ver. 20.

Digitized by Google

Verbum ante sæcula factus est homo. Hic est ergo " verus Deus, et vita æterna."

Certe cum hunc sancta Virgo conceptura esset, et loquentem ad se angelum audiret, ait: " Ecce[f] ancilla Domini, fiat mihi sicut dicis." Quæ cum eum concepisset, et ad Elizabeth cognatam suam pergeret, ab eadem Elizabeth protinus audivit: " Unde[g] ego digna, ut mater Domini mei veniat ad me?" Ecce eadem virgo et ancilla Domini dicitur, et mater. Ancilla enim Domini, quia Verbum ante secula unigenitus æqualis est patri: mater vero, quia in ejus visceribus ex sancto Spiritu de ejusque carne factus est homo. Nec alterius ancilla, alterius mater: quia dum unigenitus Dei existens ante secula, ex ejus utero natus est homo, investigabili miraculo facta est et ancilla hominis per divinitatem, et mater Verbi per carnem.

Non autem prius in utero virginis caro concepta est, et postmodum divinitas venit in carnem: sed mox ut Verbum venit in utero, mox Verbum servata propriæ virtute naturæ factum est caro. Et perfectus homo, id est, in veritate carnis et animæ rationalis, natus est per uterum virginis unigenitus filius Dei. Unde et unctus præ participibus dicitur, sicut Psalmista ait: " Unxit[h] te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis." Unctus quippe est oleo, dono videlicet Spiritus sancti: sed præ consortibus unctus est, quia omnes nos prius peccatores homines existimus, et postmodum per unctionem sancti Spiritus sanctificamur. Ipse autem qui existens Deus ante secula, per sanctum Spiritum in utero Virginis homo conceptus est in fine seculorum, ibi ab eodem Spiritu unctus est, ubi conceptus. Nec ante conceptus, et postmodum unctus est; sed hoc ipsum de Spiritu sancto ex carne virginis concipi, a sancto Spiritu ungi fuit.

Hanc ergo nativitatis ejus veritatem quicunque a perverso errore Nestorii, revertuntur, coram sancta fraternitatis vestræ congregatione fateantur; eundem Nestorium,

[f] Luc. cap. 1. ver. 38.
[g] Id. ibid. ver. 43.
[h] Psalm. 45. ver. 7.

Digitized by Google

cum omnibus sequacibus suis, et reliquas hæreses anathematizantes. Venerandas quoque synodos, quas universalis Ecclesia recipit, se recipere et venerari promittant: et absque ulla dubitatione eos sanctitas vestra, servatis eis propriis ordinibus, in suo cætu recipiat: ut dum et per sollicitudinem occulta mentis eorum discutitis, atque eos per veram scientiam recta quæ tenere debeant docetis, et per mansuetudinem eis nullam contrarietatem vel difficultatem de propriis suis ordinibus facitis, eos ab antiqui hostis ore rapiatis. Et tanto vobis apud omnipotentem Deum æternæ gloriæ crescat retributio, quanto multos colligitis, qui vobiscum in Domino sine fine gloriantur. Sancta itaque Trinitas orantes pro nobis sua vos protectione custodiat; vobisque in amore suo dona multipliciora concedat.

RECENSIO.

Ex Regest. lib. 9. epist. 61.[1] indictione 4. quæ in annum 601. incurrit: licet manuscriptus Vaticanus Iberiam hic legat, pro Hibernia: ut notant Romani correctores in Gratian. de consecr. distinct. 4. cap. 44. Ab antiqua. In Romana tamen operum Gregorii editione vulgata lectio retinetur: sicut et in antiquioribus Gratiani editionibus, et Decret. part. 1. cap. 153. et Hincmaro Remensi in opusculo contra Hincmarum Laudunensem cap. 10. Vide Anton. Augustin. emendat. Gratiani lib. 1. in fine dialogi 4. Idem in prologo suo in Decret. "Simili dispensatione reatus papa Gregorius a Nestoriana hæresi revertentes in suis gradibus recipi jubet, ita scribens ad episcopos in Hibernia Catholicæ Ecclesiæ."

Digitized by Google

EPISTOLA III.

S. Columbani Hiberni.

O[a] TU vita quantos decepisti, quantos seduxisti, quantos excœcasti! Quæ, dum fugis, nihil es; dum videris, umbra es; dum exaltaris, fumus es; quæ quotidie fugis, et quotidie venis; quæ veniendo fugis, et fugiendo venis: dissimilis eventu, similis ortu, dissimilis luxu, similis fluxu; dulcis stultis, amara sapientibus. Qui te amant, non te sciunt: et qui te contemnunt, ipsi te intelligunt. Ergo non es vera, sed fallax, te ostendis quasi veram, te reducis quasi fallacem. Quid ergo es humana vita? via es mortalium, et non vita, a peccato incipiens usque ad mortem. Vera enim esses, si te peccatum primæ transgressionis humanæ non interrupisset; et tunc casabunda et mortalis devenisti, cum omnes tuos viatores morti assignasti. Via ergo es ad vitam, non vita: vera enim es via, sed non plana; aliis longa, aliis brevis; aliis lata, aliis angusta; aliis læta, aliis tristis; omnibus similiter festinans, et irrevocabilis: via es, inquam, via es, sed non omnibus manifesta es; multi enim te vident, sed pauci te viam esse intelligunt. Sic enim subtilis es, et sic seductrix, ut paucorum sit te scire viam. Interroganda ergo es, et non credenda nec vindicanda; transeunda non habitanda, misera humana vita. Nullus enim in via habitat, sed ambulat; ut qui ambulant in via, habitent in patria. Quare ergo tu mortalis vita habitaris, diligeris, vindicaris? Asscita[b] es a perditis, contemneris a sensatis, caveris a salvandis. Timenda itaque es humana vita, et

[a] Circa annum 610. ceu potius 605.

[b] al. *Diligeris a stultis.*

Digitized by Google

multum cavenda; quæ sic fugitiva es, sic lubrica, sic periculosa, sic brevis, sic incerta, ut quasi umbra, aut imago, aut nubes, aut nihil, aut inane, dissolvaris. Dum ergo nihil es; o mortalis vita, nisi viæ imago, fugitiva ut avis, ut nubes incerta, et fragilis ut umbra, ut somnium: sic per te iter agendum est, tam sollicite, tam caute, tam expedite, ut viatorum more ad veram patriam omnibus intelligentibus festinandum sit; de transacto securis, de eo quod restat sollicitatis. Nihil enim tibi prodest ascendere, quod ascenderis, nisi, quod restat, evaseris. Via enim, et ascensus quidam, putanda est vita hæc. Non quæramus in via, quod futurum est in patria. Labor enim et fatigatio in itinere versatur; in patria requies et securitas paratur. Cavendum est itaque nobis, ne forte per viam securi simus, et ad veram nostram patriam non perveniamus. Sunt enim revera nonnulli in hoc itinere securi, desides, lividi: ut non tam in via, quam in patria esse videantur: et non tam voluntarii, quam inviti eunt ad patriam, nimirum jam perditam. Hic enim in via præusi sunt patria, et de brevi vita æternam mortem mercati sunt: infelices de frustrato commercio læti sunt; aliena caduca dilexerunt, et propria æterna neglexerunt. Quapropter quamvis sint læta, quamvis blanda, quamvis sint speciosa, aliena terrena devitemus, ut propria æterna non perdamus. Fideles[c] in alienis inveniamur, ut in propriis ac nostris hæredes efficiamur: donante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

RECENSIO.

De eo Trithemius, in libro de scriptoribus ecclesiasticis. "Ex Hibernia veniens in Galliam et Germaniam; velut olim Druydum princeps, cultus divini et cœnobia auxit et famulos. Cum adhuc junior esset, magnum studium literis sanctis impendit: adeo ut eleganti stylo scripserit. In totum Psalterium commentariorum lib. 1. et quasdam ad fratres epistolas." Inter epistolas vero hanc primum edidit V. CL. Melchior Haiminsfeldius Goldastus, ex vetustissimo codice bibliothecæ monasterii S. Galli; in quo, hoc titulo prænotata legebatur. INCIPIT EPISTULA S. COLUMBANI ABBATIS. quanquam in ea "nul-

[c] Luc. cap. 16. ver. 12.

Digitized by Google

lum apparere epistolici characteris vestigium," recte a viro eruditissimo est observatum : sicut etiam, hinc sermonis sui 49. exordium mutuatum esse homiliarum ad fratres in eremo, quæ inter Augustini opera feruntur, consarcinatorem. Et sane, inter Columbani instructiones seu Homilias XIII. quæ in manuscripto monasterii Bobiensis habentur, hæc ipsa ordine quinta reperitur; indeque descripta, Parisiis a Thoma Messinghamo typis est mandata. Nos vero, ex mutua utriusque editionis collatione, hanc sive epistolam sive homiliam aliquanto emendatiorem hic exhibuimus. " Columbanus magnus ille Hiberniæ Archimandrita, et Bobiensis in Italia celebris Benedictinorum cœnobii institutor et rector universales epistolas ad totius Ecclesiæ viros destinabat. Una mihi suppetit manuscripta ex prædicto monasterio transmissa," inquit Lucas Waddingus Hibernus, annot. in epist. 1. Francisci ad universos Christi fideles.

Digitized by Google

EPISTOLA IV.

Ejusdem Columbani, Rhythmica.

Mundus iste transit, et quotidie decrescit:
Nemo vivens manebit, nullus vivus remansit.
Totum humanum genus ortu utitur pari,
Et de simili vita fine cadit æquali.
Deferentibus vitam mors incerta subripit:
Omnes superbos vagos mœror mortis corripit.
Quod pro Christo largiri nolunt, omnes avari
Importune omittunt: post se colligunt ali[a].
Parvum ipsi viventes Deo dare vix audent:
Morti cuncta relinquunt; nihil de ipsis habent.
Quotidie decrescit vita præsens, quam amant:
Indeficiens manet sibi pœna quam parant.
Lubricum, quod labitur, conantur colligere:
Et hoc, quod se seducit, minus timent credere.
Dilexerunt[b] tenebras tetras magis quam lucem:
Imitari contemnunt vitæ Dominum Ducem.
Velut in somnis regnent, una hora lætantur:
Sed æterna tormenta adhuc illis parantur.
Cœci nequaquam vident quid post obitum restat
Peccatori impio quod impietas præstat.
Cogitare convenit te hæc cuncta, Amice:
Absit tibi amare hujus formulam vitæ.
Omnis[c] caro ut fœnum, flagrans licet florida:
Sicque, quasi flos fœni omnis ejus gloria.
Orto sole arescit fœnum, et flos deperit:
Sic est omnis juventus, virtus cum defecerit.

[a] Id est, *alteri*. [b] Joh. cap. 3. ver. 19.
[c] Esai. cap. 40. ver. 6. 1 Pet. cap. 1. ver. 24. Jacob. cap. 1. ver. 11.

Digitized by Google

Vultus Christi radius præ cunctis amabilis,
Magis diligendus est, quam flos carnis fragilis.
Caveto, Filiole, seminare species,
Quas mox ingredietur non parva pernicies.
Plerique perpessi sunt pœnarum incendia;
Voluntatis lubricæ nolentes dispendia.
Poculum impiissimæ noli tu bibere;
Unde multos plerumque vides lætos ridere.
Nam quoscumque videris ridere inaniter;
Scito in novissimis quod flebunt amariter.
Conspice, Clarissime, sic esse libidinem,
Ut morsum mortiferum, quod vincit dulcedinem.
Noli pronus pergere per vias mortalium:
Quam multis evenisse conspicis naufragium?
Perge inter laqueos cum suspensis pedibus;
Per quos captos cæteros incautos comperimus.
De terrenis eleva tui cordis oculos:
Ama amantissimos angelorum populos.
Beata familia, quæ in altis habitat:
Ubi senex non gemat, neque infans vagiat:
Ubi non esuritur, ubi numquam sititur:
Ubi cibo superno plebs cœlestis pascitur.
Ubi nemo moritur, quia nemo nascitur:
Ubi aula regia [ac] cœlestis pascitur.
Ubi vita viridis veraque est futura:
Quam nec mors, nec mœroris metus, est consumptura.
Læti leto transacto lætum regem videbunt;
Cum regnante regnabunt, cum gaudente gaudebunt.
Tunc dolor, tunc tædium, tunc labor delabitur:
Tunc Rex Regum, Rex mundus, a mundis videbitur.

RECENSIO.

Ex duobus antiquis bibliothecæ Sangallensis monasterii exemplaribus edidit Goldastus: quorum unum *ἀνώνυμον*, alterum auctoris nomen præferebat. Verum et illum et me quoque fugerat, quod a doctissimo episcopo Kilmorensi D. Guilielmo Bedello est animadversum; rhythmis orationem totam contineri. Ut inter ea quæ ad canendum digna Columbanum edidisse scribit Jonas[a] et Sige-

[a] Jonas abbas, in vita S. Columbani, cap. 2.

Digitized by Google

bertus[b], etiam hæc numeranda fuerit epistola. Versus enim sunt parisyllabi omnes, modulationi accommodati: in quibus, elisionum et quantitatis ratione prorsus neglecta, quatuordecim syllabarum numerus studiose est observatus. Unde singulis per στίχους descriptis, paucula quædam a nobis sunt leviter immutata, et tres quoque dempti versiculi, quibus nullus alius simili rhythmo desinens respondere deprehendebatur, nempe post distichon 13um.

Pulchritudo hominum senescens delabitur.

post 23um.

Ubi laudes Domini nulla vox retinet;

vel potius (ut et sensus et numeri syllabarum ratio postulat) nulla vox non recinet. et post 25um.

In qua male resonans, nulla vox audita est.

Hujus generis versus, inter Bonifacii Moguntini epistolas, complures cernuntur, octo syllabarum numero constantes: de quibus (in epistola 65^a^ ad Aldhelmum) ita meminit Ædilwaldus. "Huic nostræ parvitatis epistolæ trina cantati modulaminis carmina, binis generibus digesta subdidimus, &c. quorum tertium non pedum mensura elucubratum, sed octonis syllabis in uno quolibet versu compositis (una eademque litera comparibus linearum tramitibus aptata) cursim calamo perarante caraxatum tibi sagacissime sator[c], transmittens dicavi." nec alius spectandus hic rhythmus. Cujusmodi etiam quid in B. Augustini psalmo contra Donatistas observare licet, in quo versus omnes secunda vocali e terminantur; et in poematis Alcuini col. 1686, 1687.

Simplicibus vero hisce rhythmis successerunt demum versus qui (abinventoris, ut putatur, nomine) Leonini sunt dicti; ex rhythmo pariter et metro constantes utpote, in quibus tum similiter cadentium, tum quantitatis syllabarum ratio est habita. Cujus generis inter primos qui extant, Guilielmi Pictaviensis illi sunt, quos ad epistolam 29^am^ sumus producturi. Hujus generis habentur Metelli (circa ann. 1060.) tomo primo antiq. lect. H. Canisii pag. 174. et inter epigrammata patrum monasterii S. Galli 63 et 65, tomo quinto pag. 734, 785. authore Eckerardo decano S. Galli, qui scripsit vitam Notheri Balbuli tomo sexto pag. 933. et alii MSS. quos habemus Dunstano Cantuariensi archiepiscopo directi.

[b] Sigebert. de script. Eccles. cap. 60.

[c] Pater, ut infra in (ipsius Aldhelmi) epistola XIII.

Digitized by Google

EPISTOLA V.

Ejusdem Columbani ad Hunaldum.

C asibus innumeris decurrunt tempora vitæ:
O mnia prætereunt, menses volvuntur et[a] anni;
L abitur in senium momentis omnibus ætas.
U t tibi perpetuam liceat comprendere vitam,
M olles illecebras vitæ nunc sperne caducæ.
B landa luxuria virtus superatur honesta.
A rdet avaritia cœcaque cupidine pectus.
N escit habere modum vanis mens dedita curis.
V ilius argentum est auro, virtutibus aurum.
S umma quies, nil velle super, quam postulat usus.

H os ego versiculos misi tibi sæpe legendos:
U t mea dicta tuis admittas auribus, oro.
N e te decipiat vana et peritura voluptas.
A spice quam brevis est procerum regumque potestas.
L ubrica mortalis cito transit gloria vitæ.
D a veniam dictis; fuimus fortasse loquaces.
O mne quod est nimium, semper vitare memento.

COLUMBANUS HIBERNUS, HUNALDO DISCIPULO.

Suscipe, Hunalde, libens et perlege mente serena
Dicta Columbanus, fida te voce monentis:
Quæ licet ornatu careant sermonis honesti,
Vota tamen, ventisque piæ testantur amorem.

[a] al. *in annis.*

Digitized by Google

Vive, Deo fidens, Christi præcepta sequendo,
Dum modo vita manet, dum tempora certa salutis.
Tempus et hora volat, momentis labitur ætas.
Despice, quæ pereunt, fugitivæ gaudia vitæ.
Non fragiles secteris opes, et inania lucra:
Nec te sollicitet circumflua copia rerum.
Sint tibi divitiæ, divinæ dogmata legis,
Sanctorumque patrum castæ moderamina vitæ;
Omnia quæ dociles scripserunt ante magistri,
Vel quæ doctiloqui cecinerunt carmina vates.
Has cape, divitias semper contemne caducas:
In mentemque tibi veniat tremebunda senectus;
Quam gelidæ tandem sequitur violentia mortis.
Ultima jam sapiens meditatur tempora vitæ,
Torpentes senio vires, morbosque frequentes,
Incertumque diem lethi, certosque dolores.
Multa senem fragilis vexant incommoda carnis.
Nam macie turpi tabescunt languida membra:
Tunc genuum junctura riget, venasque per omnes
Illius in toto frigescit corpore sanguis;
Sic baculo nitens artus sustentat inertes.
Quid tristes memorem gemitus? quid tædia mentis?
Somnus abest oculis, illum sonus excitat omnis.
Quid tunc argenti, fulvi quid proderit auri
Improba congeries multos collecta per annos?
Munera quid procerum? ditis quid prandia mensæ?
Quid meminisse juvat transactæ gaudia vitæ,
Venerit extremi tandem cum terminus ævi?
Hæc, dum vita volat, vigili qui mente retractat,
Spernit avaritiam, vanosque refutat honores.
Quid modo terrenis mentes intendere curis
Mortales cupiunt? quid turpia lucra sequuntur?
Semper avarus eget nummo, testante poeta,
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.
Indiget inter opes, nec habet quod habere videtur.
Ille domi solus nummos abscondit in arca,
Divitias cumulans: dum sese nescit amare,
Plus amat hæredem, servat cui cuncta fidelis.
O nimium felix, parcus cui sufficit usus,

Digitized by Google

Corporis ut curam moderamine temperet æquo.
Non misera capitur cæcaque cupidine rerum,
Nec majora cupit, quam quæ natura reposcit:
Non lucri cupidus nummis marsuppia replet,
Nec molles cumulat tinearum ad pabula vestes:
Pascere non pingui procurat fruge caballos,
Nec trepido tales volvit sub pectore curas,
Ne subitis pereat collecta pecunia flammis,
Aut fracta nummos rapiat fur improbus arca,
Vivitur argento sine, jam sine vivitur auro;
Nudi nascuntur, nudos quoque terra receptat.
Divitibus nigri reserantur limina Ditis,
Pauperibusque piis cœlestia regna patescunt.
Temnere divitias monuit Salvator avaros:
Quisquis amat Christum, sequitur vestigia Christi.
Nam brevis et fragilis morituræ gloria carnis,
Quicquid habet, rapidi velox fuga temporis aufert.
Pulchre veridici cecinit vox talia vatis,
Tempora dinumerans ævi vitæque caducæ:
Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur.
Alternant elementa vices, et tempora mutant:
Accipiunt augmenta dies noctesque vicissim,
Tempora sunt florum, retinet sua tempore messis:
Sic iterum spisso vestitur gramine campus.
Tempora[b] gaudendi, sunt tempora certa dolendi:
Tempora sunt vitæ, sunt tristia tempora mortis.
Omnia dat, tollit, minuitque volatile tempus.
Ver, æstas, autumnus, hyems, redit annus in annum:
Omnia cum redeunt, homini sua non redit ætas.
Hæc sapiens omni semper reminiscitur hora,
Atque domum luctus epulis præponit opimis.
Ultima nunc humili concludam verba precatu;
Sis memor ipse mei, versus cum legeris istos,
Tempora sic habeas optatæ longa senectæ.

RECENSIO.

Acrostichis utriusque nomen complectens, a Goldasto primum est edita, sed a

[b] Eccles. cap. 3. ver. 4.

Digitized by Google

subsequente epistola divulsa, quam ille ad Sethum quendam scriptum fuisse putavit; fretus authoritate manuscripti Sangallensis, in quo primus versus ita legebatur.

Suscipe, Sethe, libens et perlege mente serena.

Nos vero inscriptionem alteram, quam in prima hujus epistolæ editione ex suis codicibus expressit Georgius Fabricius, vel eo nomine retinendam censuimus; quod non tam ad ipsam acrostichidem, quam ad sequens carmen, illa loquacitatis excusatio referenda videatur:

Da veniam dictis, fuimus fortasse loquaces.

Digitized by Google

EPISTOLA VI.

EJUSDEM COLUMBANI, AD FEDOLIUM.

Accipe, quæso,
Nunc bipedali
Condita versu
Carminulorum
Munera parva:
Tuque frequenter
Mutua nobis
Obsequiorum
Debita redde.
Nam velut æstu,
Flantibus Austris,
Arida gaudent
Imbribus arva;
Sic tua nostras
Missa frequenter
Lætificabit
Pagina mentes.
Non ego posco
Nunc perituræ
Munera gazæ:
Non, quod avarus
Semper egendo
Congregat, aurum:
Quod sapientum
Lumina cœcat,
Et velut ignis
Flamma perurit
Improba corda.
Sæpe nefanda

Digitized by Google

Crimina multis
Suggerit auri
Dira cupido.
E quibus ista
Nunc tibi pauca
Tempore prisco
Gesta retexam.
  Extitit ingens
Causa malorum
Aurea pellis.
Corruit auri
Munere parvo
Cœna Dearum;
Ac tribus illis
Maxima lis est
Orta Deabus.
Hinc populavit
Trojugenarum
Ditia regna
Dorica pubes.
  Juraque legum
Fasque fidesque
Rumpitur auro.
Impia quippe
Pigmalionis
Regis ob aurum
Gesta leguntur.
Sic Polydorum
Hospes avarus
Incitus auro
Fraude necavit.
  Fœmina sæpe
Perdit ob aurum
Casta pudorem.
Non Jovis[a] auri
Fluxit in imbre:
Sed quod adulter

[a] Casus recti ἀρχαϊκῶς.

Digitized by Google

Obtulit aurum
Aureus ille
Fingitur imber.
Amphiaraum
Prodidit auro
Perfida conjunx.
Hectoris heros
Vendidit auro
Corpus Achilles.
Et reserari
Munere certo
Nigra feruntur
Limina Ditis.
Nunc ego possem
Plura referre,
Ni brevitatis
Causa vetaret.
Hæc tibi, Frater
Inclyte, parva
Litterularum
Munera mittens,
Suggero vanas
Linquere curas.
Desine, quæso,
Nunc animosos
Pascere pingui
Farre caballos:
Lucraque lucris
Accumulando,
Desine nummis
Addere nummos.
Ut quid iniquis
Consociaris,
Munera quorum
Crebra receptas?
Odit iniqui
Munera Christus.
Hæc sapienti
Despicienda,

Digitized by Google

Qui fugitivæ
Atque caducæ
Cernere debet
Tempora vitæ.
  Sufficit autem
Ista loquaci
Nunc cecinisse
Carmina versu.
Nam nova forsan
Esse videtur
Ista legenti
Formula versus.
Sed tamen illa
Trojugenarum
Inclyta vates
Nomine Sappho,
Versibus istis
Dulce solebat
Edere carmen.
  Si tibi cura
Forte volenti
Carmina tali
Condere versu,
Semper ut unus
Ordine certo
Dactylus istic
Incipiat pes:
Inde sequenti
Parte trochæus
Proximus illi
Rite locetur.
Sæpe duabus
Claudere longis
Ultima versus
Jure licebit.
  Tu modo, Frater
Alme Fedoli,
Nectare nobis
Dulcior omni,

Digitized by Google

Floridiora
Doctiloquorum
Carmina linquens,
Frivola nostra
Suscipe lætus.
Sic tibi Christus,
Arbiter orbis,
Omnipotentis
Unica proles,
Dulcia vitæ
Gaudia reddat:
Qui sine fine,
Nomine[b] Patris
Cuncta gubernans
Regnat in ævum.

Hæc tibi dictaram morbis oppressus acerbis,
Corpore quos fragili patior, tristique senecta.
Nam dum præcipiti labuntur tempora cursu,
Nunc ad Olympiadis ter senos[c] venimus annos.
Omnia prætereunt, fugit irreparabile tempus.
Vive, vale lætus, tristisque memento senectæ.

RECENSIO.

Ex MSS. bibliothecæ monasterii S. Galli, anno 1604. a M. Goldasto et Henr. Canisio edita. Versibus autem bipedalibus Adonicis est conscripta: elisionis syllabarum occasione omni diligenter evitata, ut carmen esset constanter πενταστύλλαβον, eoque ad cantum magis apte conveniret. Annexi sunt et Hexametri sex: in quorum antepenultimo ætatem suam author ita indicat.

Nunc ad Olympiadis ter senæ venimus annos,

vel pluraliter potius, Olympiadum ter senum. Ut ista scripserit Columbanus, annum agens vel LXXII. si quatuor, vel XC. si quinque annorum spatio (Latinorum quorundam more) Olympiadicam periodum definiamus. Videtur esse Fedolius presbyter Trecensis abbas, de quo videnda. Promptuar. Antiquit. Tricassinæ diœcesis Nicolai Camusatii, fol. 340, 341. et tom. 1. Hist. Francor. ab Andrea du Chesne edit. pag. 552, 553. quem Martyrologii Adonis interpretator ad 17. kalend. Junii confratrem Brendani abbatis fuisse indicat.

[b] al. *Numine.*

[c] al. *ter senæ.*

Digitized by Google

EPISTOLA VII.

LAURENTII DOROBORNENSIS ARCHIEPISCOPI, AD SCOTOS, HIBERNIÆ INCOLAS.

Dominis, charissimis fratribus, episcopis vel abbatibus per universam Scotiam ; Laurentius[a], Mellitus et Justus episcopi, servi servorum Dei.

Dum nos sedes apostolica more suo, sicut in universo orbe terrarum, in his occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis dirigeret; atque in hanc insulam, quæ Britannia nuncupatur, contigit introisse: antequam cognosceremus, credentes quod juxta morem universalis Ecclesiæ ingrederentur, in magna reverentia sanctitatis tam Britones quam Scotos venerati sumus. Sed cognoscentes Britones, Scotos meliores putavimus. Scotos vero per Daganum episcopum in hanc quam superius memoravimus insulam, et Columbanum[b] abbatem in Galliis venientem, nihil discrepare a Britonibus in eorum conversatione didicimus. Nam Daganus episcopus ad nos veniens, non solum cibum nobiscum, sed nec in eodem hospitio quo vescebamur sumere voluit.

Cætera, quæ de legitimo observandi Paschatis tempore sequebantur, desiderantur.

[a] Circa annum 614. ceu potius 609. prius quam Mellitus Romanæ interfuisset synodo anno 610. habitæ (ut ex Beda liquet lib. 2. cap. 4.) et post annum 608. quo Augustinum Laurentii antecessorem vita functum docent Sigebertus Gemblacensis et Matthæus Florilegus; licet Guilielmus Malmesburiensis initio libri primi de pontificibus annos 15 vel 16 Augustino tribuens ad annum 613. cum D. Henrico Savilio vitam ejus producat.

[b] cujus jam proxime præcesserunt epistolæ, et quem isti ad Augustino auxiliandum anno 601. a Gregorio missi (ut ex Beda lib. I. cap. 29. et ipsius Gregorii Regest. lib. 9. Epist. 52, 55, 56. liquet) per Galliam transeuntes inviserunt.

Digitized by Google

RECENSIO.

Desumptum est hoc epistolæ hujus principium ex Bedæ Historiæ ecclesiasticæ libro 2. cap. 4. ubi et reliquæ partis, quæ desideratur, argumentum ita enarratum invenitur. Laurentius "non solum novæ, quæ de Anglis erat collecta, Ecclesiæ curam gerebat; sed et veterum Britanniæ incolarum, nec non et Scotorum, qui Hiberniam insulam Britanniæ proximam incolunt, populis pastoralem impendere sollicitudinem curabat. Siquidem ubi Scotorum in præfata ipsorum patria, quomodo et Britonum in ipsa Britannia, vitam ac professionem minus ecclesiasticam in multis esse cognovit; maxime quod Paschæ solennitatem non suo tempore celebrarent, sed a decimaquarta luna usque ad vicesimam Dominicæ resurrectionis diem observandum esse putarent: scripsit cum coepiscopis suis exhortatoriam ad eos epistolam; obsecrans eos et contestans, unitatem pacis et Catholicæ observationis cum ea quæ toto orbe diffusa est Ecclesia Christi tenere." De eodem etiam Laurentio, in vita ejus a Gotcelino Bertiniano descripta, hæc pertexitur narratio. "Fama ejus transvolante maria, quia lux in candelabro et civitas in monte nequit abscondi; sanctus Terenanus archipontifex Hiberniæ ad eum transiit, vir tantæ sanctitatis, ut tres mortuos suscitasse perhibeatur. Qui audiens beatam Laurentium de Paschæ observatione aliisque apostolicis institutionibus mutuo conventu disputantem, dedit manus veritati; suosque discipulos (indignantes quod tam divinus vir tali advenæ subjaceret) ad veritatis lineam, suo exemplo, cum sua gente correxit;" vel potius, ut Johannes Tinmuthensis, et ejus exscriptor Johannes Capgravius, rem narrat, "suam gentem in posterum corrigere satagebat."

Digitized by Google

EPISTOLA VIII.

S. Livini[a] episcopi et martyris, ad Florbertum abbatem monasterii S. Bavonis.

Audeo mira loqui; solem sine lumine vidi,
Est sine luce dies, sic sine pace quies.
Hos postquam populos conspexi luce serena;
Sol mihi non luxit, nox fuit una mihi.
Impia Barbarico gens exagitata tumultu
Hic Brachanta furit, meque cruenta petit.
Quid tibi peccavi, qui pacis nuntia porto?
Pax est quod porto; cur mihi bella moves?
Sed qua tu spiras feritas sors læta triumphi,
Atque dabit palmam gloria martyrii.
Cui credam novi, nec spe frustrabor inani:
Qui spondet Deus est, quis dubitare potest?
Attamen est aliquid mœstæ solatia menti
Quod dat, nec penitus me premit atra dies.
Gauda parat gremium, quo me fovet ubere læto;
Invitat, mulcet, nutrit, amat, refovet.
Hic est Florbertus, quem virtus flore perornat,
Cui probitas floret, flos probitate viget.
Forma gregis, decus Ecclesiæ, concordia fratrum;
Ipse suis medicus, et medicina sibi.
Quid referam pietatis opus? quod me peregrinum
Obsequiis lætis dum fovet, addit onus.
Sufficeret fratrum fratrem dixisse Livinum;
Pontificis nomen pergravat et Domini.
Egressus patriam, pompæ mortalis honorem
Sprevi, devovi, spes Deus una mihi.
Attamen inveniet quod Christo sedulus offert,
Quod sic sum pauper, hoc sibi nil minuet.

[a] Anno Christi 633.

Digitized by Google

Plus aliquid præstat absenti munere largo;
Præsens continuis me fovet obsequiis.
Hæc quoque dum scribo, properans agitator aselli
Munere nos solito, pondere lassus, adit.
Ruris delicias affert, cum lacte butyrum,
Ovaque caseoli plena canistra premunt.
Hospita quid restas? effer jam sedula gressum;
Collige divitias, quæ modo pauper eras.
Fervet olus siccum, sed nunc condire licebit:
Ollula dura prius, uncta suavis erit.
Holtam[b] villa gravis, quæ nescis reddere fructum;
Urticas, lappas, cur bene culta refers?
Hoc est quo recreor, quod habet paupercula tantum
Hospita quod mittit vel mihi Ganda boni.
Et pius ille pater cum donis mollia verba
Mittit, et ad studium sollicitat precibus.
Ac titulo magnum jubet insignire Bavonem;
Atque leves elegos esse decus tumulo.
Nec reputat, fisso cum stridet fistula ligno,
Quod soleat raucum reddere quassa sonum.
Exigui rivi pauper quam vena ministrat
Lasso vix tenues unda ministrat opem.
Sic ego, qui quondam studio florente videbar
Esse poeta, modo curro pedester equo.
Et qui Castalio dicebar fonte madentem
Dictæo versu posse movere Lyram:
Carmine nunc lacero dictant mihi verba Camœnæ;
Mensque dolens, lætis apta nec est modulis.
Non sum qui fueram festivo carmine lætus:
Qualiter esse queam, tela cruenta videns?
Nec quid agam novi: mentis timor iste procacis
Quem rogo non lædat, par dare nolle pari?
Officio certare pari si nempe recuso;
Pecco quod magnis reddere parva moror.
Magna mihi præstat supplex qui parvula poscit;
Et tamen invenior tardus ad officium.

[b] Bonifacio in vita Livini, fundus qui veteri vocabulo Holthem dicitur, hodie Hauthem pagus territorii Alostensis, tertio milliari a portu Ganda, sive Gandavo positus.

Digitized by Google

Accingar studio, quamvis non viribus æquis:
Est non posse leve, non renuisse bonum.
Ergo tibi titulum scribens, sanctissime Bavo,
Qui volo quod nequeo, quod valeo facio.

EPITAPHIUM SANCTI BAVONIS.

Qui patriæ rector, spes gentis, gloria regni;
Magnorum primus qui modo magnus eras.
Non quia magnus eras, te gloria magna beatum,
Sed contempta decus gloria magna facit.
Pro Christo pauper, despectus, vilis, egensque
Et Christi famulis nunc caput atque decus.
Defunctum revocans, qui morti jura tulisti,
Monstras quippe tibi jura patere poli.
Quam tu fundasti, quæ te tenet, inclyte Bavo,
Ecclesiam meritis protege sancte tuis.
Hæc, Florberte pater, Livinus carmina mittens,
Inscriptum lateri munus habere dedi:
Ut cum vastatus fiet locus ille ruina,
Carmina conservet obrutus ista lapis.

RECENSIO.

De eo Christianus Massæus Cameracensis, chronicorum libro 13. ad annum Christi 633. "S. Livinus natione Scotus, archiepiscopus Hiberniæ, Gandavum venit cum tribus discipulis, 16. Julii, Indict. 6. Mansit illic mense uno. Deinde profectus ad Escam, prædicavit Christum, multos convertit. Quidam vero indurati occiderunt eum, 12. Novembris ejusdem anni." Johannes Balæus (neutiquam vero uti Dempsterus putavit, ipse Massæus) Hiberniam, sylvestrem Scotiam (sive Montanam Albaniam) perperam interpretatur. De hoc vero Livini scripto subjicit: "Epitaphium Allowini Bavonis Austrasiorum ducum hæredis, qui illum Gandavi per annum unum (vel juxta Massæum, biennium potius) morte præcesserat, Latine et docte edidit." de quo etiam Molanus, in Natalibus sanctorum Belgii, ad diem primum Octobris. "Florberto abbati in sancti Bavonis memoriam elegiacum carmen transmisit:" Hos autem S. Livini elegos, ex manuscripto Corssendonekano ab Heriberto Rosweydo descriptos, communicavit mihi D. Rothæus, patriarum antiquitatum indagator diligentissimus, quorum duo disticha postrema ad epistolæ epilogum referenda sunt, non ad interjectum epitaphium S. Bavonis.

Digitized by Google

Anno 614. Allowinus, qui et Bavo, per S. Amandum Elnonensem ex prædone conversus et Gandavi solitarie reclusus, sanctitatis exemplum erat omnibus. (Sigebert. in chron. ann. 618.) Sancto Amando Elnonem migrante, Florbertus abbas ordinatur. (Addit. ad Sigebert. in Lipsii MS°) Ann. 630. obiit sanctus Bavo. (Sigebert.) Ann. 633. Amandus Trajectensis episcopus ordinatur. S. Livinus episcopus in Brabanto ab impiis occiditur. (Addit. ad eund.) Ann. 639. obiit S. Flobertus abbas : cui successit Joannes abbas. (Addit. in MS° Lipsii).

Digitized by Google

EPISTOLA IX.

ROMANI CLERI, AD CLERUM HIBERNICUM.

Doctissimis[a] et sanctissimis, Tomiano, Columbano, Cromano, Dimao, et Balthano episcopis; Cromano, Ernianoque, Laistrano, Scellano, et Segeno presbyteris; Sarano, cæterisque doctoribus seu abbatibus Scotis: Hilarus archipresbyter et servans locum sanctæ sedis apostolicæ, Johannes diaconus et in Dei nomine electus[b], item Johannes primicerius et servans locum sanctæ sedis apostolicæ, et Johannes servus Dei consiliarius ejusdem apostolicæ sedis.

[Ad[c]] scripta, quæ perlatores ad sanctæ memoriæ Severinum papam adduxerunt, (hac de luce eo migrante) reciproca responsa, et ad ea quæ postulata fuerant, siluerunt. Quibus reseratis, ne diu tantæ quæstionis caligo indiscussa remaneret, reperimus quosdam provinciæ vestræ, contra orthodoxam fidem, novam ex veteri hæresim renovare conantes; Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, et quartadecima luna cum Hebræis celebrare nitentes.

* * * * * * * * * * * * *

Et[d] hoc quoque cognovimus, quod virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuo reviviscit; quod omnino hortamur, ut a vestris mentibus hujusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda hæresis damnata est, latere vos non debet: quia non

[a] A. C. 639. ceu potius 640. post IV. nonas Augusti.

[b] Severini in Romano episcopatu, tum vacante, successor designatus.

[c] Præpositio hæc, sensus explendi causa, ex conjectura est adjecta.

[d] Interciderunt sequentia, quibus docebatur, Dominicum Paschæ diem a quintadecima luna usque ad vicesimam primam (juxta Nicænæ synodi statuta) inquirendum esse.

Digitized by Google

solum per istos ducentos annos abolita est, sed et quotidie a nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur; et hortamur, ne quorum arma combusta sunt, apud vos eorum cineres suscitentur. Nam quis non execretur superbum eorum conamen et impium, dicentium, posse sine peccato hominem existere ex propria voluntate, et non ex gratia Dei? Et primum quidem blasphemiæ stultiloquium est dicere, esse hominem sine peccato, quod omnino non potest, nisi "unus[e] mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus," qui sine peccato est conceptus et partus. Nam cæteri homines cum peccato originali nascentes, testimonium prævaricationis Adæ (etiam sine actuali peccato existentes) portare noscuntur, secundum prophetum dicentem: "Ecce[f] enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis peperit me mater mea."

RECENSIO.

Anno Christi DCXL. sede Romana per mortem Severini pontificis vacante[g], scriptæ sunt istæ literæ. De quibus, et consimilibus aliis ante paucos annos ad eosdem Hibernos ab Honorio papa missis, ita scribit Beda lib. 2. histor. ecclesiast. cap. 19. "Misit papa Honorius literas genti Scotorum, quos in observatione sancti Paschæ errasse compererat, solerter exhortans, ne paucitatem suam in extremis terræ finibus constitutam, sapientiorem antiquis sive modernis, quæ per orbem erant, Christi Ecclesiis æstimarent; neve contra Paschales computos et decreta synodalium totius orbis pontificum aliud Pascha celebrarent. Sed et Johannes, qui successori ejusdem Honorii Severino successit, cum adhuc esset electus in pontificatum, pro eodem errore corrigendo literas eis magna autoritate atque eruditione plenas direxit: evidenter astruens, quia Dominicum Paschæ diem a quintadecima luna usque ad vicesimam primam lunam (quod in Nicæna synodo probatum est) oportet inquiri. Nec non et pro Pelagiana hæresi (quam apud eos reviviscere didicerat) cavenda ac repellenda, in eadem illos epistola admonere curavit." Deinde epistolam hanc adjungit: sed quæ de ratione Paschalis observantiæ in ea sunt exposita prætermittit. Quod et in superioribus Laurentii Cantuariensis ad Hibernos literis, et in aliis Vitaliani Romani pontificis ad Oswium Nordanhumbrorum regem (quas penultimo 3. libri capiti inseruit) ab eo factum videmus, qui posteriorum illarum defectus ex antiquissimis fortasse Whitbiensis cœnobii schedis aliquo modo suppleri poterit; in quibus, præfixo titulo Vitalini (Vitaliani haud dubie) papæ urbis Romæ, subjectum repperi. "Nunquan enim celebrare [debemus] sanctum Pascha, nisi secundum apostoli-

[e] 1 Tim. cap. 2. ver. 5.

[f] Psal. 51. ver. 7.

[g] Vide Baron. ann. 639. sect. 10 et Dempster. de singulis quorum in ἐπιγραφῇ fit mentio.

Digitized by Google

cam et catholicam fidem, ut in toto orbe celebratur a Christiana plebe; id est, secundum apostolicam regulam CCCXVIII. sanctorum patrum, ac computum sancti Cyrilli et Dionysii. Nam in toto terrarum orbe sic Christi una columba, hoc est, Ecclesia immaculata, sanctum Paschæ resurrectionis diem celebrat. Nam Victoris[a] sedes apostolica non adprobavit regulam Paschæ, ideo nec sequitur dispositionem ejus pro Pascha."

[a] Potius *Victorii*.

Digitized by Google

EPISTOLA[a] X.

S. GALLI[b] HIBERNI, AD DESIDERIUM CADURCENSEM EPISCOPUM.

Domino semper suo, et apostolico patri, Desiderio papæ, Gallus peccator.

Dum talis nuntius de clade a Massilia venit, quod omnem pene provinciam depopulans vastet; Dominus ordinet custodias mittere, et nullus de Cadurcino ad istas ferias in Rutenico, vel vicinas urbes præsumat exire, ne, quod absit, per quamlibet occasionem tantum malum in urbem vestram videatur inferre. Nam per ista contigua illis partibus loca custodiæ positæ sunt; ut nullus emendi aut vendendi aditum penitus habeat; si non sollicite cogitabitis prævidere, periculum mortis instat. Præterea debita veneratione salutem mittens, quæso ut in sanctis precibus vestris parvitatem nostram memorare dignemini, Domine, verius pater.

[a] Vel. potius Oratio S. Galli Hiberni ad Constantienses.

[b] C. A. 640. ceu potius 615. anno 640 eum obiisse notat Balæus annorum 95. Vid. Waræum de script. Hiberniæ pag. 25. ubi anno 635. illum obiisse notat, cum 625. potius dicendum esset; siquidem decimo anno post mortem Columbani discipulus ejus Gallus mortuus fuerit, ut ex vita S. Magni a Theodoro Campidonensi descripta (pag. 62. et 13.) colligitur.

RECENSIO.

"Scotia quondam bruta, nunc in Christo prudentissima, nobis lumen nostrum primitivum destinavit Kilianum, Burgundis Columbanum, Alamannis Gallum:" inquit Egilwardus, prologo in vitam S. Burchardi, et Georg. Wicelius, in vita

Digitized by Google

Kiliani: "Ex Hibernia, hoc est Scotus natus; sicut Columbanus quoque et Gallus." A Gallo nostro, urbs et monasterium sancti Galli in Helvetia nomen accepit. Ejus vita a Walafrido Strabo abbate Augiensi est descripta, et à Melch. Goldasto annotationibus illustrata; in quibus, ex vetere quodam codice, ista ad maternum Galli genus pertinentia producuntur. "Fertur, prout a quodam Hibernico ore accepi, quod mater S. Galli regina fuerit ex Ungaria, et genuit cum viro XXI. filios et III. filias. Requiescit ejus sacrum corpus in oppido Formalin, in monasterio S. Benedicti, sito in quodam monte, habente ad latera montis torrentes duos: unus vocatur Dun, alius Lin appellatur. Super eodem monte situm est oppidum præfatum in Hibernia." Hæc vero Galli epistola, inter alias ad Desiderium datas, ab Henr. Canisio tomo 5. antiquæ lectionis, et Marquardo Frehero in corpore Francicæ historiæ scriptorum, est edita.

Digitized by Google

EPISTOLA XI.

CUMMIANI[a] HIBERNI, AD SEGIENUM HUENSEM ABBATEM, DE CONTROVERSIA PASCHALI.

IN NOMINE DIVINO DEI SUMMI CONFIDO.

Dominis sanctis et in Christo venerandis, Segieno abbati Columbæ sancti et cæterorum sanctorum successorum, Beccanoque solitario, charo carne et spiritu fratri, cum suis sapientibus; Cummianus supplex peccator, magnis minimus, apologeticam in Christo salutem.

VERBA excusationis meæ in faciem sanctitatis vestræ proferre procaciter non audeo: sed excusatum me habere vos, ut patres, cupio; testem Deum invocans in animam meam, quod non contemptus vestri gratia, nec fastu moralis sapientiæ, cum cæterorum despectu, solemnitatem festi paschalis cum cæteris sapientibus non suscepi. Ego enim primo anno, quo cyclus quingentorum triginta duorum annorum a nostris celebrari orsus est, non suscepi, sed silui: nec laudare, nec vituperare ausus; utpote Hebræos, Græcos, Latinos, (quas linguas, ut Hieronymus ait, in crucis suæ titulo Christus consecravit) superare minime in scientia me credens: deinde apostolum interrogans dicentem, "Omnia[b] probate, quod bonum est tenete;" antequam gustarem, non fastidivi. Hinc per annum secretus sanctuarium Dei ingressus, hoc est, scripturam sacram, ut valui, involvi[c]; deinde historias, postremo cyclos, quos invenire potui.

Et inveni primum in Exodo de primo mense esse inquirendum secundum Hebræos. Scriptum est enim: "Mensis[d] iste vobis initium mensium, primus erit in mensibus anni."

[a] A. C. 634.
[b] 1 Thess. cap. 5. ver. 21.
[c] forsan *evolvi*, ut conjicit Bedellus, doctiss. episc. Kilmor.
[d] Exod. cap. 12. ver. 2.

Digitized by Google

Et in sequentibus: "Decima[e] die mensis hujus accipiet unusquisque agnum per familias et domos suas, et servabitis eum usque ad decimam quartam diem mensis hujus," id est, primi mensis: "immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel, ad vesperam." Et inveni hoc apostolum de immolatione Christi, non de resurrectione commemorasse dicentem; "Etenim[f] Pascha nostrum immolatus est Christus." Item in Exodo: "Et[g] custodietis diem istum in generationes vestras ritu sempiterno," primo mense, quartadecima die mensis. In Levitico quoque: "Si[h] quis et mundus est, et in itinere non fuit, et tamen non facit Phase; exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit in tempore suo," hoc est in primo mense. Hoc timui, et inquisivi diligenter quid Hebræi, quid Græci, quid Latini, quid Ægyptii de hoc tempore servarent et sentirent: quod in sequentibus demonstrabo.

Item in Exodo: "Septem[i] diebus comedetis azyma usque ad diem XXI." et in tractatibus diligenter investigavi, quid sentirent de XXI. eruditissimi viri; quod Hieronymus pulcherrime explanat, dicendo: "Pascha immolat populus, et alias celebrat festivitates; omnis ejus solennitas die finitur octavo: prima dies in azymis XIV. dies octava XXI." Item in libro quæstionum: "A XIV. luna, quæ nobis secundum legem prima est, rationem Paschæ observemus. Omnia enim plena Deus instituit: ideo a XIV. luna usque in XXI. his VII. diebus Pascha nobis celebrare concessum est; ut de his VII. aliqui dies a parasceve usque ad resurrectionem concludantur: ut neque XIII. in passione sit, neque XIV. aut XII. in resurrectione: ne ante primam secundum nos lunam passio Christi sit, neque resurrectio ejus in primo die quo cœptus est mundus." Hæc, 86. quæstione. Item, 91. "Apostolus[k]," inquit, "falli non potuit, qui ait; *Pascha nostrum immolatus est Christus:* quod non suum utique sed legis est verbum, dicente Moyse; *Et*[l] *erit cum dicent*

[e] Exod. cap. 12. ver. 3, 6.
[f] 1 Cor. cap. 5. ver. 7.
[g] Exod. cap. 12. ver. 17.
[h] Num. cap. 9. ver. 13.
[i] Exod. cap. 12. ver. 15.
[k] 1 Cor. cap. 5. ver. 7.
[l] Exod. cap. 12. ver. 26, 27.

Digitized by Google

vobis filii vestri, Quæ est deservitio hæc? et dicetis, immolatio est, hoc Pascha Domini est. Quid amplius necessarium ad testimonium? Lex loquitur, apostolus probat, hoc superest ut contradictor abjiciatur ut pervicax. Manifestum est enim transitum post Pascha fuisse. Sanguis igitur salutem præstitit, non transitus: quia ut transitus non noceret, obsistit sanguis." Hoc timui, et me perculit. Item perscrutans inveni, et Origenem chalcenterum et vere adamantinum dicentem: " Est quidem solennis dies in mense primo, alia solennitas Paschæ, alia solennitas azymorum; licet juncta videatur azymis. Principium namque azymorum ad fidem Pascha conjungitur: Pascha autem ipse solus dies appellatur, in quo agnus occiditur; reliqui vero azymorum septem dies appellantur;" sic enim dicit: " Facies solennitatem azymorum septem diebus."

Deinde evangelio inveniemus[m]. Inveni Dominum meum Jesum Christum dicentem: " Desiderio[n] desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar;" quod Hieronymus explanat: " Finem," inquiens, " carnali festivitati volens imponere, umbraque transeunte Paschæ reddere veritatem, complens legem, sicut dixit; *Non[o] veni solvere legem sed adimplere*," hoc est, addere. Unde ad passionem veniens, vetusque consummans testamentum et novum inchoans, quinta feria, luna XIV. primi mensis (qui est apud Hebræos Nisan, apud Macedones Spantoriacos, apud Ægyptios Parmothi; qui apud Latinos interdum Martii, interdum Aprilis obtinet partem) vespera procedente, accepto pane gratias egit, benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens; " Hoc est corpus meum," et reliqua. Item, " Hic[p] calix novum testamentum in meo sanguine." Mane autem facto, sextæ videlicet feriæ, consilium inierunt omnes principes sacerdotum: altera autem die, hoc est, Sabbato luna XV. convenerunt principes et munierunt sepulcrum. Una autem Sabbati, luna XVI. solutis gemitibus inferni, surrexit a mortuis. Post vero dies octo, luna XXIII. venit et stetit in medio discipulorum,

[m] Forsan, ut conjicit doctiss. Bedellus, *Ad evangelium accedens, inveni*, &c.
[n] Luc. cap. 22. ver. 15.
[o] Matth. cap. 5. ver. 17.
[p] Luc. cap. 22. ver. 19, 20.

Digitized by Google

ostendit manus et pedes et latus, et dixit, " Pax[q] vobiscum." Die autem XL. post resurrectionem, a sextadecima videlicet luna, non a quartadecima, eduxit discipulos suos usque in Bethaniam, et elevans manus suas benedixit eos, et elevatus est in cœlum. Et[r] cum complerctur quinquagesimus dies (a resurrectione scilicet in XVI. luna, non a passione in XIV.) Spiritus sanctus super apostolorum singulos sicut ignis sedit. Unde orientalis tota Ecclesia tres hebdomadas tribus sacratissimis solennitatibus Domini nostri Jesu Christi venerabiliter, id est, passioni, sepulturæ, resurrectioni deputaverunt: passioni a XIV. in XX. sepulturæ a XV. in XXI. resurrectioni a XVI. in XXV. lunam; septimanam pro reverentia Dominici diei consecrans. Quia si XIV. luna resurrectioni deputetur, ut vos facitis : XIII. in sepultura, et XII. in passione præpostero ordine fiet.

Hac de re synodis in unum congregatis ob diversitatem successorum apostolorum (dum apostoli undique pressuris, ut legimus, acti et diversis limitibus sparsi ordinare cyclum regulariter nequiverunt) id est sancti Petri claviculari et sancti Johannis petalici, alterius in circumcisionem, alterius in præputium prædicantis; inveni scriptum, excommunicandos et de Ecclesia pellendos et anathematizandos eos, qui contra statuta canonica quaternæ sedis apostolicæ (Romanæ videlicet, Hierosolymitanæ, Antiochenæ, Alexandrinæ) veniunt concordantibus his in unitate Paschæ. Nicæna etiam synodus trecentorum decem et octo episcoporum est adjuncta, judicantium de observatione Paschæ antiquum canonem observandum; per quem nulla de reliquo orietur Ecclesiis diversitas, omnibus rite dispositis, et Ecclesiarum pax et fides (inquierunt) in orientis et occidentis partibus una atque eadem servaretur. Item Arelatensi synodo sexcentorum episcoporum confirmante primo in loco de observatione Paschæ, ut uno die et uno tempore per totum orbem terrarum a nobis conservetur: ut universalis Ecclesia uno ore, juxta apostolum, honorificet Dominum unum. Unde cavendum est, ut Hieronymus ait, " ne

[q] Johan. cap. 20. ver. 26. [r] Act. cap. 1. ver. 1.

Digitized by Google

extra unam domum, contra præceptum legis, id est, extra Ecclesiam universalem agnum typicum comedamus. Ex quo manifestum est (inquit) quod Judæi et hæretici et omnia conventicula dogmatum perversorum, qui agnum in una Ecclesia non comedunt, non eos agni carnes comedere, sed[s] draconis qui datus est, juxta Psalterium, in escam populis Æthiopibus."

Et hoc vereor, sed vos considerate quæ sunt conventicula quæ dixi: utrum Hebræi et Græci et Latini et Ægyptii simul in observatione præcipuarum solennitatum uniti; an Britonum Scotorumque particula, qui sunt pene extremi, et, ut ita dicam, mentagræ orbis terrarum; hoc mihi judicate. "In[t] quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis:" et in periculo vestro hoc pendet. Vos enim estis capita et oculi populi: qui si in errorem per vestram obstinatiam inducetur; reddetis stricto judici rationem de uniuscujusque, juxta Ezechielem, "sanguine[u] animæ." Seniores vero nostri, quos in velamine repulsionis habetis, quod optimum in diebus suis esse noverunt simpliciter et fideliter sine culpa contradictionis ullius et animositatis observaverunt, et suis posteris sic mandaverunt; juxta apostolum: "Omnia[w] probate, quod bonum est tenete; ab omni specie mala abstinete vos." Sed vereor ne accidat vobis ut universalis Ecclesiæ Catholicæ unanimem regulam malam speciem fore judicetis: quod absit. Quid plura? venio ad apostolum item dicentem: "Fratres[x], nemo vos seducat in parte diei festi, aut neomenia aut sabbato; quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi," quod venerandæ memoriæ sanctus Augustinus pulchre explanat. "Dies festus," inquiens, "Pascha est, juxta evangelistam Lucam, dicentem; Appropinquabat[y] autem dies festus azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha." Pascha occiditur, veritas vivificatur. Pars autem diei festi, XIV. luna, non totus dies, in qua seducimur, sed in parte, et sabbato

[s] Psalm. 74. ver. 14.
[t] Matth. cap. 7. ver. 3.
[u] Ezech. cap. 3. ver. 18, 20. et cap. 33. ver. 8.
[w] 1 Thess. cap. 5. ver. 21, 22.
[x] Coloss. cap. 2. ver. 16, 17.
[y] Luc. cap. 22. ver. 1, 7.

Digitized by Google

otioso, et neomenia buccinata: quæ sunt umbra, non corpus Christi. Umbra occiditur: veritas vivificatur.

Et hoc obsecro diligenter inspicite: ut mihi ignoscatis, vel me dirigatis, verbis vestris vel scriptis fortioribus et certioribus prolatis, ad aliud melius intelligendum, si habetis; et ego suscipiam gratanter, ut hoc suscepi. Si vero non habetis; silete, et nolite nos hæreticos vocare. Scriptum est enim: "Væ[z] qui dicitis bonum malum, et malum bonum; ponentes tenebras lucem, et lucem in tenebras." Diei enim sumus filii, non noctis neque tenebrarum; et cavere debetis quod de aliis dicitur: "Mortificabant[a] animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt." Non ergo nos vos odimus, sed nos veris defendimus. Hieronymus item adest auxiliator, dicens: "Non[b] est alia Romanæ urbis Ecclesia, alia totius orbis æstimanda est. Et Galliæ, Britanniæ, Africæ, et Persis et Oriens et India, et omnes barbaræ nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si auctoritas, quæritur; orbis major est urbe; episcopus Romæ, sive Alexandriæ, &c." et post aliquanta: "Hinc," inquit, "præsidiis[c] fulta mundi Arriana fremit rabies: hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere festinat monachorum chorum circa commorantium. "Antiqua," inquit, "in me insurgit auctoritas. Ego interim clamito: si quis cathedræ sancti Petri jungatur, meus est ille." Aut ergo duo mentiuntur; aut omnes. Angustiæ mihi undique. Si ego hoc clamavero cum Hieronymo, divinarum Scripturarum interprete et omnium hæreticorum impugnatore; a vobis impugnor: si non clamavero, ab universali Ecclesia Catholica excommunicor, cui alligandi solvendique auctoritas a Deo data est.

His perscrutatis, venio ad Cyprianum, totum, ut aiunt, sumendum; et invenio illum pene omnium de unitate Ecclesiæ gravissimum: qui ait: "Ab uno patre et ab una matre in hunc mundum venimus, et sic in futurum veniemus." Qui[d] non habet unam matrem in terra, nec unum patrem

[z] Esai. cap. 5. ver. 20. [a] Ezech. cap. 13. ver. 19.

[b] Hieronym. epist. 85. ad Euagrium.

[c] Id. epist. 58. ad Damasum. Ibid.

[d] Habere jam non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem. Cyprian. de Unitat. Eccles.

Digitized by Google

habebit in cœlo. Ideo post confessionem Trinitatis, in qua est Pater cum Filio et Spiritu sancto, subsequitur unius matris pia confessio, dicens sanctam esse Ecclesiam Catholicam. Cur unus Adam fingitur, et una Eva de latere tollitur et in mulierem formatur? Nonne secundum apostolum "mysterium[e] magnum est in Christo, et in Ecclesia?" Non est ergo altera Christi de latere, sed una est formata. Unde unus est in latere Christi Jesu lancea militis mysticus locus, de quo exiit[f] aqua et sanguis: quæ duo in signa unius Ecclesiæ. Unde una arca servatur in diluvio, nec altera; "si[g] potuit evadere quisquam [qui fuit extra arcam] Noe; et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadet." Unde unum tabernaculum in monte Moysi et exemplar ostensum est. Unde unus locutus est apud Deum, in quo Moyses extrema manus supremæ vidit, dicente Domino: "Est[h] locus apud me, sta in foramine petræ, et posteriora mea videbis." Petra autem erat Christus: posteriora manus, incarnatio; foramen unum, una passio; locus unus, una Ecclesia figuraliter intelligi potest. Videte quod non videtur dextra Domini nisi in uno loco, in una petra, in uno foramine. Una[i] Raab meretricis domus ab incendio Jericho sub coccineo fune salvatur. Unde unum templum a Solomone construitur. "Ecce[k] quam bonum et quam jocundum, habitare fratres in unum." Quæ omnia quomodo de unitate Ecclesiæ explanata sunt, bene (ut credo) meministis.

His perterritus, ad alia me converti et inveni Augustinum (qui dicitur aqua de nubibus) versum de Psalterio explanantem hunc, "Per[l] diem sol non uret te, neque luna per noctem." Per diem a sole uritur, qui prava de Christo sentit; et per noctem a luna, qui prava de Ecclesia sentit. Unde scriptum est in lege: "Qui[m] maledixerit patri aut matri, morte moriatur." Quid autem pravius sentiri potest de Ecclesia matre, quam si dicamus? Roma errat, Hierosolyma

[e] Ephes. cap. 5. ver. 32.
[f] Joh. cap. 19. ver. 34.
[g] Cyprian de Unitate Eccles.
[h] Exod. cap. 33. ver. 21, 22, 23.
[i] Josu. cap. 2. ver. 18, 21.
[k] Psalm. 133. ver. 1.
[l] Psalm. 121. ver. 6.
[m] Exod. cap. 21. ver. 17. Levit. cap. 20. ver. 9. Matth. cap. 15. ver. 4. Marc. cap. 7. ver. 10.

Digitized by Google

errat, Alexandria errat, Antiochia errat, totus mundus errat: soli tantum Scoti et Britones rectum sapiunt. Item Hieronymus: "Moyses," inquit, "moriens plangitur, Jesus absque lachrymis in monte sepelitur." In lege morientes, sub XIV. luna Dominum crucifigentes, plangam: sed cum Christo resurgentes in Evangelio suscipiam. Occurrit mihi item Augustinus sanctus, ubi contra totas hæreses sub anathematis titulo disputat; dicens. "Tessarescadecaditæ, id est, quartanæ decimæ esse hæreses eorum qui pascha XIV. luna cum Judæis faciunt." Item tractans evangelium, de illis inquit. "[Ex] languentibus super piscinam unum Jesus elegit quem sanaret: quia quisquis præter unitatem fuerit, licet venerit, sanari non potest." Et hoc mihi horret, nisi me consulatus vestri fida ratio validiori et certiori sententiæ perducat.

Quid plura? Ad Gregorii[n] papæ, urbis Romæ episcopi (a nobis in commune suscepti, et oris aurei appellatione donati) verba me converti; qui etsi post omnes scripsit, tamen est merito omnibus præferendus: et inveni illum hunc locum apud Job tractantem; "Auro[o] locus est in quo conflatur." Aurum est sanctorum massa; locus conflationis, tentem Ecclesiæ; ignis, tribulatio martyrii. Qui ergo extra unitatem Ecclesiæ uritur, conflari potest, purgari non potest. Unde et Paulus ait: "Si[p] tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest;" et reliqua. Item ad eundem sensum interpretantem et hunc versum alio loco inveni. "Esto[q] mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias;" nec in cœlo angelis, nec in terra hominibus locum munitum, id est, tutum invenit, nisi humilem unitatem; quem archangelus amisit et nunc diabolus est, et quem homo imitatus, illum amisit et nunc mortuus est. Et hoc timeo: vos considerate compatienter, fratres, si merito[r] est, an ignavia.

Postremo ad cyclorum computationem diversorum, quid unaquæque lingua de cursu solis et lunæ sentiret; conversus totus, licet diverse alium in die, alium in luna,

[n] Gregor. Moral. in Job. lib. 18. op. tom. 1. pag. 573.
[o] Job, cap. 28. ver. 1.
[p] 1 Cor. cap. 13. ver. 3.
[q] Psalm. 31. ver. 3.
[r] Forsan *ex merito an ignavia*, ut conjicit Bedellus, docliss. episc. Kilmor.

Digitized by Google

alium in mense, alium in bissexto, alium in epacta, alium in augmento lunari (quod vos saltum dicitis) : inveni cyclos contra hunc, quem vos tenetis, esse contrarios. Primum illum quem sanctus Patricius papa noster tulit et facit[s]; in quo luna a XIV[t]. usque in XXI. regulariter, et æquinoctium a XII. kalend. Aprilis observatur. Secundo Anatolium, quem vos extollitis quidem ad[u] veram Paschæ rationem numquam pervenire eos qui cyclum LXXXIV. annorum observant. Tertio Theophilum. Quarto Dionysium. Quinto Cyrillum. Sexto Morinum. Septimo Augustinum. Octavo Victorium. Nono Pacomium monachum, Ægypti cœnobiorum fundatorem ; cui ab angelo ratio Paschæ dictata est. Decimo trecentorum decem et octo episcoporum decennovennalem cyclum (qui Græce Enneacedeciterida dicitur) in quo kalendas Januarii lunæque ejusdem diei et initia primi mensis ipsiusque XIV. lunæ recto jure ac si quodam clarissimo tramite, ignorantiæ relictis tenebris, studiosis quibusque cunctis temporibus sunt adnotatæ, quibus paschalis sollennitas probabiliter inveniri potest.

Hunc inveni valde huic (cujus auctorem, locum, tempus, incertum habemus,) esse contrarium in kalendis, in bissexto, in epacta, in XIV. luna, in primo mense, in æquinoctio. " Scrutaminique[w]", ut Cyrillus ait, "quod ordinavit synodus Nicena lunas quartasdecimas omnium annorum per decemnovennalem cyclum : (quem Victorius per vicesimas et octavas vices cum kalendis DXXXII. et bissexis CXXXIII. in id ipsum unde ortus est redire fecit) ut non fallamur in luna primi mensis ; et celebremus Pascha in sequenti Dominico, et non faciamus in luna XIV. cum Judæis et hæreticis qui dicuntur Tessarescedecaditæ, et constitutum est, inquit, in omnibus synodis, præter synodum Gangrensem et Cæsariensem, ut non faceret ulla Ecclesia, vel civitas, et

[s] Forsan *fecit*.

[t] XV. potius. alias esset a XIV. ad XX.

[u] Desideratur hic aliquid : de quo videnda Wilfridi disputatio apud Bedam, lib. 3. histor. ecciesiast. cap. 25. et Aldelmi, inter epistolas Bonifacii edit. Mogunt. ann. 1605. pag. 59.

[w] Ex lacinia epistolæ Cyrilli ad synodum Carthaginiensem inepte adsuta : de qua consulendus Petavius, doctrin. temporum, tom. 1. pag. 221. et tom. 2. pag. 893, 894.

Digitized by Google

omnis regio contraria his quæ statuta sunt de Pascha in Niceno concilio. Et si non scripsisset synodus Nicena cyclum lunarem primi mensis; sufficeret cyclus lapidis[x] Selenitis in Perside ad exemplum rationis paschalis, cujus candor interior cum luna primi mensis crescit et decrescit:" ut non faciamus communem de embolismo, et embolismum de commune, id est, brevem annum lunarem duodecim mensium de longo, id est, tredecim in quo abortivam lunam fallaciter celebratis; ut in primo mense in unitate Ecclesiæ verum agnum veri Israelitæ immaculatum immaculati in[y] una domo, sicut præceptum est, comedamus; in quo mense eduxit Caim Abel justum in campum ut occideret eum; in typo Christi educti in prætorium Pilati in sexta feria; quia in eadem die conceptus creditur in utero, et mortuus est in cruce; dum in sexta feria mortuus est Adam in anima pro peccato in paradiso, et in eadem die obiit in corpore.

Hæc probate, si vultis; si non, renuntiate Catholicis testimoniis: si nec utrumque utrique hoc dicamus. " Omnes[z] nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis." Et "non[a] judicemus ante tempus, donec veniat qui illuminabit occulta tenebrarum, et manifestabit consilia cordium." Et " nolite[b] judicare, ut non judicemini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis." Et " quid[c] judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit." Onus est vobis, ut video, quod dico: onus est et mihi quod dicitis, nisi verbis Scripturæ sanctæ probaveritis. " Onera[d] ergo nostra invicem portemus; et sic adimplebimus legem Christi." Si[e] enim alter alterius percutiamus infirmam conscientiam, in Christo peccamus; si[f] sanum sapimus, vobis sapimus; si mente excidimus, Deo: si[h] vivimus, Domino vivimus; si

[x] Vid. Damascium in vita Isidori: apud Photium, pag. 568, 569. edit. Græc.

[y] Exod. cap. 12. ver. 46.
[z] 2 Cor. cap. 5. ver. 10.
[a] 1 Cor. cap. 4. ver. 5.
[b] Matth. cap. 7. ver. 1, 2.
[c] Rom. cap. 14. ver. 4.
[d] Galat. cap. 6. ver. 2.
[e] 1 Cor. cap. 8. ver. 12.
[f] 2 Cor. cap. 5. ver. 13.
[h] Rom. cap. 14. ver. 8.

Digitized by Google

morimur, Domino morimur, quia Domini sumus. Obsecramus vos pro Christo, ut non nobis improperetis cum matre nostra: quia omnis soboles suæ matris speciem imitatur. Unde accipimus spiritum, inde spiramus: loquacitatem nostram vestra fiducia præstat.

Anno igitur, ut prædixi, emenso, juxta Deuteronomion, " interrogavi[i] patres meos ut annuntiarent mihi, majores meos ut dicerent mihi:" successores videlicet nostrorum patrum priorum, Ailbei episcopi, Querani Coloniensis[k], Brendini, Nessani, Lugidi, quid sentirent de excommunicatione nostra, a supradictis sedibus apostolicis facta. At illi congregati in unum, alius per se, alius per legatum suum vice sua missum, in campo Lene sanxerunt, et dixerunt; " Decessores nostri mandaverunt per idoneos testes, alios viventes, alios in pace dormientes, ut meliora et potiora probata a fonte baptismi nostri et sapientiæ et successoribus apostolorum Domini delata sine scrupulo humiliter sumeremus." Post in commune surrexerunt, et super hoc orationem (ut moris est) nobis celebraverunt, ut Pascha cum universali Ecclesia in futuro anno celebrarent. Sed non post multum surrexit quidam paries dealbatus, traditionem seniorum servare se simulans; qui utraque non fecit unum, sed divisit, et irritum ex parte fecit quod promissum est: quem Dominus (ut spero) percutiet quoquo modo voluerit.

Deinde visum est senioribus nostris, juxta mandatum, ut, " si[l] diversitas oborta fuerit inter causam et causam, et variaverit judicium inter lepram et non lepram, irent ad locum quem elegit Dominus;" ut si causæ fuerint majores, juxta decretum synodicum, ad caput urbium sint referendæ: misimus quos novimus sapientes et humiles esse, velut natos ad matrem, et prosperum iter in voluntate Dei habentes, et ad Romam urbem aliqui ex eis venientes, tertio anno ad nos usque pervenerunt; et sic omnia viderunt, sicut audierunt: sed et valde certiora, utpote visa quam audita, invenerunt; et in uno hospitio

[i] Deut. cap. 32. ver. 7.
[l] Deut. cap. 17. ver. 8.
[k] forsan *Clonensis*.

Digitized by Google

cum Græco et Hebræo, Scytha et Ægyptiaco, in Ecclesia sancti Petri simul in Pascha (in quo mense integro[m] disjuncti sumus) fuerunt: et ante sancta sic testati sunt nobis, dicentes; "Per totum orbem terrarum hoc Pascha, ut scimus, celebratur." Et nos in reliquiis sanctorum martyrum, et scripturis quas attulerunt, probavimus inesse virtutem Dei. Vidimus oculis nostris puellam cœcam omnino ad has reliquias oculos aperientem, et paralyticum ambulantem, et multa dæmonia ejecta.

Hæc dixi, non ut vos impugnarem, sed ut me ut nycticoracem in domicilio latitantem defenderem. Sed si quid forte impolitum vel vitiosum per immunda labia dixi, bicipi labii vestri forcipe per igniferum Esaianum[n] altaris Dei carbonem tangite; et præputium inculti logii[o] bifaris ter quaternis cultris Ben-Nun[p] quinis denis digitulis humatis cum plebis præcidite prioris præputiis. Nefas est enim errata tua non agnoscere, et prolata certiora non approbare. Hæreticorum est proprie, sententiam suam non corrigere malle perversam quam mutare defensam. "Scienti[q] etenim bonum facere, et non facienti, peccatum est illi." "Peccati[r] vero stipendium mors est:" a qua nos divina Majestas, et simplex trinitas, et multiplex apex, (subtus quem nihil est, intra quem nihil est, citra quem nihil, ultra quem nihil, supra quem nihil; sustinens omnia sine labore, penetrans omnia sine extenuatione, circumdans omnia sine extensione, superans omnia sine inquietudine) liberare dignetur. Amen, amen.

GRANDIS LABOR EST PRUDENTIÆ.

[m] Anno Christi 631 et 642. Romæ celebratum est Pascha die 24 Martii, juxta Enneadecaeteridem Alexandrinam et Dionysianam, cum die 21. Aprilis celebraretur juxta 14 annorum cyclum hic receptum. Differentia dierum 28. qua major inter utramque periodum esse non potuit.

[n] Esai. cap. 6. ver. 6.

[o] *eloquii* conjicit Bedellus. Vir doctiss. dicit, "totus hic locus mihi obscurus, et et quem non puto facile sanabilem sine ope librorum. Ben-Nun pro Josua poni videtur, sed unde hauserit nescio."

[p] Josu. cap. 5. ver. 3.

[q] Jacob. cap. 4. ver. 17.

[r] Rom. cap. 6. ver. 23.

Digitized by Google

RECENSIO.

Eam ex veteribus Cottonianæ bibliothecæ membranis descripsi, hoc titulo prænotatis. " Epistola Cummiani[a], directa Segieno abbati, de disputatione lunæ," qui quidem Segienus non alius fuisse videtur, quam Segenus sive Segianus ille (variant enim ibi in nominis descriptione exemplaria) cujus in nonæ epistolæ ἐπιγραφῇ facta est mentio; quemque Huensis S. Columbæ insulæ ab anno 623. usque ad 652. abbatem extitisse, ex annalibus nostris Ultoniensibus didicimus. Meminit ejusdem et Beda libro tertio historiæ, capitis quinti (vel quarti ut antiquissimi codices MSS. distinguunt) initio; et Adamnanus de S. Columba libro primo, capite tertio, et libro secundo, capite quarto.

[a] An Cumeni abbatis Clonensis sive Cluanmacnois, quem anno 665 mortuum, in magna mortalitate, ex annalibus Ultoniensibus intelligimus.

Digitized by Google

EPISTOLA XII.

SCOTI[a] CUJUSDAM ANONYMI, AD ALDHELMUM MALMESBURIENSEM ABBATEM.

Domino sancto, sapientissimo, Christo quidem charissimo Aldhelmo, Scotus ignoti nominis in Deo æterno salutem.

Dum te præstantem ingenio, facundiaque Romana, ac vario flore literarum, etiam Græcorum more, non nesciam; ex ore tuo, fonte videlicet scientiæ purissimo, discere malo, quam ex alio quolibet potare, turbulento magistro præsertim. Hoc scito prænoscens, quod idcirco te fiducialiter ita obsecro, ut me suscipias, doceasque: quoniam fulgor, ceu dictum est, sapientiæ præ multis in te fulget lectoribus, ac peregrinorum mentes cupientium sapientiam discere cognoscis; quia tu Romæ advena fuisti, insuper quod a quodam sancto viro de nostro genere nutritus es. Hæc compendii causa sufficiant; quia si humiliter per charitatem volueris attendere, non minus per pauca verba, quam per plurimas sermocinationes perspicies. Hæc tibi quoque sinceriter dissero. Libellum quendam habes, qui non est major acceptorio duarum septimanarum: quem ego legere cupio. Hoc autem breve tempus prædico, non eo quod mihi plus non opus sit, sed ne hæc petitio fastidium in tua mente creet. Ministrum quoque equosque, ut opinor, adipiscar. In hoc autem tempore messis, lætum a te responsum sperabo. Orantem pro nobis beatitudinem tuam divina gratia custodire dignetur.

Christe potens rerum, redeuntis conditor ævi,
Vox summi sensusque Dei, quem fudit ab alta

[a] C. A. 680.

Digitized by Google

Mente Pater, tantique dedit consortia regni.
Impia tu nostræ domuisti crimina vitæ,
Passus corporea mundum vestire[c] figura,
Affarique palam populos, hominemque fateri.
Quemque utero inclusum Mariæ, mox numine viso
Virginei tumuere sinus; innuptaque mater
Arcano stupuit compleri viscera partu,
Authorem paritura suum : mortalia corda
Artificem texere poli, mundique repertor
Pars fuit humani generis, latuitque sub imo
Pectore, qui totum late complectitur orbem.
Et qui non spatiis terræ, non æquoris unda,
Nec capitur cœlo, parvos confluxit in artus.
Quin et supplicii nomen nexusque subisti,
Ut nos subriperes letho mortemque fugares
Morte tua : mox æthereas evectus in auras,
Purgata[c] repetens lætum te luce parentem.
Augustum foveas: festis ut sæpe diebus
Annua sinceri celebret jejunia sacri.

RECENSIO.

Aldhelmus, cum esset adhuc presbyter, abbas fuit monasterii quod Maildubi (vel Maildusi) urbem nuncupant: ut in libro quinto Historiæ, capite decimo nono (vel. ut in MSS. decimo octavo) confirmat Beda. Est autem monasterium illud, non in Scotia (ut Trithemius, eumque secuti Gesnerus et maledicentissimus[a] Dempsterus, ariolati sunt) sed in Anglia positum; atque olim Maildulfesburch, hodie Malmesburiæ nomine notissimum. Quo in loco Aldhelmus "a primo ævo infantiæ, atque ab ipso tyrocinio rudimentorum, liberalibus literarum studiis eruditus, et in gremio sanctæ matris Ecclesiæ nutritus, vitam duxit:" ut habet in charta[b], 8. kalend. Septembr. anno Dom. 675. data, Leutherius occidentalium Saxonum episcopus; a quo primus cœnobii illius abbas constitutus est ipse Aldhelmus. Quæ enim prius Ingelborne, postea Malduburi et Maldunsburg nomen habere cœpit ab Aldhelmi magistro "Maildulpho Scoto-Hiberno, viro summa eruditione et singulari vitæ sanctitate:" quemadmodum in Wiltoniæ descriptione docet Guilielmus Camdenus. Cui et Guilielmi Malmesburiensis adjicimus testimonium, in Aldhelmi vita anno 1105. ab eo exarata. "Cum jam majusculus a Cantia in Westsaxones remeasset: religionis habitum in Meldu-

[c] *repetis lætum tellure p.*
[b] Conjicit doctiss. Bedellus *vistare* pro visitare.
[a] Dempster. lib. 1. hist. Eccles. pag. 7.
[b] Guil. Malmesbur. de gest. reg. Anglor. lib. 1. cap. 2.

Digitized by Google

nensi accepit cœnobio, quod situm in civitate quæ antiquo vocabulo Mealduberi, nunc Mealmesberi vocatur. Id quidam Meldum, qui alio nomine vocatur Meildulf, natione Scotus, eruditione philosophus, professione monachus fecerat. Qui cum natali solo voluntarie carens illuc devenisset; nemoris amœnitate (quod tunc temporis in immensum eo loci succreverat) captus, eremiticam vitam exercuit: deficientibusque necessariis, scholares in discipulatum accepit, ut ex eorum liberalitate tenuitatem victus corrigeret. Illi procedente tempore magistri sequaces, ex scholaribus monachi effecti, in conventum non exiguum coaluere. Horum exemplo et consortio Aldhelmus informatus ad studium, liberales artes plenitudini scientiæ adjecit." Unde jam liquet, quid illa sibi velint Scoti nostri verba in hac ad Aldhelmum epistola; "quod a quodam sancto viro de nostro genere nutritus es."

Addit de Aldhelmo ibidem Guilielmus. "Taceo de compatriotis, qui certatim ad eum scripta sua emittebant, ejus judicii censuram subitura. Prætereo Scotos, tum maxime doctos, qui idem fecisse noscuntur. Quorum aliquos non obscuræ literaturæ nominare possum: maxime Artwilum, regis Scotiæ filium. Hic quicquid literariæ artis elaborabat (quod non adeo exile erat) Aldhelmi committebat arbitrio; ut perfecti ingenii lima eraderetur scabredo Scotica." Videndum igitur an non Artwilus sive Artvillus ille author hujus fuerit epistolæ: cujus partem quidem huic ipsi scripto Malmesburiensis inseruit; integram vero, una cum annexo carmine (quod a quibusdam Damaso, ab aliis Claudiano tribuitur) ex Viennensis et Ingolstadiensis bibliothecæ MSS. inter Bonifacianas edidit Nicolaus Serarius, qui etiam in notis, non alium hic Scotum accipiendum esse quam Hibernum, recte monuit.

Digitized by Google

EPISTOLA XIII.

ALDHELMI[a] MALMESBURIENSIS ABBATIS, AD EAHFRIDUM EX HIBERNIA IN PATRIAM REVERSUM.

Domino, venerabili præconio efferendo et sanctorum meritis magnopere honorando, Eahfrido; Aldhelmus exiguus in Domino æternam salutem.

PRIMITUS (pantorum[b] procerum prætorumque pio potissimum, paternoque præsertim, privilegio) panegyricum poemataque passim prosatori[c] sub polo promulgantes; stridula vocum symphonia, ac melodiæ cantilenæque carmine modulaturi, hymnizemus, præcipue quia tandem almæ editum puerperæ sobolem[d] (ob inextricabile sons protoplastorum) piaculum priscorumque chirographum peccaminum obliteraturum, terris tantundem destinare dignatus est: luridum qui linguis chelydrum[e] trisulcis rancida virulentaque vomentem per ævum venena torrenda tetræ tortionis in tartara trusit. Et ubi pridem ejusdem nefandæ natricis[f] ermuli[g] cervulique[h] cruda fanis colebantur stoliditate

[a] C. A. 690.

[b] *πάντων*. i. e. *cunctorum;* ubi præter putidam Græcismi affectationem (quæ in hac epistola crebra est) observa quindecim voces a litera P incipientes; ac si a pugna porcorum Porcii poetæ exemplum author transtulisset.

[c] *Patrem* intelligit. [d] *Filium*.

[e] *χίλυδρον*, anguem venenatum.

[f] *Serpentis:* ut apud Ciceronem, in Academic.

[g] forte ad Ermenrul Saxonum idolum hic alludit, cujus in Francicis annalibus ad annum 772. et Adamo Bremensi cap. 5. fit mentio; quodque Hermæ sive Mercurio putatur fuisse positum. Veteres enim Germanos Deorum maxime Mercurium coluisse, confirmat in Germania sua Corn. Tacitus. vid. Rich. Verstegan. Restitut. antiquitat. Anglican. cap. 3. et Glossarium D. Henr. Spelmanni nostri, in Irminsul.

[h] De cervulis vel hinnulis, vid. Augustin. serm. 265. op. tom. 5. App. pag. 437. Antiqui etiam *Hermulas* vocabant *προτομας* sive simulacra, quæ caput tantum

Digitized by Google

in profanis, versa vice discipulorum gurgustia (imo almæ oraminum ædes) architecti ingenio fabre conduntur.

Fateor, sodalitatis fraternæ cliens, altique municipatus municeps, postquam vestram repedantem istuc ambrosiam ex Hiberniæ brumosis circionum insulæ climatibus (ubi ter bino circiter annorum circulo uber sophiæ sugens metabatur) territorii marginem Britannici sospitem applicuisse, rumigerulis referentibus, comperimus: ilico (ut flammiger flagransque flagitabat amor) ineffabiles altithrono grates, pansis in edito utrimque volis, tripudiantes obtulimus: potissimum, quod te exulem almus arbiter priscam paterni visitantem clientelam ruris (cærula ponti trans glauci, enormesque dodrantium glareas atque spumiferas lymphæ nemphæ obstirpationes, circili carina procellosum sulcante salum) reducere, ovante navarcho, dignatus est: ut, ubi dudum inc unabulis tyrocinii editus rudibus adulto tenus pubertatis ævo adoleveras, nunc versa vice (superna opitulanti prærogativa affatim fultus) ab incolatu externi ruris repatrians, præceptoris vocamine indepto sortitoque fretus fungeris.

Illud æque almitati beatitudinis vestræ ex penetrabilibus præcordii nequaquam promens dissimulo propalare (ad augmentum, mystisque ut reor tripudium, imo ad doxam[1] onomatis Cyrii) magnopere inolevisse: quod præconio citra modum rumoris Scotico in solo degentium (quorum contubernio parumper fretus es) ceu tonitruali quodam boatu fragore nymboso emergenti, auditus nostri quatiuntur: et per tot tantaque telluris stadia lectionis opinio, pagis provinciisque divulgata, crebrescit. Siquidem tam creber meatus est (istinc illincque, istuc illucque) navigero æquoreas fretantium calle gurgites, velut quædam contribula apium germanitas nectar fabre conficientium. Nam quemadmodum alternatim, reciproca facessente noctis nebula, mellifluum examen (emergente axe tenus æthere Titanæ) gliscentium culmina tiliarum per florulenta, ad crates graciles, sarcinatum, flava bajulans gestamina asportat; eo-

ac summa pectoris exprimebant: de quibus videnda Achillis Statii præfatio in illustrium virorum vultus, edit. Romæ 1569. et Camdeni Britannia, pag. 45.

[1] δόξαν ὀνόματος κυρίου, gloriam nominis Domini.

Digitized by Google

dem modo, ni fallor, lurconum conglobatio lectorum (dun-ning tac fridh) ac residua sagax discipulorum caterva, florigeris hagiographæ ex arvis, non solum artes grammaticas atque geometricas bis ternasque omissas physicæ artis machinas; quinimo allegoricæ potiora ac tropologicæ disputationis bipertita bis oracula (æthralibus opacorum mellita in ænigmatibus problematum) siticulose sumentes carpunt, et in alveariis sophiæ, jugi meditatione loco tenus servanda condentes, abdunt. E quorum catalogo tuam proficisci solertiam, præda onustam atque torrente fluentis sacrosancti propinatam redundantemque excellens fama percrebuit.

Quamobrem tuum affabilem discipulatum, ceu cernuus, singultatim arcuatis poplitibus subnixisque precibus efflagito; ut obliterata nequaquam memoria excedat, quod Pacificus[k] cœlesti ambrosia præditus, (subrogatus genitore[l] jure hæreditario, bis quaternis temporum lustris Israeliticæ plebis imperii sceptro fungens,) almo auctus spiramine prompsit, dicens: "Bibe[m] aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui: deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas divide; solus habeto eas, nec sint alieni participes tui." Quapropter his sacris imbutus sagminibus[n], jugi conamine orthographiæ aperito gurgitem, et sitientia rigato arva mentium: quatenus germen æthralis extaseos (vivis fœcundisque in orthodoxorum, satoris sudore, sulcis satum) nullo torridæ obstaculo siccitatis obtinente, pullulans gliscat; et ubertim spissa, Dei suffragio, seges demum maturescat.

Nam idcirco supplex tam obnixe hæc cernitur oramen suggessisse, quod nonnulli superna noscuntur sophia præditi, et arcana luce enormiter referti: attamen quod gratuita cœlitus munificentia, Deique dapsili deditione recepantes (proprio facessante meritorum quæstu) adepti sunt, nequaquam (gazophylacio scientiæ reserato) plene promulgantes, sed particulatim lurconibus largientes. Nam

[k] Salomon: qui a *pace* nomen obtinuit.

[l] genitori, vel, a genitore, patre David sc.

[m] Prov. cap. 5. ver. 15, 16, 17.

[n] Sagmina a *sanciendo*, id est, *confirmando*, inquit hic Glossa.

Digitized by Google

(cata[o] evangelicæ experimentum auctoritatis) nequaquam[p] flagrans lychnus clancule fuscata tetræ occulitur latebra urnæ, qui candelabri summitate cunctis limpido lumine lucere decuit: necnon frustra talenti[q] fœnora subterraneis clanculantur obstructa sablonibus[r], quæ trapezitarum numerosis monetæ oportuissent numismatibus profligari; ne forte, ut iners adepto (segnitia torpens) mancipium talento, supremos ergastulorum in squalores trusus præcipitetur; sed potius euax eugeque ingressurus tripudium a prosatore pio promereatur. Unde psalmigraphus vates, ob hoc propriæ piaculi expians flagitium conscientiæ, sacro præsagio orsus infit: "Justitiam[s] tuam non abscondi," et reliqua.

Sed hæc misellus homuncio dictando volvens, scrupulo ancipiti exemplo quatiens angebar; cur, inquam, Hibernia, quo catervatim istinc lectores classibus advecti confluunt, ineffabili quodam privilegio efferatur: ac si istic, fœcundo Britanniæ in cespite, didascali Argivi Romanive Quirites repperiri minime queant, qui cœlestis tetrica enodantes bibliothecæ problemata sciolis reserare se sciscitantibus valeant. Quamvis enim prædictum Hiberniæ rus, discentium opulans vernansque, ut ita dixerim, pascuosa numerositate lectorum, quemadmodum poli cardines astriferis micantium ornentur vibraminibus siderum: ast tamen climatis Britannia occidui in extremo ferme orbis margine sita (verbi gratia) ceu Solis flammigeri et luculento lunæ specimine potiatur; id est, Theodoro infula pontificatus fungenti, ab ipso tyrocinio rudimentorum in flore philosophicæ artis adulto; nec non et ejusdem sodalitatis cliente Adriano duntaxat urbanitate enucleata ineffabiliter prædito.

Et audacter in propatulo contestans, pellaci falsitatis frivolo neglecto, æqua veritatis censura trutinante discernam; etiamsi beatæ memoriæ Theodorus, summi sacerdotii gubernacula regens, Hibernensium globo discipu-

[o] *sarà*, secundum; ut in Bonifacii Moguntini epistolis, et apud Cyprianum quoque.

[p] Matth. cap. 5. ver. 15.

[q] Id. cap. 25. ver. 18, 27, 30.

[r] *arenis*: ut in Gildæ epistola.

[s] Psalm. 40. ver. 10.

Digitized by Google

lorum (ceu aper truculentus molossorum catasta ringente vallatus) stipetur: limato perniciter grammatico dente (jactura dispendii carens) rebelles phalanges discutit, et (utpote belliger in meditullio campi arcister, legionum phalangibus septus æmulorum spissis) mox nervosis tenso lacertorum volis arcu, spiculisque ex pharetra exemptis, hoc est, Chronographiæ opacis acutisque syllogismis; turma supercilii typho turgens, amissa ancilium testudine, terga dantes, latebras antrorum atras, triumphante victore, præpopere petunt.

Neu tamen hæc philosophando, Scoticos sciolos, quorum gemmato tua sagacitas dogmatum favo aliquantisper abusa[t] est, sugillare a quoquam autumer; quippe cum satagerem præconium cudens affabiliter texere nostrorum, non sugillationem ridiculose cachinnans rumigerare vestrorum: sed potius, jocistæ scurræque ritu dicacitate temeraria loquentium, fraterna ironia[u] dilectionis obtentu cavillabatur[w]. Si vero quippiam, inscitia suppeditante, garrula frontose convincitur pagina prompsisse: ut versidicus ait,

Digna[x] fiat fante glingio gurgo fugax fambulo;
Neu timeat scriptor terrentis ludicra linguæ.
Sic semper cupiunt scriptorum carpere chartas,
Ut caper hirsutus rodet cum dente racemos:
Nec tamen emendant titubantis gramma poetæ.

RECENSIO.

Ex quatuor antiquissimis codicibus descripta: quorum primum suppeditavit mihi nobilissimus Dominus Gulielmus Howardus de Naworth, secundum D. Robertus Cottonus, tertium Thomas Alanus Oxoniensis, et ex regia bibliotheca quartum amicissimus Patricius Junius. Scripta est autem stylo ita impedito et implicato;

[t] id est, *usa*: ut apud Hieronymum etiam aliquoties.

[u] *εἰρωνεία.* [w] Locus corruptus.

[x] Ad hunc barbarum versiculum apponitur hæc glossa (non admodum certe concinna) in margine MSS. D. Rob. Cottoni et Thomæ Alani. *Fugax gurgo*, id est, virgo impetrante noverca de matrimonio exposita, inter feras enutrita, ferarum consuetudinibus assuescens: quæ alio nomine Juturna. *Fante glingio*, id est, rogante fratre, vel alio quolibet amico; ut digna fieret illa fugax gurgo, *fambulo*, id est, reversione, vel fine laboris.

Digitized by Google

ut non admodum mirari subeat, etiam Guillelmi Malmesburiensis temporibus repertos fuisse, quibus hujusmodi Aldhelmi scripta "nauseam pepererint: non attendentibus quod juxta mores gentium varientur modi dictaminum." Ita ille, de gestis regum Anglorum lib. 1. cap. 2. ad dicti confirmationem porro subjiciens; "Græcos involute, Romanos circumspecte, Gallos splendide, Anglos pompatice dictare solere." Porro Eahfridus sive Æhfridus (EA enim Anglo-Saxonum, Æ Latinorum diphthongo respondet) ad quem, post sex annos studiis in Hibernia impensos, missa est hæc epistola, non alius esse videtur quam Eadfridus (ab aliis Eatferd, a quibusdam etiam Egfridus dictus) cui Beda vitam Cuthberti soluta oratione a se descriptam dicavit; quemque Eadberto anno Dom. 698. in Lindisfarnensi episcopatu successisse, ex Dunelmensis Ecclesiæ historia a Turgoto conscripta, et Florentii Wigorniensis annalibus intelligimus. Antequam vero ille episcopatum est adeptus, epistolam hanc scriptam fuisse liquet; licet in regio MS. titulum hunc præfixum habeat. "Incipit epistola Aldhelmi episcopi." Verum, cum post annum 698, ad Schireburnensem episcopatum Aldhelmum provectum fuisse constet: nos priorem Malmesburiensis abbatis appellationem retinere maluimus[a].

[a] Vid. Florent. Wigorn. ann. 666. Et Dempster. Histor. pag. 6.

Digitized by Google

EPISTOLA XIV.

ADAMNANI[a] HUENSIS MONASTERII ABBATIS.

In libros tres de vita S. Columbæ,

PROLOGUS.

Beati nostri patroni, Christo suffragante, vitam descripturus, fratrum flagitationibus obsecundare volens: imprimis eandem lecturos quosque admonere procurabo, ut fidem dictis adhibeant compertis; et res magis quam verba perpendant, quæ, ut æstimo, inculta et vilia esse videntur; meminerintque, regnum Dei non eloquentiæ exuberantia, sed in fidei florulentia constare: et nec ob aliqua Scoticæ, vilis videlicet linguæ, aut humana onomata[b], aut gentium obscura locorumve vocabula (quæ, ut puto, inter alias exterarum gentium diversas vilescunt linguas) utilium, et non sine divina opitulatione gestarum, despiciant rerum pronuntiationem. Sed et hoc lectorem admonendum putavimus; quod de beatæ memoriæ viro, plura studio brevitatis, etiam memoriæ digna a nobis sunt prætermissa: et quasi pauca de plurimis, ad evitandum fastidium lectorum, sint caraxata[c]. Et hoc, ut arbitror, quisque hæc lecturus forte annotabit; quod minima de maximis per populos fama de eodem beato viro divulgata disperserit; ad horum etiam paucorum comparationem, quæ nunc breviter caraxare disponimus.

[a] C. A. 700.

[b] *ὀνόματα*, nomina.

[c] *exarata, παρὰ τοῦ χαράσσειν.*

Digitized by Google

EPILOGUS.

Post horum trinalium lectionem libellorum, quisque diligens annotet lector, quanti et qualis meriti sanctus sæpe supramemoratus præsul venerandus, quantæ et qualis apud Deum honorificentiæ fuerit æstimatus; quantæ et quales angelicæ apud ipsum et luminosæ frequentationes fuerint; quanta in eo prophetalis gratia, quanta dialium efficientia virtutum, quanta et quam frequens eum divini luminis claritudo in carne mortali adhuc commorantem circumfulserit. Quin etiam post ingressum[a] animæ de tabernaculo corporis almissimæ (sicuti quibusdam electis ostensum, habetur compertum) locum in quo ipsius sancta pausant ossa usque hodie eadem cœlestis claritas frequentare non cessat, et sanctorum frequens visitatio angelorum. Et hæc etiam eidem beatæ memoriæ viro a Deo non mediocris est collata gratia, qua nomen ejus non tantum per totam nostram Scotiam et omnium totius orbis insularum maximam Britanniam clare divulgari promeruit (in hac parva et extrema oceani Britannici commoratus insula) sed etiam ad trigonam usque Hispaniam et Gallias, et ultra Alpes Penninas Italiam sitam pervenire, ipsam quoque Romanam civitatem, quæ caput est omnium civitatum. Tantus et talis honor noscibilis eidem sancto inter cætera divinæ donationis munera condonatus scitur a Deo, qui se diligentes amat; et eos qui eum magnificant laudibus, magis ac magis glorificans immensis sublimat honoribus: qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

ADMONITIO ADAMNANI AD SCRIPTORES.

Obsecro eos quicunque voluerint hos describere libellos, imo potius adjuro per Christum judicem sæculorum; ut postquam diligenter descripserint, conferant et emen-

[a] *egressum.*

Digitized by Google

dent cum omni diligentia ad exemplar unde extraxerunt[e]: et hanc quoque adjurationem hoc in loco subscribant.

RECENSIO.

De Adamnano pluribus agit Beda, libro 5. histor. Ecclesiast. cap. 16. et Ceolfridus abbas in epistola ad Naitanum Pictorum regem, ibid. cap. 22. indeque Matthæus Florilegus: "Anno gratiæ DCCI. floruit vir bonus et literatus Adamnanus presbyter et abbas monachorum qui erant in insula Hii. Hic missus ad Aldfridum regem gratia legationis, cum videret ritus ecclesiasticæ institutionis et observantiæ festi paschalis, continuo trahitur ad consensum. Qui cum domum rediisset, curavit suos, qui erant in insula Hii, ad callem perducere veritatis, nec valuit: navigansque in Hiberniam, pene omnes ad legitimum Paschæ tempus observandum induxit. Scripsit idem vir Domini librum de loco Dominicæ nativitatis, passionis et ascensionis; situmque Terræ sanctæ mirabiliter descripsit." Editus est hic liber Ingolstadii anno 1619. a Jacobo Gretsero, titulo Adamanni Scotohiberni: ibidemque anno 1604. ab Henr. Canisio, tomo quinto antiquæ lectionis, libri ejusdem tres de S. Columba, cujus operis prologum paulo correctiorem ex MS. nostro hic damus: addito etiam, ex alio Cottonianæ bibliothecæ codice, epilogo hactenus inedito; una cum adjuratione qua transscriptores obtestatur author, Irenæi[a] in libro περὶ ὀγδοάδος et Eusebii in chronico exemplum imitatus. quæ tamen hic non observatur cum ipsa quoque capita transposita inveniamus.

[e] MS. Augiens. *craxerunt* pro charaxerunt i. e. scripserunt.

[a] apud Euseb. lib. 5. histor. ecclesiast. cap. 19, 20. et Hieronymum, de scriptor. ecclesiast. in Irenæo.

Digitized by Google

EPISTOLA XV.

BONIFACII[a] MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI, AD ZACHARIAM ROMANUM PONTIFICEM, DE CAUSA ADELBERTI GALLI ET CLEMENTIS SCOTI.

Excellentissimo patri atque apostolico pontifici, et ex auctoritate sancti Petri, principis apostolorum magisterio freto, Zachariæ papæ, Bonifacius exiguus servus servorum Dei, optabilem in Christo charitatis salutem.

Postquam me ante annos prope triginta sub familiaritate et servitio apostolicæ sedis, annuente et jubente venerandæ memoriæ antistite apostolico Gregorio, anteriore voto constrinxi; quidquid mihi lætitiæ vel tristitiæ acciderat, apostolico pontifici solebam indicare, ut in lætis simul laudaremus Deum, et in tristibus ejus consilio roborarer. Ita et nunc mihi liceat indicare, pietati vestræ supplico. Sicut scriptum est: "Interroga[b] patrem tuum et annunciabit tibi, seniores tuos et dicent tibi." Notum enim sit paternitati vestræ, quia postquam indigno mihi mandastis in provincia Francorum, sicut et ipsi rogaverunt, sacerdotali concilio et synodali conventui præesse; multas injurias et persecutiones passus sum, maxime a falsis sacerdotibus, ab adulteratis presbyteris seu diaconibus, et fornicariis clericis. Maximus tamen mihi labor fuit contra duos hæreticos pessimos, et publicos, et blasphemos contra Deum, et contra Catholicam fidem. Unus qui dicitur Aldebert, natione generis Gallus est; alter qui dicitur Clemens, genere Scotus est: specie quidem diversi, sed pondere peccatorum pares.

Contra istos obsecro apostolicam auctoritatem vestram,

[a] A. C. 745. [b] Deut. cap. 32. ver. 7.

Digitized by Google

quod meam mediocritatem defendere et adjuvare, et per scripta vestra populum Francorum et Gallorum corrigere studeatis: ut hæreticorum fabulas et vana prodigia et signa præcursoris Antichristi non sectentur; sed ad canonica jura, et ad viam veræ doctrinæ convertantur; et ut per verbum vestrum isti hæretici duo mittantur in carcerem (si vobis justum esse videatur, cum vitam et doctrinam illorum vobis intimavero) et nullus cum eis loquatur vel communionem habeat, ne forte fermento doctrinæ illorum fermentatus aliquis pereat: sed segregati vivant, et juxta dictum apostoli, hujusmodi "traditi[c] Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini;" et juxta evangelicum præceptum, "dum[d] Ecclesiam non audierunt, sint nobis sicut ethnici et publicani:" donec "discant[e] non blasphemare," nec scindere tunicam Christi. Propter istos enim persecutiones, et inimicitias et maledictiones multorum populorum patior: et Ecclesia Christi impedimentum fidei et doctrinæ rectæ sustinet.

Dicunt enim de Aldeberto, quod eis sanctissimum apostolum abstulissem; patronum, et oratorem, et virtutum factorem et signorum ostensorem abstraxissem. Sed pietas vestra audiens vitam ejus, judicet ex fructu, utrum "vestimentis[f] ovium indutus intus autem lupus rapax" fuisset, an non. In primæva enim ætate hypocrita fuit, dicens, quod sibi angelus Domini, in specie hominis, de extremis finibus mundi, miræ et tamen incertæ sanctitatis reliquias attulisset; et exinde potuisset omnia, quæcunque poposcerit, a Deo impetrare: et tunc demum per illam simulationem, sicut apostolus Paulus prædixit, "penetravit[g] multorum domos, et captivas duxit post se mulierculas oneratas peccatis, quæ ducebantur variis desideriis;" et multitudinem rusticorum dicentium, quod ipse esset vir apostolicæ sanctitatis, et signa et prodigia multa fecisset. Deinde conduxit episcopos indoctos, qui se, contra præcepta canonum, absolute ordinarunt. Tum demum in tantam

[c] 1 Cor. cap. 5. ver. 5.
[d] Matth. cap. 18. ver. 17.
[e] 1 Tim. cap. 1. ver. 20.
[f] Matth. cap. 7. ver. 15, 16.
[g] 2 Tim. cap. 3. ver. 6.

Digitized by Google

superbiam elatus est, ut se æquipararet apostolis Christi: et dedignabatur in alicujus honore apostolorum vel martyrum Ecclesiam consecrare; et interrogavit, quid voluissent homines visitando limina sanctorum apostolorum. Postea in proprio honore suo dedicavit oratoria (vel, ut verius dicam, sordidavit) fecit cruciculas et oratoriola in campis, et ad fontes, vel ubicunque sibi visum fuit, et jussit ibi publicas orationes celebrare; donec multitudines populorum, spretis cæteris episcopis, et dimissis antiquis Ecclesiis, in talibus locis conventus celebrabant, dicentes: Merita sancti Aldeberti adjuvabunt nos. Ungulas suas et capillos dedit ad honorificandum, et portandum cum reliquiis sancti Petri principis apostolorum. Tum demum, quod maximum scelus et blasphemia contra Deum esse videbatur, fecit. Veniente enim populo et prostrato ante pedes ejus, et cupienti confiteri peccata sua, dixit: " Scio omnia peccata vestra, quia mihi cognita sunt occulta vestra; ideoque non est opus confiteri ea. Securi ergo et absoluti de peccatis vestris præteritis, revertimini ad domos vestras cum pace;" et omnia quæcunque sanctum Evangelium hypocritas fecisse testatur, suo habitu, incessu, et moribus imitatus est.

Alter autem hæreticus, qui dicitur Clemens, contra Catholicam contendit Ecclesiam; canones Ecclesiarum Christi abnegat, et refutat tractatus; et intellectus sanctorum patrum, Hieronymi, Augustini, Gregorii recusat, synodalia jura spernens, proprio sensu affirmat, se, post duos filios sibi in adulterio natos [sub nomine episcopi] esse posse legis Christianæ episcopum. Judaismum inducens, judicat justum esse Christiano, ut, si voluerit, viduam fratris defuncti accipiat uxorem. Ipse etiam contra fidem sanctorum patrum contendit, dicens; quod Christus filius Dei descendens ad inferos, omnes quos inferni carcer detinuit, inde liberasset, credulos et incredulos, laudatores Dei simul et cultores idolorum: et multa alia horribilia de prædestinatione Dei contraria fidei Catholicæ affirmat. Quapropter de hoc quoque hæretico precor, ut per literas vestras mandare curetis duci Carolomanno, ut mittatur in custodiam; ut semina Satanæ latius non seminet, ne for-

Digitized by Google

sitan una ovis morbida totum gregem polluat. Valere sanctitatem vestram, et prosperis profectibus gaudere in longitudinem dierum optamus.

RECENSIO.

Inserta est actis Romanæ Synodi, anno 745. habitæ: in qua contra Clementem Scotum, hujusmodi lata est sententia. "Clemens, qui per suam stultitiam sanctorum patrum statuta respuit, vel omnia synodalia acta; inferens etiam Christianis Judaismum, dum prædicat fratris defuncti accipere uxorem; insuper et Dominum Jesum Christum descendentem ad inferos, omnes pios et impios exinde prædicat abstraxisse: ab omni sit sacerdotali officio nudatus, et anathematis vinculo obligatus, pariterque Dei judicio condemnatus, vel omnis qui ejus sacrilegis consenserit prædicationibus." Videantur de Adelberti et Clementis causa, Zachariæ Romani pontificis responsa, inter Bonifacii epistolas a Serario editas, num. 138, 139, et 144.

Digitized by Google

EPISTOLA XVI.

ZACHARIÆ[a] ROMANI PONTIFICIS, AD BONIFACIUM, DE CAUSA VIRGILII HIBERNI ET SIDONII.

Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifacio coepiscopo, Zacharias servus servorum Dei.

VIRGILIUS et Sidonius religiosi viri, apud Baioariorum provinciam degentes, suis nos literis visitarunt: per quas intimaverunt, quod tua reverenda fraternitas eis injungeret Christianos denuo baptizare. Quod audientes, nimis sumus conturbati, et in admirationem quandam incidimus, si habet, ut dictum est. Retulerunt quippe, quod fuerit in eadem provincia sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, et dum baptizaret, nesciens, Latini eloquii infringens linguam diceret "Baptizo te in nomine Patria, et Filia, et Spiritu sancta:" ac per hoc tua reverenda fraternitas consideravit rebaptizare. Sed, sanctissime frater, si ille qui baptizavit, non errorem aut hæresim introducens, sed, pro sola ignorantia, Romanæ locutionis infringendo linguam, (ut supra fati sumus) baptizans dixisset; non possumus consentire, ut denuo baptizentur. Quia, quod tua bene compertum habet sancta fraternitas, quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nullo modo rebaptizari debeat, sed per solam manus impositionem purgari debeat. Nam, sanctissime frater, si ita est, ut nobis relatum est, non amplius a te illis prædicetur hujusmodi, sed ut sancti patres docent et prædicant, tua sanctitas studeat conservare. Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater. Data kalendis Juliis, imperante Domino piissimo

[a] A. C. 746.

Digitized by Google

Augusto Constantino, a Deo coronato, magno imperatore, anno vicesimo sexto, imperii ejus anno quarto[b], indictione quarta decima.

RECENSIO.

A Jacobo Merlino Parisiis anno 1524. cum Isidori Mercatoris Canonum et epistolarum pontificiarum collectione primum est edita; et deinde, tum in tomis conciliorum tum alibi sæpius recusa. De Virgilio et sociis Thadæus, abbas Scotorum Ratisbonæ, ex chronico fundationis Scotorum ista refert. "Tempore eodem (quo de Hibernia venit Kilianus, cum duobus sociis suis Colonato et Totnano) venit honorabilis turma sanctorum de Hibernia, videlicet S. Virgilius episcopus, cum aliis septem episcopis sanctis multisque aliis sociis: qui proposuerunt Domini vestigia ac sanctam terram corporeis oculis videre, solito more[a] reverendorum patrum Scotorum, &c. S. Virgilius Saltzburgæ episcopus est factus. Cæteri ejus coepiscopi Salzburgæ in ministerio operis Dei remanserunt usque ad diem obitus eorum. Cæterum eorum socius, videlicet B. Lullus, apud Ilminster gloriosis operibus intrepidus permansit. Et B. Declanus cum aliis duobus [apud] Frisingiam, duoque alii apud Roti beata ossa sua terræ commendaverunt, et S. Alto apud Altenminster. Et sic sanctus grex beatorum virorum divisim in diversis locis regna cœlestia sunt adepti:" et Wiguleus Hundius, in Juvaviensium sive Salisburgensium episcoporum catalogo. "B. Virgilius, natione Hibernicus, ex nobili progenie ortus, a Stephano papa et Pipino rege Francorum ad administrationem episcopatus Juvaviensis destinatus est: sed a rege per duos fere integros annos, propter eximiam eruditionem et sanctimoniam vitæ, retentus est; postea vero honorifice ad Ottilonem Boiorum tum temporis ducem dimissus, ab eo episcopatum accepit. Dissimulata autem consecratione, pene duorum annorum spatio, pontificem[b] secum habuit proprium Dobdan nomine, Græcum, qui ipsum secutus erat ex patria. Is interim ipsius munere fungebatur. Postulantibus deinde subditis, Boiisque pontificibus, consecratus est anno Christi 767. XVIII. calendas Julii. Græco autem illi magistro et sacerdoti Dobdan tradidit Otilo sedem Chiemensem: ubi aperuit ille scholam, et agmina discentium quamplurima habuit." Mirarer vero ex Hibernia nostra hominem Græcum prodiisse, nisi scirem in agro Midensi apud Trimmenses, ædem sacram extitisse, quæ Græcæ Ecclesiæ nomen ad hunc usque diem retinet.

[b] sexto

[a] Vid. supr. epist. 2. pag. 402.

[b] Habuit secum laboris et coronæ participem episcopum comitantem de patria nomine Dobda, ad persolvendum episcopale officium inquit vitæ S. Virgilii descriptor, Eberhardi Salisburgensis episcopi discipulus, in Florilegio Messinghami pag. 331. Vide etiam acta Ruperti primi Salisburgensium episcopi, apud Surium, tom. 2. die 27. Martii.

Digitized by Google

EPISTOLA XVII.

EJUSDEM ZACHARIÆ[a], AD BONIFACIUM; DE ALIIS QUÆSTIONIBUS AB EODEM VIRGILIO ET SAMPSONE SCOTO MOTIS.

Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifacio coepiscopo, Zacharias servus servorum Dei.

Scripsit reverenda fraternitas tua, reperisse te quendam presbyterum, genere Scotum, nomine Sampson, errantem a via veritatis, dicentem et affirmantem, sine mysterica invocatione aut lavacro regenerationis posse fieri Catholicum Christianum, per episcopalis manus impositionem. Hic autem qui hoc dicit, vacuus est Spiritu sancto, et alienus a gratia Christi, atque a consortio sacerdotali abjiciendus. Quis enim nisi baptizetur, juxta præceptum Domini, "In[b] nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti," et sic per manus impositionem consecretur, potest esse Catholicus? Hunc nequissimum virum, talia prædicantem, ab Ecclesia Dei sancta condemnatum expelle. Illos autem viros, qui ab hæreticis baptizati sunt, et dubietas tenet, quod in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti non sunt baptizati; inquisita rei veritate, si ab erroneis sacerdotibus baptizati sunt, hos[c] sine dubio, juxta prædecessoris nostri beatæ memoriæ Gregorii papæ, et sacrorum canonum traditum tibi mandatum, implere non omittas; ne in æternum pereant, sed potius evangelica consecratione salventur.

Intimatum est etiam a sanctitate tua, quod Virgilius ille (nescimus si dicatur presbyter) malignatur adversum

[a] A. C. 748.

[b] Matth. cap. 28. ver. 19.

[c] *hoc* conjiicit doctiss. Bedellus.

Digitized by Google

te, pro eo quod confundebatur a te, erroneum se esse a Catholica doctrina; immissiones faciens Otiloni duci Baioariorum, ut odium inter te et illum seminaret: aiens quod et a nobis esset absolutus, unius defuncti ex quatuor illis episcopis, quos tua illic ordinavit fraternitas, diœcesim obtinere. Quod nequaquam verum est: quia "mentita[d] est iniquitas sibi." De perversa autem et iniqua doctrina, quam contra Deum et animam suam locutus est, si clarificatum fuerit ita eum confiteri, quod alius mundus et alii homines sub terras sint; hunc accito concilio, ab Ecclesia pelle sacerdotii honore privatum. Attamen et nos scribentes prædicto duci, evocatorias de prænominato Virgilio mittimus literas; ut nobis præsentatus, et subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inventus, canonicis sanctionibus condemnetur. Qui "enim seminant[e] dolores, ipsi metunt eos." Sic enim scriptum est: "Perversæ[f] cogitationes separant a Deo; probata autem virtus corripit insipientes."

Pro Sidonio autem et Virgilio supradicto presbyteris, quod scripsit sanctitas tua, agnovimus. Et illis quidem, ut condecebat, comminando scripsimus: tuæ autem fraternitati plus credulitas quam illis admittetur. Si autem placuerit Deo, vita comite, sedi apostolicæ eos, missis apostolicis literis (ut prælatum est) evocabimus. Docuisti enim eos, et non susceperunt: et factum est in illis, sicut scriptum est in libro Sapientiæ. "Qui[g] docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. Arenam, et salem, et massam fieri facilius est portare, quam hominem imprudentem, et fatuum, et impium." Quoniam "qui[h] minoratur corde, cogitat inania; et vir imprudens et errans cogitat stulta." Non ergo ad iracundiam provocetur cor tuum, frater: sed in[i] patientia tua ubi tales reppereris, admone, obsecra, increpa; ut convertantur ab errore ad viam veritatis. Et si conversi fuerint, salvasti animas eorum; si vero in du-

[d] Psalm. 27. ver. 12.
[e] Job, cap. 4. ver. 8.
[f] Sapient. cap. 1. ver. 3.
[g] Ecclesiastic. cap. 22. ver. 7, et 18.
[h] Ibid. cap. 10. ver. 23.
[i] 2 Tim. cap. 4. ver. 2. Jacob. cap. 5. ver. 19, 20.

Digitized by Google

ritia permanserint, mercedem ministerii tui non perdes: illos autem, juxta apostoli[k] vocem, devita.

Deus te incolumem custodiat, reverentissime et sanctissime frater. Data kalendis Maii, imperante Domino piissimo Augusto Constantino, a Deo coronato, magno imperatore, pacifico; imperii anno XXIX. Patriciatus ejus anno VII. Indictione prima.

RECENSIO.

Hæc, una cum duabus epistolis præcedentibus, non solum in Bonifacianarum epistolarum habetur volumine, sed etiam in Bonifacii vita ab Othlono descripta, atque a Surio (tom. 3. die 5. Junii) et Serario (lib. 3. rer. Moguntiac.) publicata. Quas editiones, et inter se, et cum Romana pontificiarum epistolarum editione contulimus. Neque hanc tamen epistolam, quæ longiuscula erat, integram hic descripsimus: sed quæ ad Sampsonis et Virgilii causam pertinebant inde excerpta dedimus. Extat vita Virgilii nostri, Carinthiæ apostoli, a quodam Eberhardi Salisburgensis episcopi discipulo literis consignata, et ab Henrico Canisio in antiquæ lectionis tomis edita: cujus hoc initium: "Beatissimus Virgilius in Hibernia insula de nobili ortus prosapia, literarum studiis ita animum applicavit, ut inter doctos sui temporis atque climatis, doctissimus haberi potuisset." Atque inde nata est hæc, quæ inter illum et Bonifacium intercessit, de Antipodibus controversia: de qua videndi rerum Boicarum scriptores, Jo. Aventinus et M. Velserus. Literarum vero Virgilii monumentum hodie unullum superest: si Glossarium forte exceperis, a Goldasto, in notis ad Columbanum (pag. 83, 152, et 155.) citatum.

[k] Tit. cap. 3. ver. 10.

Digitized by Google

EPISTOLA XVIII.

ALBINI[a] MAGISTRI, AD COLCUM LECTOREM IN SCOTIA.

Benedicto magistro et pio patri Colcu, Alcuine humilis Levita salutem.

AUDITA sanitate et prosperitate paternitatis vestræ, totis (ut fateor) gavisus sum visceribus. Et quia curiosum te nostri itineris putavi, vel rerum in mundo nuper gestarum, per hos rusticitatis meæ apices, tuæ providentiæ innotescere curavi, seu audita seu visa. Primo sciat dilectio tua, quod, miserante Deo, sancta ejus Ecclesia in partibus Europæ pacem habet, proficit, et crescit. Nam antiqui Saxones et omnes Frisonum populi, instante rege Carolo (alios præmiis, et alios minis sollicitante) ad fidem Christi conversi sunt. Sed anno transacto idem rex, cum exercitu irruit super Sclavos, quos nos Vionudos dicimus, eosque subegit suæ ditioni. Græci vero tertio anno cum classe venerunt in Italiam, et a ducibus regis præfati victi fugerunt ad naves: quatuor millia ex illis occisi, et mille captivi feruntur. Similiter et Avari, quos nos Hunos dicimus, exarserunt in Italiam, et a Christianis superati domum cum opprobrio reversi sunt: nec non et super Baugariam irruerunt; qui et ipsi ab exercitu Christiano superati et dispersi sunt. Etiam et ejusdem Christianissimi regis duces et tribuni multam partem Hispaniæ tulerunt a Saracenis, quasi trecenta milia in longum per maritima. Sed heu, proh dolor! quod iidem maledicti Saraceni (qui et Aggareni) tota dominantur Africa et Asia majore, maxima ex parte. De quorum egressione, tuæ venerandæ prudentiæ dudum (ut æstimo) scripsi.

De cætero, pater sanctissime, sciat reverentia tua, quod

[a] A. C. 794.

[b] MS. major *Colcan.* minor *Colcu.*

Digitized by Google

ego filius tuus, et Joseph vernaculus tuus, Deo miserante, sani sumus: et tui amici toti, qui apud nos sunt, in prosperitate Deo serviunt. Sed nescio quid de nobis venturum sit[c]; aliquid enim dissensionis, diabolico fomento inflammante, nuper inter regem Carolum et regem Offan exortum est: ita ut utrinque navigatio interdicta negotiantibus cesset. Sunt qui dicunt nos pro pace esse in illas partes mittendos: sed obsecro ut vestris sacrosanctis orationibus manentes vel euntes muniamur. Nescio quid peccavi, quia tuæ paternitatis dulcissimas literas multo tempore non merui videre: tamen pernecessarias orationes sanctitatis tuæ me quotidie sentire credo.

Misi charitati tuæ aliquid de oleo, quod vix modo in Britannia invenitur; ut dispensares per loca necessaria episcoporum, ad utilitatem[d] hominum vel honorem Dei. Misi quoque quinquaginta siclos fratribus de eleemosyna Caroli regis: obsecro ut pro eo oretis: et de mea eleemosyna quinquaginta siclos: et ad Australes fratres Baldhuningca, triginta siclos de eleemosyna regis, et triginta de eleemosyna mea, et viginti siclos de eleemosyna patris[e] familiæ Areidæ, et viginti de eleemosyna mea; et per singulos anachoritas tres siclos de puro argento: ut illi omnes orent pro me, et pro domino rege Carolo, ut Deus illum conservet ad tutelam sanctæ suæ Ecclesiæ, et ad laudem et gloriam sui nominis. Exaudiat vos omnipotens Deus pro sancta sua Ecclesia intercedentes; et proficere faciat in salutis æternæ prosperitate.

RECENSIO.

Pars hujus epistolæ a Guilielmo Malmesburiensi, libro primo de gestis regum Anglorum capite quarto producitur: sed integram ex duobus antiquissimis Cottonianæ bibliothecæ codicibus descripsimus, in quibus et alia ad Josephum illum habetur, cujus in hac epistola facta est mentio: ubi de Colco vel Colcano ita meminit. "Sanus est magister vester Colcu, et sani amici tui, qui apud nos sunt." Annum vero 794. quo hæc scripta est epistola Colco vitæ supremum fuisse Simeon Dunelmensis confirmat in chronico. "His diebus Colcu presbyter et lector ex hac luce migravit ad Dominum a quo percipit tandem felicitatis pro laboribus terrenis." Post biennium tamen in annalibus Ultoniensibus annotatur mors "Colga nepotis Dumectæ."

[c] MSS. *flet.* [d] al. *utilitatem honoris Dei.* [e] *regis* MS. major.

Digitized by Google

EPISTOLA XIX.

CLAUDII[a] SCOTI PRESBYTERI, AD JUSTUM ABBATEM.

Ex præfatione commentariorum in Matthæum.

ANNO octingentesimo decimo quinto incarnationis Salvatoris Jesu Christi, postquam pius ac mitissimus princeps, S. Ecclesiæ Catholicæ filius Ludovicus, anno secundo imperii sui, cœlesti fultus auxilio, adversus barbaras nationes movisset exercitum; atque abeunte et discedente tua paternitate ex palatio jam dicti principis ad charum dilectumque tibi semper tui monasterii portum: injunxisti mihi, ut aliquod dignum memoriæ opusculum in expositione evangelii ad legendum dirigerem fratribus monasterii vestri, &c. Ad quoscunque vero sive per hoc sive per aliud quodcumque opusculum notitia nominis mei pervenerit; intercessionem peccatorum meorum supplex ab omnibus exquiro: subnixa prece deposcens, ut ita a misericordissimo Domino nostro flagitetis, ut omnibus delictis meis atque peccatis (omnibus opitulantibus vobis) consuetudinaria clementia et copiosa bonitate deletis, etsi non ad idem præmium, saltem ad eundem vos[c] portum quietis videat[d] pervenire.

RECENSIO.

De eo Bostonus Buriensis, in scriptorum catalogo. "Claudius monachus, et discipulus sancti Bedæ secundum quosdam, floruit circa annum Christi 815. et scripsit ex opusculis Origenis, Hieronymi, Ambrosii, Hilarii, Augustini, Rufini,

[a] A. C. 815.
[b] forsan *submissa*.
[c] forsan *nos*.
[d] *velit* conjicit doctiss. Bedellus.

Digitized by Google

Johannis, Fulgentii, Leonis, Maximi, Gregorii et Bedæ; super Evangelium Matthæi lib. 3." Eum annum, et istos authores, in commentariorum horum præfatione author ipse commemorat: cujus ea tantum pars hic est adscripta, quam ad finem historiæ anni 815. in tomi noni appendice, ex Vallicellana urbis Romanæ bibliotheca, attexuit Cæsar Baronius. Nos vero integrum hoc opus cum alibi vidimus, tum Cantabrigiæ, in collegii Benedictini et aulæ Pembrochianæ bibliothecis.

Digitized by Google

EPISTOLA XIX.

CLAUDII[a] SCOTI PRESBYTERI, AD JUSTUM ABBATEM.

Ex præfatione commentariorum in Matthæum.

ANNO octingentesimo decimo quinto incarnationis Salvatoris Jesu Christi, postquam pius ac mitissimus princeps, S. Ecclesiæ Catholicæ filius Ludovicus, anno secundo imperii sui, cœlesti fultus auxilio, adversus barbaras nationes movisset exercitum; atque abeunte et discedente tua paternitate ex palatio jam dicti principis ad charum dilectumque tibi semper tui monasterii portum: injunxisti mihi, ut aliquod dignum memoriæ opusculum in expositione evangelii ad legendum dirigerem fratribus monasterii vestri, &c. Ad quoscunque vero sive per hoc sive per aliud quodcumque opusculum notitia nominis mei pervenerit; intercessionem peccatorum meorum supplex ab omnibus exquiro: subnixa prece deposcens, ut ita a misericordissimo Domino nostro flagitetis, ut omnibus delictis meis atque peccatis (omnibus opitulantibus vobis) consuetudinaria clementia et copiosa bonitate deletis, etsi non ad idem præmium, saltem ad eundem vos[c] portum quietis videat[d] pervenire.

RECENSIO.

De eo Bostonus Buriensis, in scriptorum catalogo. "Claudius monachus, et discipulus sancti Bedæ secundum quosdam, floruit circa annum Christi 815. et scripsit ex opusculis Origenis, Hieronymi, Ambrosii, Hilarii, Augustini, Rufini,

[a] A. C. 815.
[b] forsan *submissa*.
[c] forsan *nos*.
[d] *velit* conjicit doctiss. Bedellus.

Digitized by Google

Johannis, Fulgentii, Leonis, Maximi, Gregorii et Bedæ; super Evangelium Matthæi lib. 3." Eum annum, et istos authores, in commentariorum horum præfatione author ipse commemorat: cujus ea tantum pars hic est adscripta, quam ad finem historiæ anni 815. in tomi noni appendice, ex Vallicellana urbis Romanæ bibliotheca, attexuit Cæsar Baronius. Nos vero integrum hoc opus cum alibi vidimus, tum Cantabrigiæ, in collegii Benedictini et aulæ Pembrochianæ bibliothecis.

Digitized by Google

EPISTOLA XX.

EJUSDEM CLAUDII, AD DRUCTERANNUM ABBATEM.

PRÆFATIO COMMENTARIORUM IN EPISTOLAM AD GALATAS.

Domino piissimo, et in Christo summo mihi honore singulariter excolendo, Dructeranno abbati, Claudius peccator.

Tres, ni fallor, et eo amplius jam pertranseunt tempore anni, quod me adhuc in Alverni cespitis arvo, in palatio pii principis Domini Ludovici (tunc regis, modo imperatoris) detentum socordia sensus mei, tua fervida dilectione adorsus es excitare, ut aliquem fructuosum laborem in epistolis magistri Gentium adsumerem apostoli Pauli. Sed quia laboribus et turbinibus mundi depressus, hactenus parere jussioni tuæ nequivi; modo, largiente Deo, in isto quadragesimæ tempore epistolam beati jam dicti apostoli Pauli ad Galatas, ex tractatibus beatorum Augustini et Hieronymi patrum, permixtis procuravi ordinare sententiis. In quibus tractatibus cum ad congruentem expositionem multa deesse cernerem, verti me ad alios libros præfati jam patris Augustini; et exinde eam, quæ in illis deerat tractatibus, explere studui expositionem. Nonnulla etiam, ut mihi visum est, infra illorum locutionem, mea studui conjungere verba; quæ utramque expositionem absque scissione conjungerent; et legentis exercerent sensum, et fastidium facerent evitare. Hanc interim, quasi manubias quasdam, tuæ ovans dirigere studeo sanctitati: ut quoties eam manu tenueris et legeris, mei memor esse digneris; et in unum conjungat immensa ubique præsens Christi charitas, quos spatia terrarum

Digitized by Google

dissociant. De cæteris vero epistolis, jam multa in manibus nostris tenentur excerpta: ad quas (si Dominus voluerit, et vitam atque salutem concesserit, orantibus vobis pro nobis) ad expositionem illarum quantocius potuero, accedere procurabo. Pius et misericors Deus, et[a] reverendam mihi beatitudinem tuam, ad profectum et ornatum Ecclesiæ suæ, et annis multiplicare dignetur, et meritis. Vale in Domino, vir Dei; et memento mei.

RECENSIO.

Habentur Claudii in epistolas Pauli commentarii in bibliotheca Cœnobii Cassinensis (ex dono Theobaldi abbatis, ut ex chronico Cassinensi Leonis Ostiensis, libro secundo capite quinquagesimo tertio intelligitur) et S. Germani in urbe Antissiodoro; unde enarrationem epistolæ ad Galatas, cui hæc præfixa est præfatio, descripsit Petrus Pesseliærus, et Parisiis anno 1542. in lucem emisit. Ejusdem in libros Mosis, Judicum et Ruth commentarii (quorum meminit Trithemius) an alicubi adhuc extent, nescio: ex libris in Leviticum, has tantum sententias citatas invenio. "Sicut[b] qui sanus fere totus, pro parte aliqua leprosus, removetur a tabernaculo ut immundus: sic qui legis præcepta transgreditur ex aliqua parte, nihil ex custodia mandati juvatur alterius; quia transgressor unius reus est omnium." Item: "Christus in cruce carnem suam fecit nobis esibilem. Nisi enim fuisset crucifixus, sacrificium corporis ejus minime comederetur. Comeditur autem nunc in memoria Dominicæ passionis. Crucem tamen præveniens, in cœna apostolorum seipsum immolavit, qui post resurrectionem in cœli tabernaculum suum sanguinem introduxit, portans cicatrices passionum."

[a] *Et* delend. vult episc. Kilmorensis

[b] Claudius super Leviticum, lib. 2. cap. 4. tit. de lepra corporis aut cutis. citat. ad marginem Hesychii in Leviticum, MS. in bibliotheca regia.

Digitized by Google

EPISTOLA XXI.

GILDÆ[a], AD RABANUM MONACHUM. PRÆFATIO IN LIBRUM DE COMPUTO.

Dilecto fratri Rabano monacho, Gildas peccator in Christo salutem.

Legimus scriptum in Proverbiis; "meliorem[b] sapientiam cunctis pretiosissimis: et omne desiderabile ei non potest comparari." Ideoque, frater dilectissime, gratias ago Deo, qui tibi ejus amorem inspiravit, cujus possessio mundi divitias contemnit; teque reddit suo fulgore decoratum, et proximis tuis profectuosum. Petebas ergo ut quibusdam de computo propositionibus, earumque minus perfectis responsionibus, quas mihi protuleras nescio a quibus confectas, stylum adhiberem; easque tibi lucidiores redderem. Feci quantum potui, sed non eo ordine quo ibi positas repperi; quia confusa series vim cognoscendi abstulit, et tædium lectionis invexit. Pleraque ergo quæ mihi magis necessaria videbantur addidi; et ordinem in ipsis rebus disponere contendi. Inde quoque evenit, dum brevitati studerem, et tamen ipsarum rerum veritatem patefacere vellem; quod unius libri quantitatem devitare non possem. Composui quidem ex numero et temporum articulis quendam dialogum, et nomini tuo ipsum dicavi. In quo quæ necessaria mihi videbantur interrogandi[c], discipuli nomine, et quæ respondendi magistri vocabulo prænotavi; et non hæc tantummodo propriis rationibus, sed etiam ex antiquorum dictis, et sanctorum patrum sententiis, enotare[d] curavi. Ideo, frater charissime,

[a] A. C. 820.
[b] Proverb. cap. 8. ver. 11.
[c] Forsan *interroganda* et *respondenda*.
[d] *enodare* conjicit doctiss. episc. Kilmor.

Digitized by Google.

hæc legens, scias me non difficultati verborum aut obscuritati sententiarum studuisse, immo magis plana quæque faciliaque collegisse; et quæ ex proprio inserui, ad dilucidandam ipsam veritatem laborasse, magis quam aliorum imperitiæ insultasse. Nulli enim me præfero; sed bene quærentibus, et fidem Catholicam rite servantibus, pro modulo meo comitem spondeo, ac juniorem subdo: quod mihi divina gratia concedat, ut quandiu vivam servorum Christi servitor, et bene docentium auditor, et bene laborantium aliquantulus adjutor existam. Dilectionem tuam majestas Christi nunc et in perpetuum conservare dignetur, sancte frater. Memorem te nostri obsecro, ut quanto citius possis exemplar istius libri, quod tibi ad rescribendum direxi, absolvas et mihi remittas.

RECENSIO.

Habetur MS. in Cottoniana bibliotheca liber ejus de computo, 99 capitulis constans: præfixa præfatione hac ad Rabanum; quem ex monacho abbatem Fuldensem post annum salutis 820. factum fuisse constat. Illud vero tempus ætati Gildæ illius quarti quadrat, quem "genitorem Hiberniensem Scotum habuisse" scribit Balæus, et "studuisse in finibus Scotorum Hiberniensium" ex Lelando addit; quanquam historicum opus, quod ab utroque illi tribuitur, illud ipsum plane est quod in veracioribus exemplaribus Ninio Britanno adscribitur.

Digitized by Google

EPISTOLA XXII.

JOHANNIS SCOTI[a] ERIGENÆ, AD CAROLUM CALVUM, FRANCORUM REGEM.

In Areopagitica, Latine a se conversa, carmen.

HANC libam[b], sacro Græcorum nectare fartam,
Advena Johannes spondo[c] meo Carolo.
Maxime Francigenum, cui regia stemmata fulgent;
Munera votiferi sint tibi grata tui.
Vos qui Romuleas nescitis temnere technas,
Attica ne pigeat sumere gymnasia.
Quorum si quædam per me scintilla relucet[d]
Usibus Ausoniis, si libet aspicite.
Mollestum si non nostrum munire laborem;
Firmetur vestri pondere judicii.
Si quid nodosum durumve notetur in ipso;
Parcite, Cecropidis Attica tela sequor.
At si mendosus declinet[e] tramite recto;
Mellifluo vestro famine corrigite.
Quod si quorundam mordetur dente feroci;
Hoc leve, namque meo contigit Hieronymo.
Ut vero stabilis maneat fundamine firmo;
Regali stathmo figere sufficiet.
Crediderim multos tangentum summa sophiæ
Non despecturos donula nostra fore.

[a] A. C. 858.
[b] λοιβὴν, libationem quæ vino fit.
[c] fort. *spendo*, a Græco σπένδω, quod *libare* significat.
[d] MS. Oxon. *refulget*.
[e] MSS. Oxon. *declinat*.

Digitized by Google

Sudorisque gravis tentabunt carpere fructum:
Forsan virtutem vilia verba tenent.
Sæpe solent spinis redolentes crescere flores;
Nodosæ vitis sumitur uva ferax.

RECENSIO.

De hoc, Guilielmus Malmesburiensis lib. 2. de gestis regum Anglorum, cap. 4. "Hoc tempore creditur fuisse Johannes Scotus, vir perspicacis ingenii et multæ facundiæ: qui dudum concrepantibus undique bellorum fragoribus, in Franciam ad Carolum Calvum transierat; cujus rogatu hierarchiam Dionysii Areopagitæ in Latinum de Græco verbum e verbo transtulit." et Nicolaus I. in epistola ad ipsum Carolum. "Relatum est apostulatui nostro, quod opus B. Dionysii Areopagitæ, quod de divinis nominibus, vel cœlestibus ordinibus, Græco descripsit eloquio, quidam vir Johannes genere Scotus, nuper in Latinum transtulerit." Huic vero translationi præmissum est hoc ad regem Carolum carmen: cujus primum distichon (quod tituli vice reliquis versibus superscriptum fuisse videtur) vir doctus ita legendum censuit:

Hunc librum, sacro Græcorum nectare fartum,
Advena Johannes pando[a] meo Carolo.

et paulo post:

Parcite Cecropidis; Attica vela sequor.

[a] vel *mando.*

Digitized by Google

EPISTOLA[a] XXIII.

EJUSDEM JOHANNIS[b], AD EUNDEM CAROLUM.

IN EADEM AREOPAGITICA PRÆFATIO.

Gloriosissimo Catholicorum regum Carolo, Johannes extremus sophiæ studentium, salutem.

VALDE quidem admiranda, dignisque virtutum laudibus est exaggerenda, Catholicorum virorum religiosissima sollicitudo: qui dum vitæ humanæ periculosis exagitari videntur[c] ærumnis, fixa tamen mentis intentione divinarum rerum laboriosis investigationibus purgati, fructuosis inventionibus illuminati, perpetuis immutabilibusque veritatis atque divini amoris contemplationibus perfecti; non inter mortales habitare, sed in cœlestem conversationem mutati penitus esse judicandi sunt. In quorum numero vos esse constitutos, nullus recte vestros affectus intuentium dubitare permittitur, piissime gloriosissimeque regum; quandoquidem civilium (plusque quam civilium) bellorum maximis assiduisque perturbationibus, et insuper etiam paganarum gentium barbaricis incursibus Christianorum regnum passim invalentibus allisi, non tamen regalis animi stabilitate dejecti (quasi quoddam immobile saxum Neptuni limite[d] naturaliter defixum, crispissimos validissimosque cærularum tumultus stabili duraque fronte repellens) toto vestræ mentis intuitu totaque cordis devotione sanctarum Scripturarum secreta (ducente Deo et rationis lumine) investigatis, investigantesque diligitis. Et non solum Latialis[e] eloquii maximos sanctissimosque au-

[a] Collat. cum duobus antiquissimis exemplaribus Bibliothecæ publicæ academiæ Oxoniensis, quorum unum notamus litera O, alterum N.

[b] A. C. 853. [c] *videantur* O. N. [d] *limitem* O. [e] *Latiaris* N.

Digitized by Google

tores perquiritis; verum etiam in augmentum ædificationis Catholicæ fidei, novis modernisque editionibus, in laudem Christiani dogmatis, Hellados[f] patres, pio affectu addidistis consulere.

Hinc est quod et ingenioli nostri parvitatem non dedignati estis impellere, nec nos velut otiosos inertiæque somno sopitos perpessi estis dormire: ne dum Hesperiis solummodo apicibus studium impendimus, ad purissimos copiosissimosque Graium latices recurrere, haustumque inde sumere non valeremus. Jussionibus itaque vestris neque volentes neque valentes obsistere, rudes nos[g] admodum tirones adhuc Helladicorum studiorum, fatemur, (quid enim pudeat nos fateri vestræ mansuetudini[h]?) ultra vires nostras (ipso tamen Duce, qui est lux mentium, et "illuminat[i] abscondita tenebrarum,") libros quatuor sancti patris Dionysii Areopagitæ episcopi Athenarum, quos scripsit ad Timotheum episcopum Ephesiorum, et decem epistolas ejusdem, de Græco in Latinum transtulimus. Opus valde, ut opinamur, anfractuosum, longeque a modernis sensibus remotum, multis invium, paucisque apertum; non solum propter antiquitatem, verum etiam cœlestium altitudinem mysteriorum.

Fertur namque præfatus Dionysius fuisse discipulus atque adjutor Pauli apostoli, a quo Atheniensium constitutus est episcopus. Cujus et Lucas commemorat in actibus[k] apostolorum, et Dionysius episcopus Corinthi vir antiquus: beatus quoque Polycarpus in epistola ad Ecclesiam Athenarum, Eusebius item Pamphili in ecclesiastica historia; necnon etiam sanctus papa Gregorius in homelia sua, ubi breviter angelorum ordines exposuit. Hunc eundem quoque non præfati viri, sed alii moderni temporis, asserunt (quantum vita ejus a fidelibus viris tradita testatur) temporibus papæ Clementis, successoris videlicet Petri apostoli, Romam venisse, et ab eo prædicandi evangelii gratia in partes Galliarum directum fuisse; et mar-

[f] *Ellinas.* N. O.
[g] *nos* superscribitur in O.
[h] *Serenitudini* N. O. licet ibi in margine alia lectio annotetur.
[i] 1 Cor. cap. 4. ver. 5.
[k] Act. cap. 17. ver. 34.

Digitized by Google

tyrum gloria coronatum fuisse, cum beatissimis suis consortibus, Rustico scilicet atque Eleutherio.

Hæc igitur nostra qualiscumque translatio, non quidem prolixæ indiget, ut arbitror, apologiæ; cum omnibus ejus æmulis (quicunque et qualescunque sint) facillima una responsione possimus occurrere: vestræ videlicet celsitudini neque potuisse neque debuisse non obedire. Si quis autem nimis tardæ aut nimis inusitatæ redarguerit elocutionis: attendat non me tantum, sed et se ipsum nihil posse plus accipere, quam quod ipse distribuit "qui[l] dividit singulis propria prout vult." Sin vero obscuram minusque apertam prædictæ interpretationis seriem judicaverit; videat me operis hujus interpretem esse, non expositorem; ubi valde pertimesco, ne forte culpam fidi[m] interpretis incurram. At si aut superflua quædam superadjecta esse, aut de integritate Græcæ constructionis quædam deesse arbitratus fuerit: recurrat ad codicem Græcum, unde ego interpretatus sum; ubi fortasse inveniet ita ne esse, nec ne. Hoc tamen[n] mihi idoneum fore arbitratus sum; omissis aliorum conjecturis, unius solius arbitrio succumbere, cui oportet me obtemperare.

Sanctus ergo Dionysius (ut prædiximus) Areopagita, ex vico videlicet Martis denominatus, (Ares enim[o] a Græcis bellum vocatur:) primis juventutis suæ floribus academiæ studiis eruditus; deinde divino atque ineffabili miraculo solaris eclipseos, quæ facta est confixo Domino nostro Jesu Christo crucis patibulo commotus; ipse siquidem[p] (ut in quadam epistolarum suarum commemorat) dum esset juxta Heliopolim cum Polycarpo episcopo, cæterisque qui tunc aderant, divina procurante providentia, mirabilem in modum conspexerat lunam soli subeuntem, ac per hoc solem defecisse. Moxque sanctissimum virum, apostolorum discipulum, Hierotheum videlicet episcopum, secutus; cujus in tertio hujus operis libro mentionem[q] facit, eundemque magistrum suum venerabilem nominat, cæterisque tunc temporis coepiscopis post apostolos in theo-

[l] 1 Cor. cap. 12. ver. 11.
[m] Vid. Henr. Stephani Schediasm. lib. 1. cap. 19.
[n] *tantum* O.
[o] *namque* O. N.
[p] *quidem* O.
[q] *memoriam* O. N.

Digitized by Google

logia præferre non dubitat: cum quo, multisque aliis sanctis in unum convenientibus, Christum post resurrectionem corporaliter est contemplatus. Aderantque ibi, ut ipse ait, Jacobus frater Domini, et Petrus vertex apostolorum. Talibus ac tantis admonitus, divinarumque Scripturarum mysteriis illuminatus, scripsit hos libros, hortante atque[r] postulante sancto Timotheo, aliisque quorum nomina in processu hujus operis sæpissime declarat, doctrinamque breviter insinuat. Sed præsentis operis intentionem breviter intimare necessarium duximus; quo facilius lector studiosus ingrediatur.

Primus itaque liber, qui inscribitur De cœlesti hierarchia (quod nos, non verbum sed sensum exprimentes, possumus Latine dicere, De cœlesti pontificatu, seu De cœlesti summo sacerdotio) novem cœlestium virtutum dispositiones enumerat, ordinat, segregat, conjungit; earumque sanctis theologis divinitus manifestatas symbolicas (hoc est, significativas imaginationes mysticas) luculenter exponit. Ordinat quidem in superiores et medias et ultimas. Segregat vero in ternas ter hierachias. Conjungit primas ultimis, et ultimas primis, per medias; mirabili extremitatum et medietatum ratione coadunans. Dissimilium quoque formarum descriptiones in propheticis visionibus; plus quam similium, cœlestes substantias expressius insinuare confirmat. Nullamque visibilium seu invisibilium naturarum, ab initio intellectualis creaturæ usque ad extremum terrenumque vermiculum, nominari; ex qua divina theologia quandam similitudinem ad significandam omnium rerum causam, Deum videlicet, non introducat.

Secundus vero, cui est inscriptio De ecclesiastica hierarchia, humanæ naturæ, Salvatoris nostri sanguine redemptæ, unitatem denunciat, et[s] similitudinem cœlestis sacerdotii, (quantum possibile est) mortalibus adhuc ordinatam: cujus summus pontifex ipse est qui eam sibi per gratiam suam coaptavit; qui etiam totius hierarchiæ, cœlestium quidem et terrestrium, principium est, et medium, et finis ad quem omnia referuntur. Hæc itaque nos-

[r] *ac* O. N.

[s] *ad similitudinem videlicet.* O. N.

Digitized by Google

tra hierarchia instar cœlestis tripartita est; in tres scilicet hierarchias. Quarum prima (temporali quidem ordine, ultima vero dignitate) legale sit sacerdotium; quod in variis valdeque obscuris symbolis per legislatorem Moysen plane carnali adhuc populo, literæque non spiritui servienti, distributum est: cujus maximus character erat tabernaculum illud in Arabico monte figurate monstratum. Secunda vero, quæ est[t] media, sacerdotium quod nunc est: Ecclesiam dico novi Testamenti, sub gratia quidem constitutam, partim symbolis visibilium sacramentorum dispositam, partim vero veritatis contemplatione perfectam; et est finis præteritæ primæ, initium vero futuræ hierarchiæ: quæ est tertia, jam[u] ex parte inchoata in primitiis contemplationis, perficienda vero post gloriam futuræ resurrectionis; quando, visibilium sacramentorum velaminibus sublatis, ipsam veritatem perspicua claritate contemplabimur. Ideoque præsens ecclesiastica hierarchia (ut diximus) media est inter legalem præteritam et cœlestem futuram: quoniam non solum æternarum rerum symbola peragit et visibiliter considerat, ut legalis præterita; sed et spiritualem intelligentiam investigare invenireque non cessat, ut cœlestis futura.

Tertius dehinc continet divinarum nominationum virtutes, ideoque De divinis nominibus vocitatur; quia[w] in eo secretissima subtilissimaque reserantur mysteria de unitate et trinitate divinæ essentiæ: hoc est, quæ nomina discretam, quæ unitam insinuant Deitatem; quæ per se inhumanato Filio conveniunt, quæ sit unius solius omnium causæ in primordiales causas prima processio, ac per eas iterum a summo usque deorsum multiplex theophania; in genera quidem, in species, numerosque visibilium et invisibilium naturarum: ubi supernaturali contemplatione docere perspicitur, plus similia esse et appropinquare Deo ea quæ non sunt quam quæ sunt (non tamen privatione substantiæ, sed superexcellentia naturæ) quid distat inter causas et causativas; malum nihil esse, neque in rerum natura subsistere, neque substantiæ, neque vir-

[t] *et* O. N.
[u] *nunc* O. N.
[w] Deest *quia* in N et O.

Digitized by Google

tuti, neque operationi nocere: ea quoque quæ per privationem de Deo dicuntur, per excellentiam in ipso intelligenda esse.

Quartus De mystica theologia, quantum coarctior sit cæteris in sermonibus, tantum largior in sensibus. Unde et in duas maximas logicæ disciplinæ dividitur partes; cataphaticam plane et apophaticam; id est, in esse, et non esse, ubi analyticæ artis regulis utitur; et nos præclarissime commonet, per privationem omnium quæ dici seu intelligi possunt, oportere ad veritatem quæ est causa omnium quæ ab ea, et per eam, et in ea, et ad eam, et[x] propter eam creata sunt, per excellentiam essentiæ recurrere.

Lumine sidereo Dionysius auxit Athenas,
Areopagites, magnificusque sophos.
Primo commotus Phœbum subeunte Selena[y],
Tempore quo stauro[z] fixus erat Dominus.
Mox ut conversus, mira stupefactus eclipsi;
Consequitur gaudens Hierothea ducem.
Qui mox edoctus: præclarus namque magister
Pneumatis[a] excelsi fonte renatus erat.
Nec mora, perfulgens cœlestis luce sophiæ[b],
Attidas edocuit, de quibus ortus adest.
Namque ferunt Paulum, qui Christum sparsit in orbem,
Ipsi felices imposuisse manus.
Ast mox perfectus Doctoris symmachus[c] instans,
Rexit Cecropidas pervigil archiereus[d].
Alta dehinc volitans Paulum supra[e] astra secutus,
Empyrei cœli tertia regna videt.
Suspicit ad Semphin primos, sanctosque Cherubin,
Æthereosque thronos, quo sedet ipse Deus.
Post hos, virtutes, dominatus, atque potentes,
Agminibus sacris enitet ordo sequens.

[x] *et propter eam* desunt in O et N.
[y] σελήνη, luna.
[z] σταυρῷ, cruci.
[a] Πνεύματος, Spiritus.
[b] σοφίας, sapientiæ.
[c] σύμμαχος, commilito.
[d] ἀρχιερεὺς, pontifex.
[e] *Super.* Duo MSS. Oxon.

Digitized by Google

Αρχῶν[f]——————————————————

Dentibus[g] ouraniis[h] tertia taxis[i] inest.
Hos igitur numeros terno ter limite septos,
Prædicti patris mystica dicta docent.

RECENSIO.

Hæc etiam epistola præmissa est "libris S. Dionysii Areopagitæ quos Johannes Eriugena transtulit de Græco in Latinum, jubente ac postulante gloriosissimo rege Carolo, Ludovici imperatoris filio;" ut habetur in libro MS. quo hic sum usus, collegii S. Trinitatis Cantabrigiæ. Johannis quoque nostri putantur esse excerpta illa, quæ inter Macrobii scripta feruntur, De differentiis et societatibus Græci Latinique verbi; hac ad finem notatione adjecta. "Explicit defloratio de libro Ambrosii Macrobii Theodosii, quam Johannes carpserat ad discendas Græcorum verborum regulas." Atque ita etiam censuit V. Cl. P. Pithæus; "esse hunc Johannem Scotum, virum illum Græcæ Latinæque linguæ peritissimum, qui Carolo imperatori coætaneus et Dionysii libros Latinos fecit:" quemadmodum in suis ad hunc libellum notulis monuit Johannes Opsopæus. Refert Jo. Balæus, Centuria secunda scriptorum Britannorum, capite vicesimo quarto, et eum secuti alii, transtulisse eum "in tres linguas, scilicet Chaldaicam, Arabicam et Latinam, Aristotelis Moralia de secretis secretorum, seu recto regimine principum." Latini scripti duo penes me sunt MSS. exemplaria: quod posterioris alicujus Johannis opus esse, mihi non est dubium.

[f] Græcus iste versiculus in MS. exemplari ab imperito librario ita erat depravatus; ut a nobis omnino restitui non posset.

[g] *Mentibus* conjicit doctiss. episc. Kilmor. quomodo habet et antiquiss. exemplar Oxon.

[h] *οὐρανίοις*, cœlestibus. [i] *τάξις*, ordo.

Digitized by Google

EPISTOLA XXIV.

ANASTASII[a] ROMANÆ ECCLESIÆ BIBLIOTHECARII, AD EUNDEM REGEM CAROLUM: DE IISDEM AREOPAGITICIS, ET JOHANNE SCOTO EORUM INTERPRETE.

INTER cætera studia, quæ tam laudabilis actio quam saluberrima commonitio, quin etiam odorifera volans opinio de virtutum ac morum quantitate[b] tuorum, o dictator inclyte, mortalium mentes excitat, et ad effodiendam sapientiam hortatur, velut thesauros; illud quoque non mediocriter[c], est admiratione stupendum, quod non solum Latinos patres, sed et Græcos rimari non cessas, et Romana lingua pollentes Pelasgarum facis rerum non expertes. Tu quippe facis, qui ad faciendum suscitas et hortaris: quia et nos sæpe magnam domum fecisse dicimur, non tamen manibus, sed affatibus. Beatus itaque Areopagita Dionysius Atheniensis antistes (quem inter cætera constat industria tua, præstantissime principum, in Romanum sermonem translatum) tantum est, ut ipse patentius nosti, ad intelligendum difficilis, quantum sermone sublimis: immo quanto difficilia sunt intellectu et alta mysteriis, quæ ipse perscrutatus, superna revelante gratia, didicit; et arcana theologiæ, divina se ducente manu, ingressus in sanctuarium Dei, ablato velamine penetravit.

Mirandum igitur est, quia pietas tua nec talia indiscussa reliquit. Sed hic licet in terra ambulat, tanquam in cœlis conversans ambit: ita ut, veluti quidam (ut ita fateamur) angelus vel cœlestis homo, sancta sanctorum ingredi contemplatione videaris, et ad abdita et adyta divinæ ineffabilitatis (quantum possibile est mortalibus) acutis spiritualium oculorum visibus accepisse[d] credaris. Mirandum

[a] C. A. 860.
[b] *qualitate* MS. Oxon.
[c] *mediocri* MS. Oxon.
[d] *acccssisse.* MS. Oxon.

Digitized by Google

est quoque, quomodo vir ille barbarus (qui in finibus mundi positus, quanto ab hominibus conversatione, tanto credi potuit alterius linguæ dictione, longinquus) talia intellectu capere in aliamque linguam transferre valuerit. Johannem innuo Scotigenam virum, quem[e] auditu comperi per omnia sanctum. Sed hoc operatus est ille artifex spiritus, qui hunc ardentem pariter et loquentem fecit. Nisi enim ex gratia ipsius igne charitatis flagrasset; nequaquam donum linguis loquendi procul dubio suscepisset. Nam hunc magistra charitas docuit, quod ad multorum instructionem et ædificationem patravit.

Verum etsi ad mensuram datus est ei spiritus: ipse tamen, paternis doctrinis imbutus, quantum potuit fecit, et prodesse proximis ultra vires tentavit. Siquidem præter illa quæ hunc latuisse probantur, ex his quæ sparsim a quibusdam de prædicti patris sermonibus et epistolis ante nos interpretata inveniuntur, plurimum utilitati subtraxit; quia tanto studio verbum de verbo dicere procuravit: quod genus interpretationis (licet et ipse plurimum[f] sequar) quantum illustres interpretes vitent, tua profecto solers experientia non ignorat. Quod eum non egisse ob aliam causam existimo, nisi quia cum esset humilis spiritu, non præsumpsit verbi proprietatem deserere; ne aliquo modo a sensus veritate decideret. Unde factum est, ut tantum virum, qui per se (quoniam intima et ardua quæque utriusque philosophiæ penetralia rimari proposuit) perplexus nostris intellectibus videbatur, intra cujusdam labyrinthi difficilia irretiret, et in antris profundioribus invisibiliorem quodammodo collocaret; et quem interpretaturum susceperat, adhuc redderet interpretandum.

Quapropter ipse merito anxius, cœpi sedulo quærere, si forte reperiri potuisset præceptor quisquam vel aliquod scriptum, quo enucleante, tantus pater nobis liquidius illucesceret; et, quia jam per interpretis industriam linguæ nostræ fuerat traditus, nostris patulis redderetur perfectius intellectibus: cum ecce repente paratheses sive scholia in eum, quæ Constantinopoli positus videram, ad manus ve-

[e] *quantum* MS. Oxon. [f] *plerumque* MS. Oxon.

Digitized by Google

nere, quibus utcunque interpretatis, mihi aliquantulum magis emicuit; quæ videlicet in marginibus interpretati codicis ejus, ut in Græco repperi, mox interpretata utcumque (donec a docto melius interpretarentur) respondentibus signis interpres ego satis imperitus apposui, vestræque gloriosæ sapientiæ potissimum fore mittenda non immerito judicavi; ut scilicet, quæ fuit alterius interpretationis hortatrix et auxiliatrix, sit etiam nostræ qualiscunque susceptrix et approbatrix. Ipsorum autem scholiorum sive paratheseῶn quæcunque in calce sui signum vivificæ crucis habent, a beato Maximo confessore ac monacho inventa narrantur; cætera vero sancti Johannis Sycopolitani[g] episcopi esse feruntur. Sane ubi a verbis interpretis scholia ipsa dissentire vidi; ut lector quid de apposita dictione interpres senserit, quid scholion insinuet indifficulter agnoscat, et verba interpretis scholio inserui, et qualiter ea scholii compositor prætulerit[h], innui. Sed et, sicubi oportunum fore conspexi, ex me quoque (quoniam esse aliter non potuit) paucissima quædam, et quæ facilius ab intelligente agnosci poterant, interposui.

Præterea notandum est, quod licet tantæ gloriæ tantæque scientiæ sive antiquitatis iste sanctus Dionysius fuerit, nunquam tamen aliqua opuscula eum edidisse (nisi fallor) quæcumque orthodoxorum scripta traditio prodit, priusquam Romani pontifices, videlicet Gregorius, Martinus, et Agatho, dictorum ejus in conscriptis suis mentionem fecerint, et ea per hæc probabilia judicantes admiserint. Gregorius scilicet in homelia capituli evangelii de centum ovibus et decem dragmis; Martinus in synodo sua quam Romæ contra hæreticos celebravit; et Agatho in epistola quam ad sextam synodum destinavit. Unde ego veram esse Græcorum opinionem conjicio, perhibentium libros ejus a prioribus hæreticis occultatos; donec longo post tempore ex opusculis ejus solus codex qui nunc habetur, est Romæ repertus, cæterisque nondum inventis, in Græciam asportatus. Edidit enim et alios, ut ipse innuit, libros;

[g] Ita et edit. Colon. sed MS. Oxon. *Scitopolitani antistitis.*

[h] *protulerit* MS. Oxon.

Digitized by Google

quos nec Græcus quisquam nec adhuc potuit invenire Latinus.

Et quidem Lucas in Actibus apostolorum[i], Eusebiusque Pamphili et Dionysius Corinthi antistes, de eo quædam miranda tradunt: quæ vero scripsit, nisi me oblivio fallat, omnino non tradunt. Suadet autem ad hoc ita credendum etiam illud, quod nemo probabilium tractatorum (sicut eis moris est priorum dicta exponendi[k], et suis opusculis inserendi) scriptis ipsius utitur, aut horum cujuspiam reminiscitur. Denique vir magnus et apostolicæ sedis præceptor Constantinus[l] philosophus, qui Romam sub venerabilis memoriæ Adriano juniori papa veniens, S. Clementis corpus sedi suæ restituit (quique totum codicem sæpe memorati et memorandi patris memoriæ commendabat, et quantum utilitatis medullæ ejus habebat, auditoribus commendabat) solitus erat dicere: quod si sanctos, videlicet priores institutores nostros, qui hæreticos quosque vix et quodammodo cum fuste decollaverunt, Dionysium contigisset habere; cum acuto illos gladio proculdubio trucidassent: innuens profecto hujusmodi dicto, quia quorum os laboriosius et forte tardius obstruxerunt, facilius et acutius sive velocius (ὀξὺ quippe et acutum significat[m] et velox) obmutescere coegissent. Ac[n] post prælatorum sanctorum sedis apostolicæ præsulum memoriam, tam septima et octava synodus, quam Latini et Græci doctores, non solum quia venerabilis hic pater scripserit innuunt, sed et testimonia ex scripturis[o] ejus frequenter assumunt; ut scilicet sensus suos et dicta tanti viri reddant auctoritatis pondere gravida, et cunctis mortalibus approbanda pariter et sectanda[p].

Deus omnipotens gloriam tuam a terrenis ad cœleste regnum quandoque transferat[q]. Datum X. kalendas Aprilis. Indictione octava.

[i] Act. cap. 17. ver. 34.

[k] *excerpendi* MS. Oxon.

[l] de quo vide Anastasii hujus præfat. in octavam synodum. tomo 3. Concil. general. edit. Rom. part. 2. pag. 181.

[m] *signat* MS. Oxon.

[n] *At vero* MS. Oxon.

[o] *scriptis* MS. Oxon.

[p] *consectanda* MS. Oxon.

[q] Ita edit. Colon. sed MS. Oxon. *a terreno ad cœleste transferat regnum quandoque.*

Digitized by Google

RECENSIO.

Idem hic de Johannis Scoti translatione ab Anastasio fertur judicium quod postea a Rogero Hovedeno latum est, in priore parte annalium. "Caroli rogatu Hierarchiam Dionysii Areopagitæ in Latinum de Græco verbum e verbo transtulit: quo fit, ut vix intelligatur Latina litera, quæ volubilitate magis Græca, quam positione construitur nostra." Ex hac autem epistola intelligimus, Græca in Dionysium quæ Maximo tribuuntur scholia, non illius esse omnia, sed Johannis Sycopolitani episcopi παραθίσεις habere admixtas. Unde et prologo in Græca editione Moreliana titulum hunc præfixum videmus: Πρόλογος τοῦ ἁγίου Μαξίμου, ἢ κατὰ τινὰς τοῦ Συκοπολίτου. Prologus sancti Maximi, vel, secundum quosdam, Sycopolitani.

Digitized by Google

EPISTOLA XXV.

DUBLINIENSIUM[a], AD LANFRANCUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Venerando sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ metropolitano Lanfranco, Clerus et populus Ecclesiæ Dubliniensis debitam subjectionem.

VESTRÆ paternitati est cognitum, quod Ecclesia Dubliniensis, quæ Hiberniæ insulæ metropolis est, suo sit viduata pastore, ac destituta rectore. Propterea elegimus presbyterum, nomine Patricium, nobis sufficientissime cognitum, natalibus et moribus nobilem, apostolica et ecclesiastica disciplina imbutum, fide Catholicum, in Scripturarum sensibus cautum, in dogmatibus ecclesiasticis exercitatum. Quem nobis quantocius petimus ordinari episcopum: quatenus, auctore Deo, regulariter nobis præesse valeat et prodesse; et nos sub ejus regimine salubriter militare possimus; quia integritas præsidentium salus est subditorum: et ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ.

RECENSIO.

Historia, cum hujus epistolæ argumento connexa, et in Dubliniensibus et in Cantuariensibus annalibus habetur tradita. In Dubliniensibus quidem ita. "Anno Domini 1074. Dunanus, episcopus Dubliniensis civitatis in Christo quievit, et in Ecclesia S. Trinitatis, juxta magnum altare, ad dextram ipsius, est sepultus. Eodem anno ad regimen Dubliniensis Ecclesiæ Lanfrancus archiepiscopus Cantuariæ, petente Goderico rege, Dubliniensis Ecclesiæ populo et clero consentientibus et eligentibus, in Ecclesia S. Pauli Londoniæ Patricium

[a] A. C. 1074.

Digitized by Google

sacravit antistitem, accepta prius ab ipso examinato professione, de sua obedientia (modo antecessorum suorum) sibi suisque successoribus adhibenda : sacratumque in patriam, unde venerat, remisit ; dans ei literas ferendas Goderico regulo, et Terdilvaco maximo regi Hiberniæ." In Cantuariensibus brevius, hoc modo. Lanfrancus, ordinationis suæ quarto anno, " Patricium Dubliniæ civitati in Hibernia sacravit episcopum Lundoniæ : a quo et professionem accepit ; et literas ei, deferendas regibus Hiberniæ, dignas valde memoriæ contradidit." Professionem, cujus hic fit mentio, pagina 563. exhibemus, ex eodem Cottonianæ bibliothecæ codice desumptam, e quo præsentem epistolam descripsimus. Literæ vero ad reges missæ, jam proxime subsequuntur.

Digitized by Google

EPISTOLA XXVI.

LANFRANCI[a] CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI, AD GOTHRICUM REGEM DUBLINIÆ.

Lanfrancus non suis meritis, sed gratia Dei archiepiscopus; glorioso Hiberniæ regi Gothrico, salutem orationibus.

VENERABILEM fratrem ac coepiscopum nostrum Patricium, quem charissime fili, excellentia vestra ad nos consecrandum transmisit, honeste suscepimus, debitis officiis secundum canonicam institutionem, sancti Spiritus gratia cooperante, sacravimus, sacratum ad sedem propriam cum testimonio literarum nostrarum, more antecessorum nostrorum, remisimus. Qui quamvis de gloria vestra multa nobis bona, multisque laudibus digna nobis retulerit; non ab re tamen esse credimus, si prædicanda vestra studia nostra adhortatione pulsamus. Sicut enim ignis flante vento clarius lucet, et major efficitur; sic vera virtus veris præconiis pulchrius enitescit, et in melius augmentatur.

Rogamus igitur, sicut rogari oportet pretiosum sanctæ Ecclesiæ filium, quatenus fidem rectam, ab ipso Deo et sanctis ejus apostolis atque orthodoxis patribus traditam, cum omni mentis sinceritate inviolatam teneatis; fidei congrua opera, in quantum vires suppetunt, exhibeatis: superbis austeram, humilibus placabilem vestram celsitudinem ostendatis. In regno vestro perhibentur homines, seu de propria, seu de mortuarum uxorum parentela conjuges ducere: alii legitime sibi copulatas pro arbitrio et

[a] A. C. 1074.

Digitized by Google

voluntate relinquere; nonnulli suas aliis dare, et aliorum infanda commutatione recipere. Hæc, et si qua sunt alia crimina, propter Deum et animam vestram in terra potestatis vestræ corrigi jubete: talesque vos cum divino adjutorio vestris subditis exhibete, ut et amatores boni bona amplius diligant, et appetitores mali pravas actiones nequaquam exercere præsumant. Hoc enim facientes, et diutius cum rerum temporalium felicitate in terra regnabitis, et post terrenum regnum sine fine regnaturi ad cœlestia regna migrabitis.

Plura et prolixius vobis scripsissem: sed habetis vobiscum prædictum antistitem vestrum, monasticis institutionibus a pueritia enutritum, scientia divinarum literarum strenuissime eruditum, bonorum operum ornamentis, in quantum cognosci a nobis potuit, decentissime adornatum. Quem de anima vestra vobis sæpius loquentem si intento corde audieritis, audientes ut patri spirituali (in his quæ ad Deum pertinent) obedieritis, obedientes ea, quæ vobis ab eo prolata fuerint, in arca pectoris vestri reposueritis; speramus per misericordiam Dei, quia neque vos perniciose errabitis, neque subditos vobis in pravarum actionum pertinacia stare diu permiseritis. Omnipotens Dominus contra inimicos mentis et corporis brachio virtutis suæ excellentiam vestram defendat; et post longam hujus seculi vitam, ad eam, quæ finem non habet, feliciter vos perducat.

RECENSIO.

Gothricus hic non alius fuisse videtur quam Godredus, cognomento Crouan, de quo in chronico regum Manniæ, ad annum 1066. ita legimus. "Godredus subjugavit sibi Dubliniam, et magnam partem de Laynestir. Scotos vero ita perdomuit; ut nullus qui fabricaret navem vel scaphas, ausus esset plus quam tres clavos inserere. Regnavit autem sexdecim annis; et mortuus est in insula quæ vocatur Yle."

Digitized by Google

EPISTOLA XXVI.

LANFRANCI[a] CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI, AD GOTHRICUM REGEM DUBLINIÆ.

Lanfrancus non suis meritis, sed gratia Dei archiepiscopus; glorioso Hiberniæ regi Gothrico, salutem orationibus.

VENERABILEM fratrem ac coepiscopum nostrum Patricium, quem charissime fili, excellentia vestra ad nos consecrandum transmisit, honeste suscepimus, debitis officiis secundum canonicam institutionem, sancti Spiritus gratia cooperante, sacravimus, sacratum ad sedem propriam cum testimonio literarum nostrarum, more antecessorum nostrorum, remisimus. Qui quamvis de gloria vestra multa nobis bona, multisque laudibus digna nobis retulerit; non ab re tamen esse credimus, si prædicanda vestra studia nostra adhortatione pulsamus. Sicut enim ignis flante vento clarius lucet, et major efficitur; sic vera virtus veris præconiis pulchrius enitescit, et in melius augmentatur.

Rogamus igitur, sicut rogari oportet pretiosum sanctæ Ecclesiæ filium, quatenus fidem rectam, ab ipso Deo et sanctis ejus apostolis atque orthodoxis patribus traditam, cum omni mentis sinceritate inviolatam teneatis; fidei congrua opera, in quantum vires suppetunt, exhibeatis: superbis austeram, humilibus placabilem vestram celsitudinem ostendatis. In regno vestro perhibentur homines, seu de propria, seu de mortuarum uxorum parentela conjuges ducere: alii legitime sibi copulatas pro arbitrio et

[a] A. C. 1074.

Digitized by Google

voluntate relinquere; nonnulli suas aliis dare, et aliorum infanda commutatione recipere. Hæc, et si qua sunt alia crimina, propter Deum et animam vestram in terra potestatis vestræ corrigi jubete: talesque vos cum divino adjutorio vestris subditis exhibete, ut et amatores boni bona amplius diligant, et appetitores mali pravas actiones nequaquam exercere præsumant. Hoc enim facientes, et diutius cum rerum temporalium felicitate in terra regnabitis, et post terrenum regnum sine fine regnaturi ad cœlestia regna migrabitis.

Plura et prolixius vobis scripsissem: sed habetis vobiscum prædictum antistitem vestrum, monasticis institutionibus a pueritia enutritum, scientia divinarum literarum strenuissime eruditum, bonorum operum ornamentis, in quantum cognosci a nobis potuit, decentissime adornatum. Quem de anima vestra vobis sæpius loquentem si intento corde audieritis, audientes ut patri spirituali (in his quæ ad Deum pertinent) obedieritis, obedientes ea, quæ vobis ab eo prolata fuerint, in arca pectoris vestri reposueritis; speramus per misericordiam Dei, quia neque vos perniciose errabitis, neque subditos vobis in pravarum actionum pertinacia stare diu permiseritis. Omnipotens Dominus contra inimicos mentis et corporis brachio virtutis suæ excellentiam vestram defendat; et post longam hujus seculi vitam, ad eam, quæ finem non habet, feliciter vos perducat.

RECENSIO.

Gothricus hic non alius fuisse videtur quam Godredus, cognomento Crouan, de quo in chronico regum Manniæ, ad annum 1066. ita legimus. "Godredus subjugavit sibi Dubliniam, et magnam partem de Laynestir. Scotos vero ita perdomuit; ut nullus qui fabricaret navem vel scapham, ausus esset plus quam tres clavos inserere. Regnavit autem sexdecim annis; et mortuus est in insula quæ vocatur Yle."

Digitized by Google

EPISTOLA XXVII.

EJUSDEM LANFRANCI[a], AD TERDELVACUM HIBERNIÆ REGEM.

Lanfrancus peccator et indignus sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ archiepiscopus, magnifico Hiberniæ regi Terdelvaco benedictionem, cum servitio et orationibus.

NULLAM Deus majorem terris misericordiam impendit, quam cum pacis ac justitiæ amatores ad animarum seu corporum gubernacula provehit: et maxime cum bonis regibus regna hujus mundi regenda committit. Hinc namque pax oritur, discordia sopitur, et, ut breviter cuncta complectar, Christianæ religionis observantia stabilitur. Quod populis Hiberniæ divinitus tunc collatum fuisse prudens inspector intelligit, quando omnipotens Deus excellentiæ vestræ jus regiæ potestatis super illam terram concessit. Tot enim tantaque bona de magnitudinis vestræ erga bonos pia humilitate, contra pravos districta severitate, circa omne hominum genus discretissima æquitate, frater et coepiscopus noster Patricius narravit; ut quamvis vos nunquam viderimus, tanquam visos tamen vos diligamus, et tanquam visis et bene cognitis vobis salubriter consulere, et sincerissime servire cupiamus.

Verum inter multa quæ placent, relata nobis sunt quædam quæ displicent: videlicet quod in regno vestro quisque pro arbitrio suo legitime sibi copulatam uxorem, nulla canonica causa interveniente, relinquit, et aliam quamlibet,

[a] A. C. 1074.

Digitized by Google

seu sibi vel relictæ uxori consanguinitate propinquam, sive quam alius simili improbitate deseruit, maritali seu fornicaria lege, punienda sibi temeritate conjungit. Quod episcopi ab uno episcopo consecrantur. Quod infantes baptismo sine chrismate consecrato baptizantur. Quod sacri ordines per pecuniam ab episcopis dantur. Hæc omnia, et si qua sunt similia, contra evangelicam et apostolicam auctoritatem, contra sanctorum canonum prohibitionem, contra omnium orthodoxorum patrum, qui nos præcesserunt, fieri institutionem; nullus qui sacras literas vel mediocriter legit, ignorat. Quæ, quanto in conspectu Dei sanctorumque ejus amplius sunt horrenda, tanto studiosius vestris sunt sine aliqua dilatione jussionibus prohibenda; et nisi prohibita corrigantur, districtissima terroris vestri severitate punienda. Nullum enim Deo vel majus vel gratius munus offerre potestis, quam si divina et humana debitis legibus gubernare studetis.

Memores igitur divini judicii, quo de commisso vobis regno rationem reddituri estis Deo, episcopos et religiosos quosque viros in unum convenire jubete, sacro eorum conventui præsentiam vestram cum vestris optimatibus exhibete, has pravas consuetudines, omnesque alias, quæ a sacris legibus improbantur, a regno vestro exterminare studete: quatenus Rex Regum, et Dominus dominantium, cum viderit regiam majestatem vestram præceptis suis in omnibus esse subjectam, servis quoque ac fidelibus suis pro timore et amore ejus mansuetam, inimicis divinæ religionis divino zelo infestam; ipse quoque vos vestrosque fideles clamantes ad se propitiatus exaudiat, hostes conterat, pacemque vobis in hoc sæculo stabilem, et in futuro vitam æternam concedat.

RECENSIO.

Hanc, et præcedentem epistolam, annalibus suis, in anni 1089. historia, inseruit Cæsar Baronius: quam utramque, ex Cottoniano optimæ notæ manuscripto, emendatiorem hic dedimus. De barbara autem ista, quæ non solum in Hibernia, sed etiam apud Anglo-Saxonas et Scotos in Britannia invaluerat, legitimas

Digitized by Google

uxores deserendi consuetudine, videndus Camdenus in Hibernia sua pag. 765. et Johannes Picardus, in notis ad Anselmi lib. 3. epistol. 147. ubi tamen Terdelvacum (ad quem et hæc a Lanfranco, et vicesima nona a Gregorio VII. data est epistola) Gothrici successorem perperam constituit: cum eodem tempore Gothricus Dubliniæ regulus, et Terdelvacus (quem nostri Toiɲiðealbach O bɲiain nuncupant) summus Hiberniæ rex fuerit.

Digitized by Google

EPISTOLA XXVIII.

EJUSDEM LANFRANCI[a] AD DOMNALDUM HIBERNIÆ EPISCOPUM.

Lanfrancus indignus sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ antistes, venerando Hiberniæ episcopo D. et iis qui sibi literas transmiserunt, salutem et benedictionem.

In itinere positi, et a civitate in qua nobis sedes episcopalis est longe sepositi eramus; quando literas vestras, nuncio vestro deferente, suscepimus. Quem cum rogassemus ut saltem paucis diebus nobiscum maneret; quatenus perquisitis libris, congruum pro captu nostro ad consulta vestra responsum vobis referret: petitioni nostræ effectum negavit, et se diutius non posse morari multis assertionibus allegavit. Itaque dulcissimam nobis fraternitatem vestram paterna charitate monemus, ne indignum vobis sit, quod de tanta re tam breviter respondemus.

Revera et procul pulsa omni ambiguitate sciatis, neque transmarinas Ecclesias, neque nos Anglos, hanc de infantibus tenere sententiam quam putatis. Credimus enim generaliter omnes, omnibus ætatibus plurimum expedire, tam viventes quam morientes Dominici corporis et sanguinis perceptione sese munire. Nec tamen si, prius quam corpus Christi et sanguinem sumant, contingit baptizatos statim de hoc sæculo ire; ullatenus credimus eos, quod Deus avertat, propter hoc in æternum perire. Alioquin veritas non esset verax, quæ dicit: "Qui[b] crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;" et per prophetam: "Ef-

[a] A. C. 1081.

[b] Marc. cap. 16. ver. 16.

Digitized by Google

fundam[c] super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris;" quod de baptismo esse dictum, omnes hujus sententiæ expositores concorditer asseverant. Et Petrus apostolus: "Et[d] vos nunc similis formæ salvos facit baptisma;" et Paulus apostolus: "Quotquot[e] in Christo baptizati estis, Christum induistis." Christum est enim induere, habitatorem Deum per remissionem peccatorum in se habere.

Nam sententia illa quam Dominus in evangelio dicit; "Nisi[f] manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;" quantum ad comestionem oris, non potest generaliter dicta esse de omnibus. Plerique etenim sanctorum martyrum ante baptismum quoque diversis excruciati pœnis de corpore migraverunt. Eos tamen in numero martyrum computat et salvos credit Ecclesia per illud testimonium Domini, quo dicitur: "Qui[g] me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui est in cœlo." Infantem quoque non baptizatum, si morte imminente urgeatur, a fideli laico, si presbyter desit, baptizari posse canones præcipiunt; nec eum tamen, si statim moriatur, a consortio fidelium sejungunt.

Necesse est ergo prædictam Domini sententiam sic intelligi, quatenus fidelis quisque divini mysterii per intelligentiam capax, carnem Christi et sanguinem non solum ore corporis sed etiam amore et suavitate cordis comedat et bibat: videlicet amando et in conscientia pura dulce habendo, quod pro salute nostra Christus carnem assumpsit, pependit, resurrexit, ascendit; et imitando vestigia ejus, et communicando passionibus ipsius, in quantum humana infirmitas patitur et divina ei gratia largiri dignatur. Hoc est enim vere et salubriter carnem Christi comedere et sanguinem ejus bibere.

Quam sententiam in libro de doctrina Christiana beatus Augustinus exponens, sic ait: "Facinus[h] vel flagitium

[c] Ezech. cap. 36. ver. 25.
[d] 1 Pet. cap. 3. ver. 21.
[e] Galat. cap. 3. ver. 27.
[f] Joh. cap. 6. ver. 54.
[g] Matth. cap. 10. ver. 32.
[h] Augustin. de doctr. Christ. lib. 3. cap. 10. op. tom. 3. p. 1. pag. 49.

Digitized by Google

jubere videtur. Figura ergo est, præcipiens passioni Dominicæ communicandum esse, et suaviter atque utiliter in memoria recondendum, quod pro nobis caro ejus vulnerata et crucifixa sit." (Figuram vocat figuratam locutionem; neque enim negat veritatem carnis et sanguinis Christi: quod plerisque schismaticis visum est, et adhuc non cessat videri;) et Dominus in evangelio: "Qui[i] manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo." Quod exponens beatus Augustinus, ait: "Hoc[k] est namque carnem Christi et sanguinem salubriter comedere et bibere, in Christo manere, et Christum in se manentem habere." Nam et Judas qui Dominum tradidit, cum cæteris apostolis ore accepit: sed quia corde non comedit, judicium sibi æternæ damnationis accepit.

Quæstiones sæcularium literarum nobis solvendas misistis: sed episcopale propositum non decet operam dare hujusmodi studiis. Olim quidem juvenilem ætatem in his detrivimus: sed accedentes ad pastoralem curam, abrenunciandum eis decrevimus.

RECENSIO.

Huc spectant quæ in Cantuariensibus annalibus, ad annum undecimum Lanfranci, memorantur. "Eo quoque tempore misit in Hiberniam Domnaldo episcopo literas, sacræ doctrinæ pinguedine refertas." Has vero, in tomo epistolarum Lanfranci non inventas, decretis synodicis et pontificiis ab Isidoro Mercatore collectis, tum in publica academiæ Cantabrigiensis tum in privata D. Roberti Cottoni bibliotheca, subjuncta reperimus. Domnaldus autem sive Dofnaldus, cujus etiam in 33, et 34. epistola fit mentio, Armachanus fuit archiepiscopus, et totius Hiberniæ primas, ut ex annalibus liquet.

[i] Joh. cap. 6. ver. 57.

[k] Augustin. in Evangel. Johan. tract. 26. op. tom. 3. p. 2. p. 493.

Digitized by Google

EPISTOLA XXIX.

GREGORII[a] VII. ROMANI PONTIFICIS, AD HIBERNOS.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei; Terdelvacho inclyto regi Hiberniæ, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, proceribus, omnibusque Christianis Hiberniam inhabitantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Per orbem universum Domini Jesu doctrina refulsit; quoniam is qui "de[b] thalamo suo tanquam sponsus exivit, tabernaculum suum in sole constituit; et nemo est, qui caloris ejus fulgorem effugere possit." Hujus auctoritas sanctam Ecclesiam in solida petra fundavit; et beato Petro, a petra venerabile nomen habenti, ejus jura commisit, quam etiam super omnia mundi regna constituit: cui principatus, et potestates, et quicquid in seculo sublime videtur esse, subjecit; illo Isaiæ completo oraculo. "Venient[c]," inquit, "ad te qui detrahebant tibi; et adorabunt vestigia pedum tuorum." Beato igitur Petro, ejusque vicariis, inter quos dispensatio divina nostram quoque sortem annumerari disposuit, orbis universus obedientiam similiter et reverentiam debet: quam mente devota sanctæ Romanæ Ecclesiæ exhibere reminiscimini. Vos autem, ut charissimos filios, exhortamur justitiam exercere, Catholicam Ecclesiæ pacem tueri et diligere, ipsamque diligentes ulnis charitatis vobis adjungere. Siqua vero negotia penes vos emerserint, quæ nostro digna videantur auxilio, incunctanter ad nos dirigere studete: et quod juste postulaveritis, Deo auxiliante, impetrabitis. Data Sutrii. VI. Kal. Mart.

[a] C. A. 1085.

[b] Psalm. 19. ver. 4, 5, 6.

[c] Esai. cap. 60 ver. 14

Digitized by Google

RECENSIO.

Hanc quoque epistolam, in Gregorii Regesto nequaquam inventam, eidem Isidori Mercatoris collectioni annexam reperimus : et quia nullius certi anni quo scripta ea fuerit, comparebat indicium ; ad postremum pontificatus illius annum referre libuit. Anno autem 1085. vita illum excessisse constat, 15. vel 16. annis ante obitum Guiberti antipapæ, qui ab archiepiscopatu Ravennate ad Romanum pontificatum evectus, Clemens III. est dictus ; in quem a Guilielmo Pictaviensi Leonini isti editi sunt versiculi, quos (ut ad quartam epistolam sumus polliciti) ex MS. quondam ad Succentoriam Thorneyæ apud Halifaxenses pertinente descriptos, huc apponere visum fuit.

Willelmus Canonicorum beati Hilarii minimus, Wiberto.

Ne metra contemnas tibi scripta videre Ravennas :
Consilium sanum ne crede tibi fore vanum.
Ad cor mane cito ratione fruendo redito.
Si cor habes mundum, monstrabit te furibundum :
Qui contra cœlum jacis impenetrabile telum.
Te patet incautum, qui cornua ponis in altum ;
Eventu tristi regnum poscens tibi Christi.
Insanis penitus in ludibrium stabilitus ;
Qui sanctæ sedis papam forte te male credis,
Quam factus prædo violasti corpore fœdo.
Stat merito Demens nomen tibi, stat male Clemens,
O caput erroris per multa fluenta cruoris :
Nunc manifestabit error tuus atque probabit,
Quos velut argentum fidei probat experimentum.
Ergo quampropere tua cœpta caveto tenere :
Et fastu spreto quid sis moriture videto.
Papæ prostratus transactos ede reatus ;
Et veniam quære, culpamque tuam profitere :
Est pius indultor, tamen æque criminis ultor.

Digitized by Google

EPISTOLA XXX.

GILLEBERTI LUMNICENSIS EPISCOPI, ET ROMANI PONTIFICIS APUD HIBERNOS LEGATI[a], AD EPISCOPOS HIBERNIÆ.

DE USU ECCLESIASTICO.

Episcopis, [et] presbyteris totius Hiberniæ, infimus præsulum Gille Lumnicensis in Christo salutem.

Rogatu, necnon et præcepto multorum ex vobis, charissimi, canonicalem consuetudinem in dicendis horis et peragendo totius ecclesiastici ordinis officio scribere conatus sum, non præsumptivo, sed vestræ cupiens parere piissimæ jussioni; ut diversi et schismatici illi ordines, quibus Hibernia pene tota delusa est, uni Catholico et Romano cedant officio. Quid enim magis indecens aut schismaticum dici poterit, quam doctissimum unius ordinis in alterius Ecclesia idiotam et laicum fieri? Quicumque ergo Catholicæ membrum se profitetur Ecclesiæ, sicut una fide, spe, charitate, in corpore jungitur; ita Deum ore et ordine cum ceteris membris laudare jubetur. Unde apostolus: "Ut[b] unanimes uno ore honorificetis Deum." Sicut igitur linguarum per superbiam facta dispersio, ad unitatem in apostolica humilitate ducta est: sic ordinum per negligentiam et præsumptionem exorta confusio, ad consecratam Romanæ Ecclesiæ regulam per vestrum studium et humilitatem ducenda est. Quantum ergo debeat morum unitas servari a fidelibus, quamvis ex multis locis sacræ Scripturæ manifestum sit; præsens tamen Ecclesiæ de-

[a] Qua legatione obiisse liquet ex Bernardo in vita Malachiæ (vid. Messingham. pag. 359.) biennio post mortem Celsi, h. e. anno Dom. 1130.et nono anno ante mortem Malachiæ, h. e. anno Dom. 1140. vide Messingham. pag. 363, 364. Referenda igitur hæc epistola ad annum 1130.

[b] Rom. cap. 15. ver. 6.

Digitized by Google

picta imago oculis subjecta patenter ostendit. Namque omnia Ecclesiæ membra uni episcopo, videlicet Christo, ejusque vicario beato Petro apostolo, atque in ejus sede præsidenti apostolico, subjici et ab eis manifestat gubernari. Hæc tandem præmia pro tantulo opere a vobis omnibus expostulo; ut sicut hic Deum uno corde et ore laudare debemus, sic ei, vestris precibus adjutus, una vobiscum psallere in cœlestibus valere merear. Amen.

Subjiciebatur in MSS. quibus hic usi sumus exemplaribus, Ecclesiæ depicta imago (cujus in superiori prologo facta est mentio, et in proximo libello sequitur explicatio,) hac circumdata περιγραφῇ. "ARCA figuram mundi habuit: fuit enim tricamerata. In superiori parte erant aves, tanquam angeli in cœlo. In medio erant homines (scilicet Noe, et familia ejus) tanquam in hoc mundo. In imo animalia et reptilia, tanquam animæ in inferno." Verum, ob chalcographicorum typorum defectum, schema illud coacti sumus hic omittere.

GILLEBERTUS LUMNICENSIS EPISCOPUS.

De statu Ecclesiæ.

IMAGO generalis Ecclesiæ supra notata, primas nominum literas pro ipsis nominibus idcirco continet; quia spatium scribendi ipsa nomina tota non habet. Infima tamen linea tria hæc tota vocabula describit, moniales, canonicales, vel universales. Et tota quidem imago pyramidis formam prætendit: quia inferius ampla est, ubi carnales et conjugatos recipit; superius autem acuta, ubi arctam viam religiosis et ordinatis proponit. Nec sola generalis forma superius arctatur; sed et singulares formulæ, quas ipsa continet, in supremo acuuntur.

Prima ergo pyramide (quam in sinistra parte respicis, P. subscriptum) parochiam nominant: quæ in summo sacerdotem habet, et sub ipso diaconum, tertium subdiaconum, quartum acolithum, quintum exorcistam, sextum lectorem, septimum ostiarium. Amelarius tamen novem dicit gradus Ecclesiæ; addens psalmistam et episcopum. Sed tamen episcopus, archiepiscopus, patriarcha, et pro-

Digitized by Google

phetæ, generalis Ecclesiæ gradus sunt: singularis vero ideo illis tantum superioribus perfecta est: quia in baptismate et corpore Domini veniam largiendo, filios suos fideles ad cœlestem patriam transmittit. Quia vero quilibet de choro sola jussione presbyteri potest officio psalmistæ fungi, psallere scilicet sive cantare; in numero graduum Ecclesiæ psalmistas non ponimus. Septem ergo gradus a septiformi spiritu singulis collati sunt ecclesiis; quia quamvis singulæ in eis personæ non serviant; omnes tamen septem gradus sustinens solus sacerdos, Omnipotenti gratanter ministrat.

Qui autem sub his gradibus, intra sinum parochialis ecclesiæ continentur, trifarie dividuntur. Ex quibus superiores in pyramide oratores intellige: et quia quidam ex eis conjugati sunt, ideo viros et fœminas nominavimus. Sinistrales vero in pyramide aratores sunt, tam viri quam fœminæ. Dextrales quoque bellatores sunt, viri atque fœminæ. Nec dico fœminarum esse officium orare, arare, aut certe bellare: sed tamen his conjugatæ sunt atque subserviunt, qui orant, et arant, et pugnant. Nec sejunctas ab Ecclesia putamus præsenti, quas Christus cum matre sua collocat in cœlesti. Et hos tres legitimos fidelium ordines ab initio admittit Ecclesia: ut pars in ea (clerus videlicet) orationi vacans, alios ab impetu fallacis inimici defendat; alia labore desudans, ab aliis victus penuriam repellat; tertia militiæ studio dedita, cæteros a corporis hostibus securos reddat.

Secunda vero pyramis subscribitur monasterium: et habet in acumine abbatem, et sub ipso sex gradus; qui ipse sacerdos est; atque sub his oratores tantum: quoniam non est monachorum baptizare, communicare, aut aliquod ecclesiasticum laicis ministrare; nisi forte, cogente necessitate, imperanti episcopo obediant. Quorum propositum est soli Deo, relictis sæcularibus, in oratione vacare.

Has itaque duas pyramides, parochiam scilicet et cœnobium, subjectas possidet pontificalis Ecclesia: quæ et ipsa, in modum pyramidis, ad basim duabus minoribus ampla, in supremo acuitur, et subscribitur episcopatus, pro eo quod episcopo in summa sede dirigitur. Cui, pro

Digitized by Google

parvitate spatii, parvula punctis notata supponitur pyramis; ut declaret episcopum in Ecclesia propriæ sedis habere sacerdotes et cæteros sex gradus, et tres supradictos fidelium ordines: quod ex numero punctorum patet. Nec idcirco duæ tantum ecclesiæ pontifici subjiciuntur, quod duabus possit esse contentus: sed per unam omnes parochias, et per alteram omnes abbatias, quas regit, obtinere figuratur. Obtinet enim ut minimum decem ecclesias, ut plurimum vero mille.

Hoc eodem ordine duas sequentes pyramides, parochiam videlicet et monasterium, secundo supposita episcopo constat. Qui rursum duo episcopi, cum suis ecclesiis, uni archiepiscopo subjunguntur. Cujus ecclesia subscribitur diœcesis: et habet in propria sede septem gradus, et tres ordines fidelium. Habet ergo extra parochias et monasterium: et ut plurimum viginti episcopos regit, ut minimum vero tres. Ad eundem modum alii duo episcopi subnectuntur alteri archiepiscopo. Sed et duo archiepiscopi cum suis ecclesiis et episcopis obediunt uni primati. Cujus ecclesia subscribitur primatus: et habet in propria sede septem gradus et tres ordines fidelium, extra vero parochiam et monasterium; et ut plurimum obediunt ei sex archiepiscopi, ut minimum unus; eodem quoque modo alteri primati in secunda pagina, obediunt duo archiepiscopi cum suis episcopis quatuor.

Qui postremum duo primates serviunt uni et summo Romano pontifici papæ: cujus Ecclesia subscribitur generalis, et habet parochiam, monasterium, episcopos, et diœceses. Noe etiam secum in summum arcæ residet: quia sicut Noe arcæ præerat inter undas diluvii; ita Romanus pontifex regit Ecclesiam in fluctibus sæculi. Quibus utrisque præeminet Christus: qui utriusque testamenti legislator est, et "utraque[c] fecit unum;" summus paterfamilias, qui excubantes fideliter in hoc tabernaculo honorifice coronat in regno. Conjungitur autem imperator papæ, rex primati, dux archipontifici, comes episcopo, miles sacerdoti: quia istæ personæ pares illis sæcularibus jure decernuntur.

[c] Ephes. cap. 2. ver. 14.

Digitized by Google

Expeditis ergo in communi speculatione figuris, et membris et capite Ecclesiæ: nunc quid singulis ordinibus conveniat explicemus. Conjugatorum est, nullam usque in sextam vel etiam septimam progeniem sanguine sibi conjunctam, aut illi quam habuerit aut quam habuit sibi proximus, vel commatrem ducere uxorem: cum quibus enim semel juncta est Ecclesia, cum eisdem iterum replicare illicitum dicit[d] Ecclesia. Conjugatis etiam præceptum est; ut et ipsi domum Domini frequentent, ibique Deum suppliciter adorent et precentur: primitias, oblationes, et decimas suas fideliter persolvant; mala solerter devitent, bona desideranter inquirant, et omnino pastoribus suis obediant.

Ostiariorum vero est, certas horas observando designare: et ecclesiam, cum his quæ in ea recluduntur, servare; ut nullus Judæus, vel Gentilis, sive catechumenus, hora sacrificii intersit, nec omnino canis aut aliquis immundus sive sanguinolentus in eam intret, cavere; excommunicatos eliminare. Lectorum autem est, aperte et distincte in ecclesia omnia, præter epistolam et evangelium, legere: exorcistarum est etiam, fiducialiter adjurando et imperando in nomine Domini, de obsessis corporibus dæmones effugare; sive catechumeni sint, sive baptizati. Acolythorum est, luminaria certis horis accendere et extinguere; altaris et sacrificii nesessaria ad manum subdiaconi præparata habere. Atque hi quatuor ordines in officiis suis solent indui superhumerali, alba et cingulo: et tamen possunt perfrui conjugio.

Subdiaconorum est, epistolam legere, aquam et vinum calici infundere, oblatam patenæ imponere, et sic ad altare diacono deferre: et idcirco castos esse; cum supradictis autem vestibus, in sinistra manu fannonem, et quasi scopam tergendi altare et quoddam onus Domini leve portant; et tunicam strictis manicis in sollenniis induunt. Diaconorum est dicere; Exeant qui non communicant; et, Humiliate vos ad benedictionem; et, Humiliate capita vestra Deo; et, Ite missa est; et, Benedicamus Domino; et

[d] *ducit.*

Digitized by Google

evangelium legere et pronuntiare; sacrificia super corporalia statuere, sacerdoti ministrare, paschalem cercum benedicere; et in absentia presbyteri baptizare, et horas celebrare: stolam etiam super sinistrum humerum ferre, et indui dalmatica in sollennibus, id est, tunica amplis manicis. In festivis autem quadragesimæ induuntur[e] diaconus et subdiaconus casulis in tota missa, nisi cum legunt.

Sacerdotum autem sunt quatuordecim officia, præesse, subesse, orare, offerre, prædicare, docere, baptizare, benedicere, excommunicare, reconciliare, ungere, communicare, animas Deo commendare, corpora sepelire: de quibus singulis pertractandum est. Præesse ergo sacerdotis est; juste de singulis subjectis discernere, pœnitentiam recte et misericorditer injungere, et præcipere mansuete. Subesse vero est, episcopo ex animo humiliari et servire. Offerre autem ejus est; panem et vinum cum aqua singulis diebus immolare, et in sollenniis Te Deum, et Benedictus, et Magnificat, et ante sacrificium thus super et circa altare et sacrificium incendere. Diaconus enim ante evangelium incensat altare. Orare quoque ipsius est; suppliciter Deum adorare (ut factura sua) et pro admirandis operibus laudare, et benedicere, pro perceptis beneficiis gratias agere, et pro percipiendis deprecari; quod totum maxime in celebrandis horis et missa peragitur: de quibus, quia breviter non potest, in sequentibus tractabitur. Prædicare etiam ejus est; Gentiles, Judæos, infideles vel catechumenos ad gratiam baptismi vocare, et hæreticos ad Catholicam fidem revocare.

Baptizare ejus est; exorcizatos credentes, et sanctam Trinitatem confitentes, sub trina mersione sacro fonti intingere. Quod sicut et missa, in ecclesia debet fieri; nisi prohibeat necessitas. Et sacrificium quidem corporis et sanguinis Domini sæpe fit, ob recordationem passionis ejus, sicut ipse præcepit dicens: "Hoc[f] est corpus meum, et sanguis meus; hæc facite, quotiescunque sumitis, in[g] meam commemorationem." Baptisma vero non iteratur,

[e] Deest verbum *non* ut vult doctiss. episc. Kilmor.
[f] 1 Cor. cap. 11. ver. 24, 25. [g] 1 Pet. cap. 3. ver. 18.

Digitized by Google

ne invocatio sanctæ Trinitatis exinanita putetur: quia " Christus pro peccatis nostris semel mortuus est." Docere ejus est; baptizatos qualiter contra superbiam humilitate, contra inanem gloriam dejectione, contra invidiam benevolentia, contra iram modestia, contra tristitiam hilaritate, contra avaritiam largitate, contra gulam abstinentia, contra luxuriam castitate muniantur, instruere. Hæc enim octo vitia, et omnia quæ ex eis nascuntur, quamvis peccata non sint; tamen semper peccare suggerunt, ipsis videlicet consentire; quamdiu namque non consentit eis animus, nequaquam transgreditur, sed potius coronatur. Docere etiam ejus; singulis Dominicis, quibus in hebdomada diebus abstinere et feriare fideles debeant, prædicare.

Benedicere potest, præsente episcopo, aquam et sal in Dominicis sacerdos, et prandium, et sponsum, et sponsam, et lecturos lectiones præter evangelium, et aquam[h] judicii vel panem et cætera. In absentia vero episcopi; potest benedicere coronam clerici et velum viduæ, novos fructus, candelas in purificatione sanctæ Mariæ, cineres in capite jejunii, ramos in Dominica palmarum, et peregrinaturos, et lecturum evangelium, et populum cum dimittitur: aquam benedictam aspergit, ad benedicendas novas domos et cætera nova. Excommunicare ejus est, criminibus lapsos, semel bis et tertio revocatos; et non pœnitentes a communione fidelium eliminare, ut nec in victu nec in loquela quisquam eis communicet. Reconciliare ejus est; pœnitentes prope mortem de criminalibus, ex consensu tamen episcopi, ad unitatem fidelium recipere. Ungere potest quemlibet fidelem semel in quolibet gravi dolore: quia unctio sancta non solum animæ, sed et corporis sæpe medelam tribuit. Communicare statim debet baptizatos, et fideles omnes ter in anno, in Pascha, in Pentecoste, et Natali Domini, et prope mortem positos, si quæsierint verbo vel signo, vel teste fideli quod prius quæsissent.

Commendare debet orando animas fideles de corporibus egredientes, et earum memoriam in missa et orationibus

[h] Vide Jureti observat. ad epist. 74. Ivonis.

Digitized by Google

frequentare; quamvis enim promissa sit indulgentia peccatori quacunque hora pœniteret, tamen pœna peccantem quælibet[i] expectat; purgatorius videlicet ignis, qui corpore statim egressos et minus per lamenta pœnitentiæ purgatos ad plenitudinem recipit purgandos. Quod ergo pro eis hic fit in orationibus et eleemosynis, proficit eis ad purgationem: quia sudor vivorum requies est mortuorum. Sepelire corpora fidelium, ultimum est sacerdotis officium; ipse enim tertio terram super corpus cum fossore infundit, dicendo: "De terra plasmasti me." Adjacent etiam cæmiteriis sanctorum alia loca, in quibus submersorum et occisorum fidelium corpora conduntur, quia ipsorum animæ Deo commendari non prohibentur. Nam infidelium et sceleratorum corpora longe sunt a fidelium projicienda: quibus enim vivis non communicamus; nec mortuis.

Enumeratis autem atque descriptis sacerdotis officiis; quibus in his uti debeat vestibus perspiciamus. Sicut ergo septem gradus sunt, quibus sacerdos elevatur, ita septem sunt vestes quibus ordinatur: indumentum quotidianum, amicta, alba, cingulum, fannon, stola et casula. Et cætera quidem omnia officia sine casula, et cum stola sola aliquando potest. Quotidiana ad missam, ut paucissima, sunt quatuor: camisia, tunica, femoralia, calceamenta, addunt tamen Romani caligas. Dicit quoque Amelarius, sacerdotem debere indui sandaliis et dalmatica: sed pontifices apud nos his utuntur.

Octo sunt ergo quibus sustentatur sacerdos; parochia, mansus, atrium, cœmiterium, templum, altare, calix cum patena, corpus cum sanguine: quia singulæ sibi, subjectis quasi quibusdam gradibus, honore et dignitate præferuntur. Parochiam appello populum, primitias, oblationes et decimas persolventem. Mansum dico terram aratri, quam ad minus debet habere sacerdos, atrium cum domibus suis clausuram. Hæc autem sunt utensilia sacerdoti oportuna, quæ sine benedictione episcopi sufficiunt: aqua benedicta aspergit[k], textus sancti evangelii, psalterium, mis-

[i] Forsan *quemlibet*.

[k] *aspersorium*.

Digitized by Google

sale, horarius, manuale, et synodalis liber, vela, candelabra cum candelis, arca vestimentorum, pixis cum oblatis et ferrum eorum, ampulla cum vino et altera cum aqua, pelvis ad manus lavandas cum manutergio, truncus aut lapis cavus ubi aqua unde sacra lavantur effunditur, absconsa etiam sub[1] candela, et lecturiale sub libro.

Et superiores quique gradus possunt inferiorum officia ministrare. Episcopus ergo sacerdotis singula ministrat; licet, etiam ipso præsente, quasi quoddam sit proprium sacerdotis offerre, baptizare, horas celebrare, ungere, communicare, commendare, sepelire. Sunt præterea septem præsulis officia: confirmare, benedicere, absolvere, synodum tenere, dedicare, consecrare, ordinare. Confirmare ejus est; frontes fidelium baptizatorum chrismate ungere. Benedicere autem dico præsulem ea quæ non sunt utensilia ecclesiæ; consecrare vero ipsa utensilia. Benedicit ergo pontifex reginam et virginem cum velatur, et quemlibet fidelem benedici postulantem, et totum populum ante pacem: benedicit etiam supramemorata, quæ non licèt sacerdoti in ejus præsentia. Absolvit præsul populum de venialibus in capite jejunii, de criminalibus in cœna Domini. Tenet quoque synodum bis in anno; in æstate et in autumno, hoc modo congregatis omnibus presbyteris totius episcopatus, perscrutatur episcopus, ne quid alicui eorum desit in omni ordine, vel utensilibus ecclesiæ, neve quisquam eorum alteri quicquam fecerit injuriæ: quod tribus diebus fit. Pacatis itaque omnibus, absoluti permittuntur abire in pace.

Dedicat etiam pontifex atrium, templum, altare, tabulam altaris. Dedicare enim est locum Deo offerre, benedicere, et sanctificare. Consecrat autem episcopus utensilia ecclesiæ, quæ fere omnia sacerdotibus sunt communia: vestimenta videlicet sacerdotalia et pontificalia, altaris velamina, calicem, paternam et corporalia, vasculum eucharistiæ, chrisma, oleum et vas chrismale, thus et thuribulum, baptisterium, arcam vel scrinium reliquiarum, cimbarium (id est, altaris umbraculum) crucem, tintinnabulum

[1] *pro* conjicit doctiss. episc. Kilmor.

Digitized by Google

et ferrum[i] judiciale. Ea enim tantum consecrat, quæ a communi usu in cultum divinum separantur. Ordinat episcopus abbatem, abbatistam, sacerdotem et cæteros sex gradus. Utitur etiam episcopus, pro dignitatis honore, baculo et annulo, chirothecis et mitra, baltheo, dalmatica, et sandaliis. Oportet autem eum sacram Scripturam et traditiones patrum habere, ut possit de singulis juste discernere, et quælibet quærentibus rationabiliter respondere.

Archiepiscopo omnia supradicta conveniunt: insuper pallio honoris induitur; quia ipse, adjutus tamen ab omnibus diœcesis suæ episcopis, ordinat episcopum. Si quis enim ipsorum ordinationi adesse non possit; literis suis se excusans atque legatis, assensum suum in ordinandis facere confirmat. Primas quoque et ipse archiepiscopus est: nec ipse archiepiscopum ordinat; utrumque enim, archiepiscopum et primatem, oportet Romæ ab apostolico ordinari, aut a Roma eis a papa pallium afferri, qua[k] coepiscopis sublimari: quæ tunc tantum datur licentia, si forte infirmitatis vel belli aut aliqua alia causa necessaria intercesserit. Eo tantum ergo præest primas archiepiscopo: quod cum multi sint in eadem regione archiepiscopi, solus ex eis qui regem ordinat et in tribus sollennitatibus coronat, et apud quem concilia pro veritate peraguntur, ipse eorum primatum tenet.

Locum itaque quem apud orientales patriarchæ possident, hunc apud nos primates quodammodo obtinere videntur: utrique Romano pontifici primo gradu supponuntur. Sed quia patriarchæ sedibus præsident apostolicis (ut Hierosolymitanus, Antiochenus, Alexandrinus) idcirco archiepiscopos ordinant, et pares quodammodo Romano ascribuntur. Soli tamen Petro dictum est: "Tu[l] es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam." Papa ergo solus universali præeminet Ecclesiæ: et ipse omnes ordinat et judicat: et ab omnibus ordinatur, quia ex consensu totius Ecclesiæ Romani eum

[i] Vide Glossarium Guil. Lambardi (præfixum Ἀρχαιονομία) in Ordalio. D. Henr. Spelmanni, in Judicio Dei. Fr. Pichæi, in capitular. &c.

[k] *atque a.*

[l] Matth. cap. 16. ver. 18.

Digitized by Google

sublimant: qui quotidie chlamyde coccinea induitur, ut semper martyrio paratus probetur.

RECENSIO.

Ex MS. codice bibliothecæ publicæ Cantabrigiensis academiæ descripsi: collato prologo De usu ecclesiastico cum alio Benedictini collegii in eadem academia, et libello de statu Ecclesiæ cum altero monachorum Dunelmensium exemplari, a D. Augustino Linsello Decano Lichfeldiensi accepto. Est autem hic Gillebertus ille, "quem aiunt prima functum legatione apostolicæ sedis per universam Hiberniam," ut in vita Malachiæ retulit Bernardus: et Gillebertus Lumnicensis de Hibernia episcopus, quem Bernardi Menevensis episcopi consecrationi, anno 1115. Westmonasterii a Radulpho Cantuariensi archiepiscopo peractæ, interfuisse Ædamerus[a] indicat, non autem Gilla Lincolniensis episcopus (cujusmodi nunquam in rerum natura quis extitit) quemadmodum in appendicis illustrium Angliæ scriptorum centur. 1. cap. 93. somniavit Johannes Pitseus.

[a] Ædamer. histor. lib. 5. pag. 117.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXI.

EJUSDEM GILLEBERTI[a], AD ANSELMUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Anselmo Dei gratia Anglorum archi-præsuli, Gillebertus Dei quoque misericordia Lumnicensis episcopus fidele servitium et orationes.

AUDIENS, pater, certaminis vestri laborem et laboris victoriam; subditas esse videlicet indomitas Normannorum mentes regularibus sanctorum patrum decretis, ut legaliter fiat abbatum et præsulum electio et consecratio: immensas divinæ clementiæ refero gratias, et quas possum Deo preces effundo, ut perseverantiam vobis et tanti laboris præmium largiatur. Munusculum paupertatis meæ et devotionis transmitto, XXV. margaritulas inter optimas et viliores; et rogo ne sitis immemor mei in orationibus vestris, in quibus post divinam largitatem confido.

RECENSIO.

In MS. epistolarum Anselmi volumine, quod mihi impartivit D. Robertus Cottonus, hoc habetur epistolium. Ex eo integrum librum epistolarum Gilberti Westmonasteriensis ad Anselmum effinxit Jo. Balæus, in scriptorum Britanniæ centur. 2. cap. 64. addens, " esse qui istum episcopum Lunicensem in Hibernia olim fuisse contendant." Sed falluntur illi, errore manifesto. Gillebertus enim sive Gislebertus cognomento Crispinus, in Beccensi cœnobio una cum Anselmo monachus fuerat (non, ut Lumnicensis noster, Rothomagi obiter illi cognitus:) et a Westmonasteriensi postmodum abbatia ad episcopatum nunquam fuit pro-

[a] C. A. 1094.

Digitized by Google

vectus ; sed abbas Westmonasterii obiit, ibidemque sepultus est, hoc laudatus epitaphio.

Hic pater insignis, genus altum, virgo senexque,
Gisleberte jaces ; lux, via, duxque tuis.
Mitis eras, justus, prudens, fortis, moderatus ;
Doctus quadrivio, nec minus in trivio.
Sic tamen ornatus, nece sexta luce Decembris
Spiramen cœlo reddis et ossa solo.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXII.

ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI, AD EUNDEM GILLEBERTUM.

Anselmus servus ecclesiæ Cantuariensis, Gilleberto Lumnicensi episcopo salutem.

Gratias ago reverentiæ vestræ, quia lætari se significat in literis suis, quod Deus in Ecclesia sua ad profectum religionis per me dignatur aliquid operari. Quoniam autem olim nos apud Rothomagum invicem cognovimus, dilectione sociati sumus, et nunc cognosco vos ad episcopatus dignitatem gratia Dei profecisse: confidenter audeo vos obsecrare, et secundum quod intelligo opus esse, vobis consulere. Sublimavit Deus in Hibernia vestram prudentiam ad tantam dignitatem; et posuit vos, ut studeretis ad religionis vigorem et animarum utilitatem. Satagite ergo sollicite (sicut scriptum est; "Qui[a] præest, in sollicitudine,") in illa gente, quantum in vobis est, corrigere et extirpare, et bonos mores plantare et seminare. Ad hoc etiam (quantum in vobis est) regem vestrum, et alios episcopos, et quoscunque potestis suadendo, et gaudia quæ parata sunt bonis, ac mala quæ expectant malos, ostendendo attrahite. Et de vestris, et de aliorum bonis operibus præmium mereamini a Deo accipere. Grates refero pro munere vestro, quod mihi benigne misistis. Orate pro me.

RECENSIO.

Habetur inter excusas Anselmi, lib. 3. epist. 143. ubi editor Johannes Picardus Lumnicensem hunc episcopum in suo apographo Lunidensem dictum innuit;

[a] Rom. cap. 12. ver. 8.

Digitized by Google

eumque episcopatum in Hibernia authoritatem Armachani metropolitæ spectare, ex MSS. et impressis codicibus annotat. Lunidensis enim vel Luuidensis[a] potius, id est, Louthianus episcopatus is olim fuit, qui Clochorensis hodie appellatur. In exemplaribus ex quibus tricesima descripta est epistola, Gillebertum Lunicensem, Lunnicensem, et Lumnicensem episcopum nominatum deprehendimus; quæ postrema nomenclatio ad Limiricensem episcopatum, qui Cassiliensis archiepiscopi ditioni subest, nos ducit. Urbs enim quæ Anglis Limrick, Hibernis Lumneach nuncupatur.

[a] Girald. Cambrens. Topograph. Hiberniæ, distinct. 2. cap. 50.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXIII.

EJUSDEM ANSELMI[a], AD EPISCOPOS HIBERNIÆ.

Anselmus Cantuariensis ecclesiæ metropolitanus antistes; reverendis coepiscopis, seniori Domnaldo, Donato, ac cæteris in Hiberniæ insula pontificali eminentibus dignitate, a Deo patre et Jesu Christo filio ejus unico salutem et perpetuæ hæreditatis benedictionem.

Odorem religionis vestræ plurimis indiciis agnoscens, calamitates quas patior decrevi potissimum vobis aperire; ut quanto vicinius assistitis Creatori, tanto familiarius angustias meas in conspectu ejus valeatis indicare, et indicantes compassionis gemitibus ipsius misericordiam mihi impetrare. Defuncto beatæ memoriæ prædecessore meo Lanfranco archiepiscopo, cum in Normannia Beccensis monasterii abbas extitissem (unde et præfatus antecessor meus ad regendam Ecclesiam, cui Deo auctore præsideo, ante me processerat) occulto Dei judicio, pro utilitatibus ecclesiasticis in Angliam veni. Quo venientem tam rex quam pontifices regnique optimates, ad cathedram pontificalem, non vocando, non rogando (ut fieri assolet) immo violenter rapiendo pertrahunt: clero et populo acclamantibus in id ipsum; ut nec unus, cui quod gerebatur displiceret, visus fuerit interesse. Denique cum adhuc id nolle, nec assentire me debere occlamarem, quod de potestate Normanni ducis, quod de subjectione metropolitani Rothomagensis, ipsis ignorantibus ereptus essem, (quorum jure effugere enitebar) eorundem præfati videlicet ducis et archiepiscopi præcepto, onus officii coactus et obediens accepi. Quo pacto in gradum pontificalem sublimatus, idcirco assensi, quod contraire non potui.

[a] C. A. 1095.

Digitized by Google

Proinde infulatus, sedule quid Christo, quid ejus Ecclesiæ, pro loco, pro officio, deberem, cogitare cœpi: et pastorali regimine vitia resecare, præsumptores coercere, et quæque inordinata (ut mea intererat) ad ordinem debitum volui revocare. Qua causa, quos adjutores me oportuerat habere in causa Dei, terribiliter offensos patior; et quæ per me crescere debuerat, me præsente deperit causa Dei. Unde, reverendi patres gemebunde vobis loquens fateor, invenerunt me amarissimæ tribulationes; dum et requiem fructuosam me reminiscor perdidisse, et infructuosum periculum me considero incurrisse. Ita etenim peccatis meis facientibus actum est, ut qui nostræ se sponte subdiderant ditioni, a nostra sponte resiliant ditione; et qui illis amabilis extiteram, omnibus ferme odiosus existam. Quapropter, venerandi fratres, filii charitatis æternæ, obsecro vos in nomine ejus qui suos inimicos redemit sanguine suo, orate ut in omnibus Deus pacem nobis tribuat, inimicos nostros in gratiam convertat, et secundum suam voluntatem nos vivere faciat.

Præterea, quanquam recte viventem recteque sapientem, pastorali sollicitudine fraternitatem vestram monere compellor, quatenus viriliter ac vigilantius agat in doctrina Dei; canonica severitate, si quid contra ecclesiasticam doctrinam in provinciis suis inventum fuerit, compescens et secundum Dei voluntatem cuncta disponens. Si quando vero (seu in consecrationibus episcoporum, seu in ecclesiasticorum negotiorum causis, seu quibuslibet aliis rationibus) aliquid quod ad sacram religionem pertineat inter vos ortum fuerit, quod per vos canonice nequeat definiri: charitatis officio id ad notitiam nostram perferri commonemus; quatenus a nobis potius consilium et solatium accipiatis, quam prævaricatores mandatorum Dei in judicium ejus incidatis. Iterum, charissimi, rogamus vos; orate pro nobis, erigite nos de tribulationibus nostris manu vestræ orationis, piis fletibus pulsantes aures clementiæ Dei: Dominus, qui "jussit[b] de tenebris lucem

[b] Corinth. cap. 4. ver. 6.

Digitized by Google

splendescere," mentibus vestris infundat lucem sapientiæ; ut quæ jubet intelligatis, intelligentes opere compleatis.

RECENSIO.

Ex MS. nunc primum edita est hæc epistola: in cujus ἐπιγραφῇ duo tantum episcopi nominatim compellantur, Senior Domnaldus et Donatus; e quibus Domnaldus (qui et Dofnaldus et Donaldus) primas ille Hiberniæ fuisse videtur, cujus ad 28. epistolam jam meminimus. Senior enim apud Latinos mediæ ætatis scriptores (ut etiam nunc apud Gallos Seigneur) dignitatis est nomen, non ætatis. Primas apud Africanos Senior dictus est ut ostendit Sirmondus contra Salmasium. Donatus vero Dubliniensis ille est, quem Patricio, anno 1084. VI. Idus Octobris in Britannico oceano submerso, in episcopatu successisse, Dublinienses produnt annales: in quibus etiam mortis ejus tempus ita consignatum legimus. "Anno Dom. 1095. Dungus, qui et Donatus, episcopus Dublinensis in Christo quievit." Ut enim priorem Donatum, qui primus Ostomannorum Dubliniensium fuit episcopus, discriminis gratia Dunanum, ita posteriorem hunc Dungum, et Dongum et Donugum (deflexo a Donagh vocabulo, quod Hibernica lingua Donatum sonat) appellatum invenimus.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXIV.

WATERFORDIENSIUM[a], AD ANSELMUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Anselmo, Dei gratia Anglorum archiepiscopo, et omnibus diœcesis suæ episcopis; clerus et populus oppidi Watafordiæ, cum rege Murchertacho et episcopo Domnaldo, salutem in Domino.

Pater sancte, cæcitas ignorantiæ nos diu detrimenta salutis nostræ sustinere coegit; quia magis elegimus serviliter Dominico jugo colla subtrahere, quam liberaliter pastorali obedientiæ subesse. Nunc autem quantum proficiat pastorum cura cognoscimus, cum aliarum rerum similitudines ad mentem revocamus: quod sine regimine nec exercitus bellum, nec navis marinum audet attentare periculum. Navicula ergo nostra mundanis dedita fluctibus, sine pastore contra callidum hostem qua ratione pugnabit? Propterea nos, et rex noster Murchertachus, et episcopus Domnaldus, et Dermeth dux noster frater regis, elegimus hunc presbyterum Malchum, Walchelini Wintoniensis episcopi monachum, nobis sufficientissime cognitum, natalibus et moribus nobilem, apostolica et ecclesiastica disciplina imbutum, fide Catholicum, prudentem, docibilem, patientem, moribus temperatum, vita castum, sobrium, humilem, affabilem, misericordem, literatum, in lege Dei instructum, in Scripturarum sensibus cautum, hospitalem, modestum, suæ domui bene præpositum, non neophytum, habentem testimonium bonum in gradibus singulis. Hunc nobis petimus a vestra paternitate ordi-

[a] A. C. 1096.

Digitized by Google

nari pontificem: quatenus regulariter nobis præesse valeat et prodesse, et nos sub ejus regimine salubriter Domino militare possimus. Ut autem omnium nostrum vota in hanc electionem convenire noscatis; huic decreto canonico promptissima voluntate singuli manibus propriis roborantes subscripsimus.

Ego Murchertachus rex Hiberniæ subscripsi.
Ego Dermeth dux frater regis subscripsi.
Ego Domnaldus episcopus subscripsi.
Ego Idunan episcopus Midiæ subscripsi.
Ego Samuel Dublinensis episcopus subscripsi.
Ego Ferdomnachus Laginiensium episcopus subscripsi, &c.

RECENSIO.

Habetur tum in MS. epistolarum Anselmi volumine, tum in Ædmeri historiæ Novellæ libro 2. ubi totius rei gestæ series ita pertexitur. "Rex Hiberniæ Murchertachus nomine, et Dofnaldus episcopus cum cæteris episcopis, et quique nobiles cum clero et populo ipsius insulæ miserunt nuncios ac literas ad Anselmum, innotescentes ei civitatem quandam Wataferdiam nomine, in una suarum provinciarum esse; cui ob numerosam civium multitudinem expediret episcopum institui, simulque petentes, quatenus ipse (primatus quem super eos gerebat potestate, et qua fungebatur vicis apostolicæ authoritate) sanctæ Christianitati ac necessariæ plebium utilitati instituendo eis pontificem subveniret. Jam enim sæcula multa transierant, in quibus eadem civitas absque providentia et cura pontificali consistens, per diversa tentationum pericula jactabatur. Elegerant autem idem ipsi in hoc officium quendam suæ gentis virum vocabulo Malchum, eumque sacrandum cum communi decreto ad Anselmum transmiserunt. Igitur Anselmus considerans et intelligens eos justa et utilia petere, petitioni eorum libens annuit. Electum ergo pontificem diligenter in his quæ sacra jubet auctoritas examinatum, ac multorum cum vitæ suæ testimonio, dignum episcopatu comprobatum, sumpta ab eo ex more de subjectionis suæ obedientia professione, sacravit eum Cantuariæ quinto Kal. Januarii; assistentibus et cooperantibus sibi in hoc ministerio suo duobus episcopis suis, Radulpho scilicet Cicestrensi et Gundulpho Roffensi." Malchi vero professio, cujus hic fit mentio, post epistolas habetur, pag. 564.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXV.

ANSELMI[a] CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI, AD MURIARDACHUM HIBERNIÆ REGEM.

Muriardacho glorioso gratia Dei regi Hiberniæ, Anselmus servus ecclesiæ Cantuariensis salutem cum orationibus, et Dei misericordia regi et protegi.

Gratias ago Deo de bonis multis, quæ de vestra celsitudine audio. Inter quæ est hoc; quia gentem regni vestri in tanta pace facitis vivere, ut omnes boni, qui hoc audiunt, Deo agant gratias, et vitæ vestræ diuturnitatem desiderent. Ubi enim pax est, licet omnibus bonam voluntatem habentibus, quod optant sine perturbatione malorum hominum efficere. Unde vestra celsitudo, per quam Deus facit, ab eo certissime magnam retributionem [poterit] expectare. Super hoc utique pacis fundamentum facile est alia, quæ ecclesiastica religio exigit, ædificare. Precor itaque bonæ voluntatis vestræ constantiam, quatenus consideret, si qua sunt in regno vestro corrigenda, propter vitæ æternæ præmium: et ut magis ac magis in vobis gratia Dei augeatur, sollicite Deo adjuvante studeatis emendare. Nihil enim est contemnendum quod corrigi possit. Quia Deus exigit ab omnibus, non solum quod male agunt; sed etiam quod non corrigant mala, quæ corrigere possunt. Et quanto potentiores sunt, ut corrigant; tanto districtius exigit ab illis Deus, ut secundum potestatem misericorditer impensam bene velint et faciant. Quod maxime videtur ad reges pertinere: quo-

[a] C. A. 1100.

Digitized by Google

niam ipsi cognoscuntur majorem potestatem, et cui minus contradicitur, inter homines obtinere. Si autem non omnia simul potestis; non debetis propter hoc, quin a melioribus ad meliora studeatis proficere: quia bona proposita et bonos conatus Deus solet benigne perficere, et beata plenitudine retribuere. Auditur apud nos, quia conjugia in regno vestro sine omni ratione dissolvuntur, et commutantur: quia cognati sive sub nomine conjugii sive alio modo, palam, sine reprehensione, contra canonicam prohibitionem commisceri non vereantur. Episcopi quoque, qui debent esse forma et exemplum aliis canonicæ religionis, inordinate, sicut audimus, aut a solis episcopis, aut in locis ubi ordinari non debent, consecrantur. Hæc, et alia quæ magnitudinis vestræ prudentia in Hibernia corrigenda cognoverit, precor, obsecro, et consulo sicut illi quem valde diligo, et cujus profectum per omnia desidero; quatenus consilio bonorum virorum et sapientium regni vestri corrigere studeatis: et Deum oro, ut de regno terreno ad regnum cœleste transeatis. Amen.

RECENSIO.

Inter editas habetur lib. 3. epist. 142. Est autem Muriardachus hic, idem cum præcedentis epistolæ Murchertacho, quem nostri Muirceartach sive Murchertach O Briain vocant. Patrem habuit is Terdelvacum illum ad quem vicesima septima et vicesima nona scripta est epistola: cui etiam tum in regno Momoniæ, in qua sita est Waterfordia (ad quam Malchus ab eo nominatus est episcopus), tum in summo Hiberniæ principatu anno 1086 successit: fratrem Dermitium, ipsius in regno Momoniæ successorem, qui in superiori epistola Dermeth[a] dux frater regis appellatur, ac nobilissimis Thomondiæ comitibus simul et baronibus de Inchequin dedit originem: filium Mahunum a quo Mac-Mahuni et Ursulani Thomondiæ descenderunt: non illi Ultoniæ, quorum genus a Reginaldo filio Ursi, Thomæ Cantuariensis percussore feciales Angliæ repetunt. Muriardachi hujus in regum Manniæ chronico, ejusmodi fit commemoratio "Anno 1089. omnes proceres insularum, audientes mortem Lagmanni, miserunt legatos ad Murecardum O Brien regem Hiberniæ postulantes ut aliquem virum industrium de regali stirpe in regem eis mitteret, donec Olaus filius Godredi cresceret. Annuit eis rex libentissime, et quendam Donaldum filium Tade ad eos misit: mo-

[a] Vid. histor. Normann. a Duchesnio edit. pag. 296 et 513.

Digitized by Google

nens et præcipiens ei, ut cum omni benignitate et modestia regnum, quod sibi non debebatur, gubernaret. Sed ille postquam ad regnum pervenit, parvi pendens præcepta sui domini, cum magna tyrannide abusus est regno; et multis sceleribus perpetratis, tribus annis enormiter regnavit. Tunc omnes principes insularum una conspiratione commoti, adversus eum congregati sunt et expulerunt a finibus suis. Ille autem fugiens ad Hiberniam non est ultra re- eos."

Digitized by Google

EPISTOLA XXXVI.

EJUSDEM, AD EUNDEM.

Muriardacho glorioso regi Hiberniæ, Anselmus archiepiscopus, servus ecclesiæ Cantuariensis, fidele cum orationibus obsequium, et per regnum terrenum mereri cœleste.

QUONIAM multa de vestra excellentia prædicantur, quæ regiam decent dignitatem, valde gaudemus: et Deo, a quo est omne bonum, devotas exinde gratias agimus. Confidimus autem, quia qui vobis contulit gratiam suam in faciendis bonis quæ fecistis, conferet quoque effectum perficiendi ea, quæ super illa quæ facitis, eum velle cognoscitis. Quapropter, gloriose Fili, et in Deo charissime, precor, ut ea quæ in regno vestro secundum Christianam religionem emendanda cognoveritis, omni instantia et sollicitudine emendetis. Ad hoc enim Deus in regali sublimitate vos constituit; ut virga æquitatis subditos populos gubernetis, et quidquid in eis justitiæ adversatur, eadem virga percutiatis et amoveatis. Et quidem quiddam dicitur fieri in ipso populo, quem regendum suscepistis, quod magnopere corrigendum est; quia Christianæ religioni omnimodis contrarium est. Dicitur enim, quod viri ita libere et publice uxores suas uxoribus aliorum commutant, sicut quilibet equum equo, aut quamlibet aliam rem re alia ab illo commutat; aut pro libitu, et sine ratione relinquunt. Quod quam malum sit, omnis qui Christianam legem novit, intelligit. Si igitur excellentia vestra divinarum Scripturarum sententias, quæ huic infami negotio obviant, per se legere non valet; præcipite episcopis et religiosis clericis, qui in vestro regno sunt, ut eas vobis edicant: quatenus eis cognitis, quo studio vobis invigi-

Digitized by Google

landum sit, ut hoc malum corrigatur, cognoscatis. Item dicitur, episcopos in terra vestra passim eligi, et sine certo episcopatus loco constitui: atque ab uno episcopo episcopum, sicut quemlibet presbyterum, ordinari. Quod nimirum sacris canonibus omnino contrarium est: qui eos, qui taliter instituti sunt aut ordinati, cum suis ordinatoribus ab episcopatus officio deponi præcipiunt. Episcopus namque nisi certam parochiam et populum, cui superintendat, habeat, constitui secundum Deum non potest: quia nec in sæcularibus nomen vel officium pastoris habere valet, qui gregem, quem pascat, non habet. Honor quoque episcopalis non parum vilescit, dum is ad pontificatum assumitur, qui ordinatus, quo divertat, vel cui per episcopale ministerium certo præsideat, nescit. Minus quoque quam a tribus episcopis ordinari non debet: cum propter multas et alias rationabiles causas, quas epistolaris brevitas non admittit, tum, ut fides, vita, et sollicitudo ejus, qui invigilare debet, idoneis et legalibus testibus comprobetur. Precor itaque hortor, et moneo; quatenus excellentia vestra operam det, ut ista in regno suo corrigantur: quatenus merces, quam a Deo pro aliis bonis expeditis[a], pro istis vobis augeatur. Cæterum si quid in vobis, aut in his quos regere suscepistis, quod ullatenus voluntati Dei adversari queat, perpenderitis, sollicite emendare satagite: ut cum de terreno regno transibitis, ad cœleste regnum veniatis. Amen. De fratre nostro Cornelio, quem sibi celsitudo vestra mitti rogavit, dico, quia ita occupatus est circa servitium patris sui, ut nec ab eo queat sine periculo vitæ illius separari, nec eum, qui jam senio confectus est, secum ullatenus ducere.

RECENSIO.

Si cui minus videatur verisimile, ejusdem argumenti ad eundem secundas esse missas literas, nulla priorum mentione facta; sciat eodem tempore regnasse quoque in Lagenia Murchardum, a quo Dermitius ille qui Anglos ad debellandam Hiberniam primus solicitavit, et reliquorum Mac-Murrochorum familia descendit,

[a] *expetitis*, vel, *expectatis*.

Digitized by Google

mortuus est anno salutis 1120. ad quem in Britannico chronico annotat Caradocus Lhancarvanensis, " decessisse Murcartum dignissimum et maximum totius Hiberniæ principum." Et ex Leghlinensibus annalibus Thadæus Doulingus, " Murchardus serenissimus Lageniæ in Hibernia princeps, fidus amicis, terribilis inimicis, alienis liberalis, a subditis propter ejus bene meritam pietatem et justitiam præ cæteris amandus, obiit et apud Fernes sepelitur." Ad hunc quoque spectat illa Giraldi, in itinerario Cambriæ libro secundo, capite primo, narratio. " Gulielmus, Gulielmi regis bastardi filius et Normannorum in Anglia rex secundus, qui Rufus est agnominatus, Cambriam suo in tempore animose penetrans et circundans, cum a rupibus Hiberniam forte prospiceret, dixisse memoratur: *Ad terram istam expugnandam ex navibus regni mei huc convocans pontem adhuc faciam.* Quo verbo ad Murchardum Lageniæ tunc principem in Hiberniam forte translato, cum aliquandiu propensius inde cogitasset, fertur respondisse: *Nunquid tantæ comminationis verbo rex ille, si Deus placuerit, adjecit?* Audito vero quod nullam prorsus Dei mentionem in hoc suo rex sermone fecisset, tanquam prognostico gaudens certissimo: *Quoniam*, inquit, *homo iste de humana tantum confidit potentia, non divina; ejus adventum non formido.*" Hanc vero epistolam inter reliquas Anselmi lib. 3. epist. 147. Johannes Picardus edidit et annotationes adjecit.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXVII.

MURCHARDACHI HIBERNIÆ REGIS, AD ANSELMUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Murchardachus rex Hiberniæ, Anselmo Anglorum archipræsuli salutem et fidele servitium.

QUAM magnas vobis grates, Domine, referre debeo; quod, sicut mihi relatum est, memoriam mei peccatoris in continuis vestris peragis orationibus: sed et genero meo Ernulfo auxilio et interventione (quantum fuerat dignitati vestræ fas) succurristi. Scias tu quoque, me vobis in his quæ mandaveris famulaturum. Vale.

RECENSIO.

Ernulfus, quem generum suum hic appellat Murchardachus, est Arnulphus de Monte Gomerico, primus Penbrochiæ expugnator, et regionis illius (quæ Dyveta et occidentalis Wallia appellatur) dominus, filius Rogeri de Monte Gomerico primi Salopiæ et Arundeliæ comitis. De eo Giraldus Cambrensis, in Itinerarii Cambriæ lib. 1. cap. 12. "Primus Penbrochiæ castrum Arnulphus de Montgomery sub Anglorum rege Henrico primo, ex virgis et cespite tenui, satis exile construxit. Quod postmodum in Angliam revertens viro probo prudentique Giraldo de Windesora constabulario suo primipiloque cum paucis custodiendum exposuit:" illi nimirum Giraldo, a quo Kildariæ et Desmoniæ comites, aliæque in Hibernia Giraldinorum familiæ, genus repetunt suum. Arnulphus postea simul cum fratre Roberto de Belesmo comite Salopiensi ab Henrico I. deficiens, ut auxiliaribus contra regem suum copiis magis firmaretur, in Hiberniam trajecit, et Murcharti sive Murchardachi regis filiam uxorem duxit: quemadmodum in anni 1101. et 1102. historia confirmat Caradocus Lhancarvanensis. Conjurationis vero exitum Guilielmus Malmesburiensis libro 5. de regibus ita explicat;

Digitized by Google

"Robertus cum fratribus, Ernulpho (qui paternum cognomen sortitus fuerat) et Rogerio Pictavensi (quod ex ea regione uxorem acceperat sic dicto) Angliam perpetuo abjuravit: sed vigorem sacramenti temperavit adjectio; nisi regi placito quandoque satisfecisset obsequio." Quæ historia ad hujus necessaria est intellectum epistolii, quod ex MS. epistolarum Anselmi volumine descripsimus.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXVIII.

ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI, AD MALCHUM WATERFORDIENSEM EPISCOPUM.

Anselmus archiepiscopus Cantuariæ, amico et coepiscopo Malcho Waterfordensi salutem et benedictionem.

AUDIVI, quod dominus Samuel episcopus Dubliniensis monachos Ecclesiæ Dublinæ, aut nulla aut parva occasione, ejicit; nec pro ulla satisfactione vult recipere: et quod, contra consuetudinem, crucem facit gestari ante se in itinere; et quod res Ecclesiæ illius ab archiepiscopo Lanfranco datas velut proprias distribuit. De his omnibus illi nostras mitto literas: et populo ejusdem civitatis mando, ut prædictarum rerum distributionem prohibeat. Et quoniam non invenio per quem literas nostras illi aptius mittam: precor fraternitatem vestram, quatenus eas illi per præsentiam vestram exhibeatis; ut eum charitative viva voce, ut monitioni nostræ quam illi scribimus assensum præbeat, rogando et consulendo moneatis. Valete.

RECENSIO.

Ex eodem MS. in quo circiter nonaginta Anselmi adhuc ineditæ continebantur epistolæ. De Malchi ad Waterfordiensem episcopatum electione XXXIV (supra pag. 518.) agebat epistola. Neque Waterfordiæ solum sed etiam vicinæ Lismoriæ erat ille episcopus. Unde senior Lesmorensis (ea senioris notione, quam ad XXXIII. epistolæ ἐπιγραφὴν aperuimus) in vita discipuli ejus Malachiæ a Bernardo appellatur: ubi etiam de Malacho hæc, inter alia complura, memorantur:

* A. C. 1110.

Digitized by Google

" Hic erat senex plenus dierum et virtutum : et sapientia Dei erat in illo. Natione quidem Hibernus, sed in Anglia conversatus fuerat in habitu et proposito monachali in Vintoniensi monasterio : de quo assumptus est in episcopum in Lesmor civitate Mumoniæ, et ipsa nobiliore inter cæteras regni illius. Ibi tanta ei desuper collata est gratia, ut non modo vita et doctrina, sed et signis clareret."

Digitized by Google

EPISTOLA XXXIX.

EJUSDEM AD SAMUELEM DUBLINIENSEM EPISCOPUM.

Anselmus archiepiscopus Cantuariæ, venerabili fratri Samueli Dublinæ civitatis episcopo salutem.

Audivi, quod libros et vestimenta et alia ornamenta Ecclesiæ, quæ dominus Lanfrancus archiepiscopus dedit avunculo tuo domino Donato episcopo ad opus Ecclesiæ, cui tua fraternitas præsidet, tu pro voluntate tua exponis, et ea extraneis das. Quod si verum est, miror cur ita facias: cum ipsa ornamenta non ei sed Ecclesiæ data sint; sicut fratres Cantuariensis ecclesiæ filii attestantur; unde moneo, et monens rogo te; quatenus si aliquid de prædictis rebus extra Ecclesiam datum est, celeriter illud restitui facias. Item audivi, quod monachos, qui in ipsa ecclesia ad serviendum congregati erant, expellas et dispergas; nec redire volentes ullatenus recipere velis. Quod si ita est, non te decet: officii siquidem tui scitur esse, magis dispersa congregare, quam congregata dispergere. Quapropter mando tibi, ut si aliqui abjecti sunt, et redire volunt, seseque in Dei servitio sub obedientia custodire; eos suscipias, et saluti eorum per paternum affectum studiose intendas: nisi (quod absit) hujusmodi causa in illis obsistat, quæ hoc fieri omnino prohibeat. Præterea audivi, quia facis portari crucem ante te in via. Quod si verum est; mando tibi ne amplius hoc facias: quia non pertinet nisi ad archiepiscopum a Romano pontifice pallio confirmatum; neque decet te, ut ulla præsumptione insolitæ rei te notabilem et reprehensibilem hominibus ostendas. Vale.

Digitized by Google

RECENSIO.

Cum aliis Anselmi, lib. 3. epist. 72. Johannes Picardus divulgavit, et notas adjunxit: in quibus tamen illud pronuntiatum necessario est castigandum, " Hiberniæ episcopos ab archiepiscopo Eboracensi, duobusque episcopis quos debet Cantuariensis archiepiscopus mittere, esse inaugurandos." quæ hallucinatio non aliunde quam ex crasso illo ejusdem in notis ad 149. epistolam processit errore; insularum Orcadum nomine Hiberniam et Scotiam contineri. De Donato, cujus hic mentio, Samuelis avunculo et in Dubliniensi episcopatu proximo antecessore, ad epistolam 33. dictum est aliquid. Consecrationis ejus memoria in Cantuariensibus annalibus ita est consignata. Lanfrancus, ordinationis suæ "sextodecimo anno, sacravit Donatum monachum suum Cantuariæ ad regimen Dubliniæ, petente rege, clero et populo Hiberniæ; quibus etiam literas exhortatorias misit." Et in Dubliniensibus: "Anno Domini MLXXXV. Lanfrancus archiepiscopus Cantuariensis ad regimen Dublinensis Ecclesiæ sacravit Donatum monasterii sui monachum, in sede metropoli Cantuariæ; petentibus atque eligentibus eum Terdilvaco Hiberniæ rege, et episcopis Hiberniæ regionis, atque clero et populo præfatæ civitatis." Quo vel sequente anno ipsum Terdilvacum regem mortuum esse, in Buellianis annalibus legimus: in quibus Tairdelbach mac Taidg mac Briain nominatur. Donato vero anno MLXXXXV vita functo successor datus est Samuel: de quo Ædmerus, in novellæ historiæ secundo libro. "Venit ad Anselmum quidam monachus Cœnobii sancti Albani, natione Hibernensis, nomine Samuel. Hic defuncto bonæ memoriæ Donato Dublinæ civitatis episcopo, a rege Hiberniæ Murierdach nomine, necnon a clero et populo in episcopatum ipsius civitatis electus est, atque ad Anselmum, juxta morem antiquum, sacrandus cum communi decreto directus. Quorum electioni et petitioni Anselmus annuens, hominem aliquandiu secum honorifice detentum, necnon qualiter in domo Dei conversari deberet diligenter instructum, sumpta ab eo de canonica subjectione sua ex antiquo more professione, promovit in episcopatus officium Wintoniæ, octava die subsequentis Paschæ, ministrantibus sibi in hoc officio quatuor episcopis suffraganeis suis. Qui novus pontifex tanti Patris benedictione, ac literarum præfato regi, clero quoque ac plebi Hiberniæ, pro testimonio suæ consecrationis scriptarum astipulatione roboratus, in patriam suam cum gaudio revertitur, atque in sedem cum honore pro usu suscipitur terræ." Habetur hic, pag. 564. tum Donati tum Samuelis professio: verum Lanfranci et Anselmi cum eis missæ literæ interierunt.

Digitized by Google

EPISTOLA XL.

DUBLINIENSIUM, AD RADULPHUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Domino reverentissimo ac religiosissimo, Radulpho archiepiscopo Cantuariæ, omnes Burgenses Dublinæ civitatis, cunctusque clericorum conventus, æternam optant salutem.

Cum te, sancte pater, pro merito summæ pietatis plurimi venerentur; et omnibus fidelibus, causa magnæ fidei et sanæ doctrinæ, honorabilis atque amabilis existas: congruum esse judicamus, ut Gregorium nostrum electum, Dei gratia, ad vos mittamus. Antecessorum enim vestrorum magisterio semper nostros libenter subdimus, a quo recordamur nostros accepisse dignitatem ecclesiasticam. Sciatis vos revera, quod episcopi Hiberniæ maximum zelum erga nos habent, et maxime ille episcopus qui habitat Ardimachæ; quia nos nolumus obedire eorum ordinationi, sed semper sub vestro dominio esse volumus. Idcirco vestra suffragia supplices petimus, quatenus Gregorium ad sacrum ordinem episcopatus promoveatis; si amplius illam parochiam, quam multo tempore vobis servavimus, retinere volueritis. Vale.

RECENSIO.

De Gregorii ordinatione ita scripsit, qui tum vixit, Wigorniensis monachus, Florentii continuator. " Anno MCXXI. clericus quidam natione Hibernensis nomine Gregorius, a rege Hiberniæ, clero et populo, in episcopatum Dublinæ civitatis electus, Angliam venit antiquo pro more ordinandus ab archiepiscopo

[a] A. C. 1122.

Digitized by Google

Cantuariensi, Anglorum primate. Quem, ex præcepto ejusdem archipræsulis, Rogerus Saresberiæ episcopus apud castellum suum quod vocatur Divisio VIII. Calend. Octobris, Sabbato, ad diaconatus et ad presbyteratus promovit gradum. Ordinatus est autem episcopus VI. Nonas Octobris, Dominica, apud Lambhitham a Radulpho Cantuariorum pontifice. Ejusque consecrationi interfuere episcopi, Richardus Lundoniæ, Rogerus Saresberiæ, Robertus Lincolniæ, Everardus Norwicensis, et David Bangornensis." Dubliniensium episcoporum postremus hic fuit, et archiepiscoporum primus: vitæque supremum egit diem, VIII. Id. Octobr. (ut habetur in Necrologio Ecclesiæ S. Trinitatis Dublin.) anno MCLXI. Hanc vero Dubliniensium epistolam, ad calcem collectionis Decretalium Isidori Mercatoris, in Cottoniana bibliotheca invenimus.

Digitized by Google

EPISTOLA XLI.

HENRICI[a] I. ANGLORUM REGIS, AD EUNDEM RADULPHUM.

Henricus rex Angliæ, Radulpho Cantuariensi archiepiscopo, salutem.

MANDAVIT mihi rex Hiberniæ per breve suum, et burgenses Dublinæ, quod elegerunt hunc Gregorium in episcopum, et eum tibi mittunt consecrandum. Unde tibi mando, ut petitioni eorum satisfaciens, ejus consecrationem sine dilatione expleas. Teste Ranulpho cancellario apud Windelsor.

RECENSIO.

Superiori epistolæ in eadem collectione subjunctum erat hoc breve regis Henrici I. Nam ut Latini brevia, sic etiam eorum exemplo recentiores Græci *Βρεβία*, brevia hujusmodi regum scripta appellant: et ut apud Græcos (quemadmodum alibi a nobis ad hoc ipsum rescriptum ex Eustathio est observatum) *κελεύω* non est semper *δεσποτικὴ λέξις*, sed aliquando respondet *τῷ ἀξιοῦν καὶ τῷ σημαίνειν*, ita et mandandi vocem eodem sensu usurpant aliquando Latini; quemadmodum tum paulo ante in 38, et 39. epistola, tum manifestissime in hac præsente licebit animadvertere. Nam, ut in libro quinto de gestis regum Anglorum Guilielmus Malmesburiensis retulit, " Hiberniensium regem Murcardum et successores ejus, quorum nomina fama non extulit, ita devotos habuit Henricus I. ut nihil, nisi quod eum palparet, scriberent; nihil, nisi quod juberet, agerent;" et tamen scribit hic ille, " sibi mandavisse regem Hiberniæ per breve suum;" hoc est, significavisse. Ita Bonifacius II. sub finem epistolæ ad Cæsarium: " Epistola quam a quodam tibi mandasti sacerdote transmissam." et paulo post. " Omnium quos dissentire mandasti," i. e. significasti. Tom. 1. Concil. Galliæ. pag. 224. Et Beda libro primo historiæ. cap. 25. de Augustino: " Mittens ad Ædilbertum mandavit se venisse de Roma.

[a] A. C. 1122.

Digitized by Google

EPISTOLA XLII.

BERNARDI[a] CLARÆVALLENSIS ABBATIS, AD MALACHIAM HIBERNIÆ EPISCOPUM.

Venerabili Domino et beatissimo patri Malachiæ, Dei gratia Hiberniensium archiepiscopo, apostolicæ sedis legato; frater Bernardus Clarævallis vocatus abbas, invenire gratiam apud Dominum.

Inter multiplices æstus et curas pectoris mei (præ multitudine quarum, anima mea turbata est valde) fratres de terra longinqua venientes ut serviant Domino, epistola tua, "et[b] baculus tuus ipsa me consolata sunt." Epistola in ostensione bonæ voluntatis, baculus ad sustentandum corpus infirmitatis, fratres qui Deo serviunt in spiritu humilitatis. Omnia suscepimus, omnia placent, omnia pariter "cooperantur[c] in bonum." Quod autem voluistis duos de fratribus mitti vobis ad prævidendum locum: communicato cum fratribus consilio, dignum duximus non eos separandos ab invicem, donec plenus "in[d] eis formetur Christus," donec ad integrum doceantur "præliari[e] prælia Domini." Cum igitur fuerint in schola sancti Spiritus eruditi, cum "induti[f] virtute ex alto;" tunc demum ad patrem filii revertentur; ut "cantent[g] canticum Domini non jam in terra aliena," sed in sua. Vos autem interim "juxta[h] sapientiam vobis datam a Domino," secundum habitudinem locorum quæ vidistis apud nos, prævidete et præparate eis locum a tumultibus seculi separatum. Tempus

[a] A. C. 1140.
[b] Psalm. 23. ver. 4.
[c] Rom. cap. 8. ver. 28.
[d] Gal. cap. 4. ver. 19.
[e] 1 Sam. cap. 25. ver. 28.
[f] Luc. cap. 24. ver. 49.
[g] Psalm. 137. ver. 4.
[h] 2 Pet. cap. 3. ver. 15.

Digitized by Google

enim prope est, in quo vobis, operante Dei gratia, novos de veteribus homines producemus. Sit nomen Domini benedictum in secula, de cujus munere venit ut communes habeam filios vobiscum; quos vestra prædicatio plantavit[j], nostra exhortatio rigavit, Deus autem incrementum dedit.

Sanctitatem vestram rogamus, ut verbum Domini prædicetis " ad[k] dandam scientiam salutis plebi ejus." Duplex enim vobis incumbit necessitas, et ex officio legationis, et episcopali negotio. De cætero, quoniam in[l] " multis offendimus omnes," et inter homines seculi frequenter positi multum de pulvere mundi contrahimus: vestris et vestrorum orationibus me commendo, ut in fonte misericordiæ suæ nos lavare et emaculare dignetur ipse fons pietatis Jesus Christus, qui dixit Petro; " Nisi[m] lavero te, non habebis partem mecum." Sed et hoc ipsum non solum precibus, verum etiam quasi ex debito requiro: cum ego clamem ad Dominum pro vobis, si quid possit peccatoris oratio. In Domino valete.

RECENSIO.

Hæc, et duæ sequentes ad Malachiam missæ, inter editas Bernardi epistolas habentur, numero 315, 316, et 317. Frustra vero a Johanne Picardo (in notis ad Anselmi lib. 3. epist. 72.) injectus est scrupulus: quomodo Bernardus Malachiam in ejus vita nominet archiepiscopum; quum fato functus fuerit anno 1148. biennio scilicet ante pallia in Hiberniam per Johannem Paparonem Romanæ sedis legatum delata. " ni forsan" inquit " dicas, quod Balæum de Malachia loquentem scripsisse recolo, nempe quod obtinendi pallii gratia Romam accessisset. Verum penes auctorem sua fides esto." Atqui minime erat opus Balæum hic testem advocare: hujus rei fides penes ipsum Bernardum est, qui Romæ pallium ab eo petitum, nec tamen impetratum fuisse narrat. " Metropoliticæ enim sedi (ait ille) deerat adhuc et defuerat ab initio pallii usus; quod est plenitudo honoris." Sed ante accepta pallia, Armachanos antistites jam inde ab initio archiepiscopos extitisse et metropolitanos totius Hiberniæ, atque adeo novas sua authoritate metropoles instituisse, ex eadem Malachiæ vita a Bernardo descripta manifestius est, quam ut in quæstionem vocari debeat. Celsus enim Armachanus non modo archiepiscopus ibi appellatur atque metropolitanus: sed et insuper additur: " Erat et altera sedes metropolitica, quam de novo constituerat Celsus; primæ tamen sedi et illius archiepiscopo subdita, tanquam primati."

[j] 1 Cor. cap. 3. ver. 6.
[k] Luc. cap. 1. ver. 77.
[l] Jacob. cap. 3. ver. 2.
[m] Johan. cap. 13. ver. 8.

Digitized by Google

De eodem quoque Celso ibidem legitur. " Cognoscitis quia moreretur, fecit quasi testamentum, quatenus Malachias deberet succedere sibi ; quod nullus videretur dignior qui episcoparetur in sede prima." Et post. " Anno ætatis suæ tricesimo octavo pauper Malachias, pulso incubatore, intravit Ardmacham pontifex et métropolitanus totius Hiberniæ." Illud potius dubitationem hic movere posset : quod quum tertio post anno Malachias relicto archiepiscopatu, Dunensis episcopatus administrationem susceperit, ac deinde anno MCXXXVII[a] Romam ad Innocentium II. profectus, pontificis in Hibernia legatus primum constitutus fuerit ; in hujus tamen epistolæ inscriptione simul Hiberniensium archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus salutetur, nisi forte archiepiscopi nomen, pro episcopi, in editos codices irrepsisse putandum sit : vel archiepiscopi delatum fuisse illi titulum, quod nuper eo honore fuisset functus, et jam legatus factus parem aut etiam majorem dignitatem adhuc obtinere existimaretur. " Romam," inquit scriptor visionis Tungati Hiberni, " tempore Innocentii papæ veniens, ab ipso ARCHIEPISCOPUS et legatus constitutus est ; qui omnia quæcunque habere poterat sanctis cœnobiis et pauperibus dividebat. Hic constructor extitit quinquaginta quatuor congregationum monachorum, canonicorum, sanctimonialium : quibus omnia necessaria providebat et nihil sibi omnino retinebat."

[a] Ita quidem Baronius, sine auctore. Sed 1140. fuisse Bernardus in vita illius indicat, quum *nonum* ante mortem ipsius Malachiæ fuisse significat. pag. 363. lin. penul. edit. Messinghami.

Digitized by Google

EPISTOLA XLIII.

EJUSDEM, AD EUNDEM.

Malachiæ Dei gratia episcopo, sedis apostolicæ legato, frater Bernardus Clarævallis vocatus abbas, si quid potest peccatoris oratio, et si quid pauperis devotio prodest.

FECIMUS quod præcepit sanctitas vestra, etsi non ut dignum, profecto ut possibile pro tempore fuit. Tanta apud nos ubique malitia grassatur; ut vix id tantillum quod factum est, fieri licuerit. Misimus tam exiguum seminis quod videtis, ad seminandum vel modicam partem agri illius, in quem verus Isaac quondam exierat ad meditandum; cum[a] primum adducta est ei Rebecca per puerum Abraham perenni conjugio feliciter copulanda. Nec contemnendum semen, de quo illud in patribus vestris experimur impletum hoc tempore: "Nisi[b] Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et sicut Gomorrha similes essemus." Itaque ego[c] seminavi, rigate vos, et Deus incrementum dabit. Sanctos omnes qui apud vos sunt, per vos salutamus: humiliter ipsorum nos et sanctis vestris orationibus commendantes. Valete.

RECENSIO.

De prima Cisterciensium monachorum ex Clarævallensi cœnobio in Hiberniam missione agit hæc epistola; cujus historiam ipse Bernardus sic enarrat, de reditu Malachiæ ab itinere Romano sub Innocentio II. verba faciens. "Revertens per Claramvallem, suam secundam nobis largitus est benedictionem.

[a] Genes. cap. 24. ver. 63.
[b] Rom. cap. 9. ver. 29.
[c] 1 Cor. cap. 3. ver. 6.

Digitized by Google

Et alta suspiria trahens, quod non liceret sibi pro suo desiderio remanere; Hos, inquit, interim pro me oro ut retineatis, qui a vobis discant quod nos postmodum doceant. Et infert. Erunt nobis in semen, et in semine isto benedicentur gentes: et illæ gentes quæ a diebus antiquis monachi quidem nomen audierunt, monachum non viderunt. Et dimissis quatuor a latere suo, abiit. Qui probati et digni inventi, monachi facti sunt. Post aliquod tempus cum jam sanctus esset in terra sua, misit alios: et factum est de illis similiter. Quibus per aliquantum tempus instructis et eruditis corde in sapientia, dato eis in patrem sancto fratre Christiano, qui erat unus ex ipsis, emisimus eos; adjungentes de nostris, quanti sufficerent ad numerum abbatiæ. Quæ concepit et peperit filios quinque: et sic multiplicato semine, augescit indies numerus monachorum, juxta desiderium et vaticinium Malachiæ." Illa reliquarum mater abbatia Mellifontis fuit in Armachana diœcesi posita: de cujus extructione (biennio post Hibernienses monachos in Clara-valle relictos facta) in annalibus a Thoma Caseo editis ita legimus. "Anno MCXLII. fundatur abbatia Mellifontis, Donato rege Urgallise[a] terras et possessiones donante, Malachia episcopo procurante; ad quam regendam Bernardus abbas Clarævallensis misit conventum de illis quos Malachias in Clarevalle[b] ad addiscendum ordinem reliquerat, et postea miserat: dato eis in patrem fratre Christiano." Hinc, circa annum MCXLIV. propagatum est cœnobium Nevoracense[c], diplomate quod a Mauricio Maglachain rege totius Hiberniæ illi postea est concessum, Nyvor et Ybar Cyntracta, ab aliis vero de Viridi ligno appellatum, et ab ipso Malachia episcopo fundatum. Deinde anno MCXLVI. XIV. Januar. apud Midenses, Lieltrede, Latinis de beatitudine, vulgo Bective dictum, ac demum anno MCXLVIII. XVI. Augusti, Buellium in Tuamensi diœcesi, Boyle hodie vocitatum. Atque has tres filias, vivente Malachia, enixa est Mellifontis abbatia: quibus, Bernardo adhuc superstite, circa annum MCLI. Magio sive Nenay in agro Limiricensi accessit: indeque prognatum Sunense mouasterium, ad Sunii fluminis ripam positum, cujus in vita Malachiæ Bernardus ipse meminit. Nam Rupensem prope Cassiliam, licet Mellifontis filia et ipsa fuerit, posteriorum tamen fuisse temporum, in fine notitiæ cœnobiorum Cisterciensium Hiberniæ et Cassiliensium archiepiscoporum catalogo ostendit D. Jacobus Waræus eques auratus; in hoc studiorum genere versatissimus.

[a] Uriell. [b] Clair-vaux. [c] Newry.

Digitized by Google

EPISTOLA XLIV.

EJUSDEM, AD EUNDEM.

Amantissimo patri et domino reverentissimo Malachiæ Dei gratia episcopo, sanctæ et apostolicæ sedis legato, suus sanctitatis frater Bernardus Clarævallis vocatus abbas, salutem, et qualescunque nostras orationes.

QUAM dulcia faucibus meis eloquia tua, domine pater, quam jucunda tuæ memoriæ sanctitatis! Si quid affectionis, si quid devotionis, si quid animi in nobis est: totum sine dubio sibi vendicat tuæ dilectionis charitas. Nec opus est verborum multitudine, ubi multum viget affectus. Confido enim quod testimonium perhibeat spiritui tuo spiritus quem habes a Deo, tuum esse modicum id quod sumus. Tu quoque, pater amantissime et desiderantissime, ne tradas oblivioni animam pauperis, charitatis nexibus adhærentem tibi; et animam pauperis tui ne obliviscaris in finem. Neque enim quasi de novo commendamus nos tibi; cum in multa jam tempore gloriemur in Domino, quod invenire meruit parvitas nostra gratiam in oculis sanctitatis tuæ: sed oramus ut dilectio, jam non nova, novis quotidie proficiat incrementis.

Filios nostros, imo et vestros, tanto obnixius commendamus vobis, quanto amplius remoti sunt a nobis. Vos scitis, quoniam tota post Deum fiducia nostra fuit, ut mitteremus eos: quoniam sanctitatis vestræ precibus non acquiescere illicitum videbatur. Facite quod vos decet; ut totis visceribus charitatis amplectamini eos et foveatis. Nequaquam occasione aliqua circa eos sollicitudo et diligentia tepescat; et pereat quod plantavit dextera tua.

Digitized by Google

Jam quidem quia bene proficit domus, et ex vestris literis, et ex fratrum nostrorum relatione didicimus; multiplicata tam in temporalibus, quam in spiritualibus. Unde et congratulamur plurimum, et toto animo gratias agimus Deo et paternæ sollicitudini vestræ. Et quoniam multa adhuc opus est vigilantia, tanquam in loco novo, et in terra jam insueta, immo et inexperta monasticæ religionis: obsecramus in Domino ne retrahatis manum vestram, sed quod bene incepistis, optime perficiatis. De fratribus nostris qui redierunt a loco illo, nobis bene placuisset si remansissent. Et fortasse nonnullam occasionem præbuerunt eis, fratrum qui de terra sunt minus disciplinati mores; in eo maxime, quod minus facile eorum consiliis acquiescere videntur in his rebus, quarum prius fuerant inexperti.

Charissimum filium nostrum Christianum et vestrum remisimus ad vos, quantum potuimus instructum plenius in his quæ ad ordinem pertinent, et de cætero circa observantias ejus sollicitiorem futurum, ut speramus. Nec miremini, quod non plures cum eo misimus fratres: quoniam nec idoneos invenimus fratres qui facile acquiescerent, nec invitos cogere consilium fuit. Dilectissimus frater noster Robertus precibus nostris acquievit etiam hac vice, tanquam filius obedientiæ. Vestrum erit juvare eum; ut possit jam et in ædificiis et in cæteris necessariis promoveri domus vestra. Illud quoque paternitati vestræ suggerimus; ut viris religiosis, et quos speratis utiles fore monasterio, persuadeatis quatenus ad eorum ordinem veniant: quoniam hæc erit summa utilitas domus, et vobis facilius acquiescent. Valeat sanctitas vestra, nostri semper memor in Christo.

RECENSIO.

De Clarævallensibus monachis in Hiberniam missis, etiam in hac epistola agit Bernardus: ut et in 205. ad Roffensem episcopum. "Retribuat vobis Dominus in vitam æternam, quod viscera nostra refovistis; filios nostros loquor, quos misimus in Hiberniam;" ad cujus loci illustrationem, a Johanne Picardo in notis duo producuntur testimonia: ex Godefrido unum, in vitæ Bernardi libro 3.

Digitized by Google

(al. 1.) cap. 6. scribente, superesse ejus monumenta etiam "apud soles occiduos Hibernorum;" ex quinta distinct. cap. 2. veterum rituum a Cisterciensibus servatorum, hoc alterum. "Abbates de Hibernia tribus annis remaneant, et quarto anno veniant ad capitulum: et abbas Mellifontis ita ordinet, ut aliqui eorum singulis annis veniant ad capitulum." Primus autem Mellifontis abbas fuit Christianus Conarchius, cujus in hac epistola 44. fit mentio: frater Malchi, non Waterfordiensis illius et Lismorensis episcopi, ad quem 34. et 35. spectavit epistola; sed alterius, cujus in vita Malachiæ ita meminit Bernardus: "Frater est iste secundum carnem Christiani nostri Mellifontis abbatis: ambo enim superstites adhuc sunt, sibi in spiritu modo germaniores." Priori vero Malcho in Lismorensi episcopatu, ut et Malachiæ in pontificia legatione[a], successit ipse Christianus: quem duabus generalibus Hiberniæ synodis præsedisse legimus; Meliensi anno MCLII. et Cassiliensi anno MCLXXII. celebratæ. Cui et tertius ille conventus addi poterit, de quo in annalibus Cæsæus. "Anno MCLVII. ecclesia Mell dedicatur: in cujus dedicatione fuerunt isti venerabiles patres, Christianus episcopus Lismorensis, totius Hiberniæ legatus, qui fuit primus abbas ejusdem ecclesiæ; Gelasius Armachanus, Gregorius Dublinensis, Edanus Tuamensis, archiepiscopi, cum suis suffraganeis, XVIII. abbatibus, et prælatis fere totius Hiberniæ; nec non et Mauricius rex Hiberniæ, cum populi sui nobilioribus." Unde etiam liquet, Mellis et Mellifontis eandem fuisse ecclesiam: licet is locus qui Mellis nomen hodie retinet, tribus passuum millibus a Mellifonte sit remotus: nomine, ut videtur, utique dato a sancto Mel primo episcopo Ardachadensium, B. Patricii discipulo, et sororis ipsius Darerchæ filio, quem anno 483. quievisse Ultonienses annales indicant. De quo videndus in Patricii vita Jocelinus, cap. 50. 102, et 186.

[a] Neutiquam vero in archiepiscopatu, ut a Baronio est traditum ad annum 1148. sect. 37. ex chronico Roberti nescio cujus. vid. Robert. Altissiodorens. et Rob. de Monte et Sigebert. Miræi.

Digitized by Google

EPISTOLA XLV.

EJUSDEM[a], AD HIBERNIENSES FRATRES.

Religiosis fratribus qui in Hibernia sunt, et his maxime congregationibus, quas beatæ memoriæ Malachias episcopus fundavit, frater Bernardus Clarævallis vocatus abbas, paracleti consolationem.

Si haberemus hic "civitatem[b] manentem;" copiosissimis jure lachrymis plangeremus talem nos amisisse concivem. Cæterum si futuram magis inquirimus, ut oportet: est quidem non modica doloris occasio, tam necessario duce destitui; debet tamen zelum temperare scientia, et dolorem spei fiducia delinire. Nec mirari quempiam decet, si gemitum extorquet affectus, si desolatio lachrymas exprimit: modum tamen adhibere necesse est, imo non modice etiam consolari intuentes "non[c] quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna." Primum quidem congratulandum est animæ sanctæ; ne nos arguat de inopia charitatis, dicens et ipse quod Dominus ad apostolos ait: "Si[d] diligeritis me, gauderetis utique; quia vado ad Patrem." Prævenit nos ad Patrem[e] spirituum spiritus patris nostri. Nec modo charitatis inopes, sed ingratitudinis etiam rei esse convincimur, super omnibus quæ per eum nobis beneficia provenere; si non congratulamur ei, qui de labore ad requiem, de periculo ad securitatem, de

[a] A. C. 1148.
[b] Heb. cap. 13. ver. 14.
[c] 2 Cor. cap. 4. ver. 13.
[d] Johan. cap. 14. ver. 28.
[e] Heb. cap. 12. ver. 9.

Digitized by Google

mundo transiit ad patrem. Itaque et pium est Malachiam flere defunctum, et pium magis Malachiæ congaudere viventi. Nunquid non vivit? Utique et beate. "Visus[f] est oculis insipientium mori: ille autem est in pace."

Dehinc etiam utilitatis propriæ consideratio exultandum nobis suggerit et lætandum, quod tam potens suos patronus ad cœlestem curiam, tam fidelis præcesserit advocatus: cujus et ferventissima charitas oblivisci nequeat filiorum, et probata sanctitas obtineat gratiam apud Deum. Quis enim nunc Malachiam sanctum aut minus posse prodesse, aut minus suos diligere audeat suspicari? Profecto cum diligeretur prius, certiora nunc suæ dilectionis a Deo capit experimenta: "et[g] cum dilexisset suos, in finem dilexit eos." Absit autem ut tua nunc, o anima sancta, minus efficax æstimetur oratio; quando præsenti vividius supplicare est majestati, nec jam in fide ambulas, sed[h] in specie regnas. Absit ut imminuta nedum exinanita tua illa tam operosa charitas reputetur; cum ad fontem ipsum charitatis æternæ procumbis pleno hauriens ore, cujus et ipsa prius stillicidia sitiebas. Non potuit morti cedere charitas fortis[i] ut mors, imo et morte fortior ipsa. Nam et decedens non erat immemor vestri, affectuosius vos commendans Deo; et nostram quoque exiguitatem solita illa suâ mansuetudine et humilitate exorans, ut vestri non oblivisceremur in finem.

Unde et dignum duximus scribere vobis; ut sciatis nos, et in spiritualibus, si quid nostra in his exiguitas per beati hujus patris nostri merita unquam potuerit, et in corporalibus (si quando forte opportunitas præberetur) omnem vobis consolationem impendere tota devotione paratos. Et nunc quoque, dilectissimi, Hiberniensis Ecclesiæ gravem hanc destitutionem toto miseramur affectu; et eo amplius vobis compatimur, quo nos amplius ex hoc novimus debitores. Magnificavit enim Dominus facere nobiscum; cum locum nostrum dignatus est beatæ mortis ejus

[f] Sapient. cap. 3. ver. 2, 3.
[g] Johan. cap. 13. ver. 1.
[h] 2 Cor. cap. 5. ver. 7.
[i] Cantic. cap. 8. ver. 6.

Digitized by Google

honorare præsentia, et pretiosissimo corporis ejus locupletare thesauro. Nec molestum sit vobis, quod apud nos habeat sepulturam: quando sic ordinavit Deus, secundum multitudinem misericordiæ suæ, ut vos eum vivum haberetis, nobis habere liceat vel defunctum. Et nobis siquidem communis vobiscum pater ille erat et est: nam in morte ipsius hoc nobis confirmatum est testamentum. Quamobrem, sicut nos hujus tanti patris gratia universos vos tanquam germanos fratres totis amplectimur visceribus charitatis; sic et de vobis nos idem sentire, spiritualis ipsa cognitio[k] persuadet.

Hortamur autem vos, fratres, ut beati hujus patris nostri semper curetis sectari vestigia; eo studiosius, quo vobis certius sancta ejus conversatio diuturnis experimentis innotuit. In hoc enim veros vos ejus filios esse probabitis, si paterna viriliter instituta servetis: et ut in eo vidistis, et audistis ab eo, quemadmodum vos oporteat ambulare, sic ambuletis, et abundetis magis. Siquidem gloria patris, sapientia filiorum. Nam et nostram non mediocriter excutere desidiam, et reverentiam incutere cœpit præsens nobis tantæ perfectionis exemplar. Atque utinam sic nos post[l] se trahat, ut pertrahit in tam recenti virtutum ejus odore avidius alacriusque currentes. Orantem pro nobis universitatem vestram Christus custodiat.

RECENSIO.

Consolatoria hæc est, de morte Malachiæ: cujus laudes duobus sermonibus in ipsius natali habitis idem Bernardus prædicat, et libro singulari de vita ejus, Congani abbatis et reliquorum fratrum Hiberniensium rogatu, edito. Id enim ipse, in fine præfationis ita indicat: "Tu id mihi abba Congane injungis, reverendus frater et dulcis amicus meus, ac tecum pariter (ut ex Hibernia scribis) vestra illa omnis ecclesia sanctorum. Libens obedio; præsertim quod non eloquium exigitis, sed narrationem. Dabo vero operam, ut ea sit pura et luculenta, devotos informans, fastidiosos non onerans. Sane narrationis veritas secura apud me est, intimata a vobis; haud alia proculdubio protestantibus, quam quæ certissime comperta sunt vobis."

[k] *cognatio.*

[l] Cantic. cap. 1. ver. 3, 4.

Digitized by Google

EPISTOLA XLVI.

ADRIANI[a] IV. PONTIFICIS ROMANI, AD HENRICUM II. ANGLORUM REGEM.

Adrianus episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio, illustri Anglorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Laudabiliter et satis fructuose de glorioso nomine propagando in terris, et æternæ felicitatis præmio cumulando in cœlis, tua magnificentia cogitat: dum ad dilatandos Ecclesiæ terminos, ad declarandam indoctis et rudibus populis Christianæ fidei veritatem, et vitiorum plantaria de agro Dominico extirpanda, sicut Catholicus princeps intendis; et ad id convenientius exequendum, consilium apostolicæ sedis exigis et favorem. In quo facto, quanto altiori consilio et majori discretione procedis, tanto in eo feliciorem progressum te, præstante Domino, confidimus habiturum: eo quod ad bonum exitum semper et finem soleant attingere, quæ de ardore fidei et religionis amore principium acceperunt. Sane Hiberniam, et omnes insulas, quibus sol justitiæ Christus illuxit, et quæ documenta fidei Christianæ ceperunt, ad jus beati Petri et sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ (quod tua etiam nobilitas recognoscit) non est dubium pertinere. Unde tanto in eis libentius plantationem fidelem, et germen gratum Deo inserimus[b]; quanto id a nobis interno[c] examine districtius prospicimus exigendum. Significasti siquidem nobis, fili in Christo charissime, te Hiberniæ insulam, ad subdendum illum populum legibus, et vitiorum plantaria inde extirpanda, velle intrare: et de singulis

[a] A. C. 1155.

[b] al. *inseri volumus.*

[c] *in extremo*, habet Scotichronicon.

Digitized by Google

domibus annuam unius denarii beato Petro velle solvere pensionem; et jura Ecclesiarum illius terræ illibata et integra conservare.

Nos itaque pium et laudabile desiderium tuum cum favore congruo prosequentes, et petitioni tuæ benignum impendentes assensum, gratum et acceptum habemus, ut, pro dilatandis Ecclesiæ terminis, pro vitiorum restringendo decursu, pro corrigendis moribus et virtutibus inserendis, pro Christianæ religionis augmento, insulam illam ingrediaris, et quæ ad honorem Dei et salutem illius terræ spectaverint exequaris; et illius terræ populus honorifice te recipiat, et sicut Dominum veneretur: jure nimirum Ecclesiarum illibato et integro permanente, et salva beato Petro et sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ de singulis domibus annua unius denarii pensione. Si ergo quod concepisti animo, effectu duxeris prosequente complendum; stude gentem illam bonis moribus informare: et agas, tam per te, quam per illos quos ad hoc fide, verbo, et vita idoneos esse perspexeris, ut decoretur ibi Ecclesia, plantetur et crescat fidei Christianæ religio; et quæ ad honorem Dei et salutem pertinent animarum [per te] taliter ordinentur, ut a Deo sempiternæ mercedis cumulum consequi mereaaris, et in terris gloriosum nomen valeas in sæculis obtinere. Datum Romæ, &c.

RECENSIO.

Adrianus IV. papa, natione Anglus, Norwegiam[a] primus Christiana fide imbuit, amoreque patriæ ductus imperium Hiberniæ, quæ pontificiæ ditionis fuerat, Henrico II. Anglorum regi concessit: inquit Reginaldus Polus cardinalis in oratione[b] ad Anglos suos anno MDLIV. in comitiis parlamentariis habita. Et quidem hunc apud Wormacinm legatione fungentem provinciam illam convertisse ad fidem, Ranulphus Cestrensis refert libro septimo Polychronici, cap. 22. Quo vero jure dominium Hiberniæ pontifex sibi vendicaverit; Johannes Sarisburien-

[a] Longe ante Adriani tempora Norwegiam Christiana fide imbutam fuisse constat: in qua S. Summinæ virginis Hibernæ et septem sociarum, ab antiquo celebrata est inemoria. Vid. Martyrolog. Petri Canisii et Philippi Ferrarii; 8vo. die Julii.

[b] Johan. Elder. liter. ad Cathenesiæ episcopum, dat Londini kalend. Januar. ann. 1555. et Matth. Parker. in vita Poli.

Digitized by Google

sis, qui ipse privilegium hoc ab Adriano impetravit, libro 4. Metalogici sui capitulo ultimo ita aperit. "Ad preces meas illustri regi Anglorum Henrico II. concessit et dedit Hiberniam jure hæreditario possidendam: sicut literæ ipsius testantur in hodiernum diem. Nam omnes insulæ de jure antiquo, ex donatione Constantini qui eam fundavit et dotavit, dicuntur ad Romanam Ecclesiam pertinere. Annulum quoque per me transmisit aureum, smaragdo optimo decoratum, quo fieret investitura juris in gerenda Hibernia: idemque adhuc annulus in curiali archio publico custodiri jussus est." Narrat quoque Giraldus Cambrensis in Hiberniæ expugnatæ historia, lib. 2. cap. 6. regem Henricum ab Adriano papa privilegium hoc perquisivisse; "per Johannem Salisburiensem, postmodum episcopum Carnotensem, Romam ad hoc destinatum. Per quem etiam," inquit "idem papa Anglorum regi annulum aureum in investituræ signum præsentavit: qui statim, simul cum privilegio, in archivis Wintoniæ repositus fuerat." Anno vero MCLV. sub ipsa videlicet initia regni Henrici et pontificatus Adriani, impetratum fuisse hoc privilegium, docent in suis annalibus Rogerus Wendoverius, Matthæus Parisiensis et Nicolaus Trivettus. "Per idem tempus, (ait ad eum annum Matthæus Westmonasteriensis) rex Anglorum Henricus nuncios solennes Romam mittens, rogavit papam Adrianum, adhuc novum, cujus gratiam confidenter obtinere speravit, utpote Anglum, ut liceret ei Hiberniam hostiliter intrare, et eam sibi subjugare; atque homines illos bestiales ad fidem Christi decentius revocare, Ecclesiæque Romanæ fidelius inclinare. Quod papa regi gratanter annuit; et eidem, super hoc, privilegium destinavit." "Rex igitur Henricus (addit ad eundem annum Trivettus) circa festum S. Michaelis, habito Wintoniæ parliamento, de conquirenda Hibernia cum suis optimatibus tractavit. Quod quia matri ejus imperatrici non placuit, ad tempus aliud dilata est illa expeditio." Similia habet Robertus de Monte in continuatione chronographiæ Sigeberti, anno MCLVI. et Johannes Rossus Warwicensis in libello de terris coronæ Angliæ annexis; cui et integram hanc Adriani Bullam inseruit, quod etiam a Matthæo Parisiensi et Nicolao Trivetto ad annum MCLV. Cæsare Baronio, ad annum MCLIX. et Giraldo Cambrensi (tum in loco jam citato, tum in primo libro de vita sua) est factum. Eandem etiam in Scotichronici lib. 12. cap. 33. necnon in Dubliniensis archiepiscopi et Lismorensis episcopi regestis descriptam vidimus. Eidem in MS. Giraldi codice, quo Johannes Stovæus est usus, (sicut in annalibus ejus, ad annum MCLX. videre licet) adjuncta erat symboli apostolici et orationis Dominicæ vetus Anglicana versio: quam nonnulli eodem tempore ab Adriano ad populares suos missam fuisse autumant.

Digitized by Google

EPISTOLA XLVII.

ALEXANDRI[a] III. PONTIFICIS ROMANI, AD EUNDEM.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio, illustri Anglorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.

QUONIAM ea quæ a decessoribus nostris rationabiliter indulta noscuntur, perpetua merentur stabilitate firmari; venerabilis Adriani papæ vestigiis inhærentes, nostrique desiderii fructum attendentes, concessionem ejusdem super Hibernici regni dominio vobis indulto (salva beato Petro et sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut in Anglia, sic et in Hibernia, de singulis domibus annua unius denarii pensione) ratam habemus et confirmamus; quatenus eliminatis terræ illius spurcitiis, barbara natio, quæ Christiano censetur nomine, vestra indulgentia[b] morum induat venustatem, et redacta in formam hactenus informi finium illorum Ecclesia, gens ea per vos Christianæ professionis nomen cum effectu de cetero consequatur.

RECENSIO.

Habetur apud Giraldum Cambrensem libro 2. historiæ Hiberniæ expugnatæ cap. 6. indeque apud Johannem Rossum Warwicensem in libro de terris coronæ Angliæ annexis. In Francofurtensi tamen Giraldi editione, non solum integrum hoc diploma est prætermissum, sed etiam tota ejus historia inversa et depravata: quam nos ex duobus MSS. exemplaribus ita restituimus. Anglorum rex, "directis ad curiam Romanam nunciis, ab Alexandro tertio tunc præsidente privilegium impetravit, ejusdem auctoritate simul et assensu, Hibernico populo tam dominandi quam ipsum in fidei rudimentis incultissimum ecclesiasticis normis et disciplinis, juxta Anglicanæ Ecclesiæ mores, informandi. In Hiberniam itaque

[a] A. C. 1172.

[b] al. *diligentia*.

Digitized by Google

privilegio transmisso per Nicolaum Walingfordensem tunc priorem (Malmesburiensem quoque postmodum abbatem tam positum quam depositum) necnon et Gulielmum Aldelmi filium, convocata statim apud Waterfordiam episcoporum synodo, in publica audientia ejusdem privilegii, cum universitatis assensu, solemnis recitatio facta fuit : necnon et alterius privilegii per eosdem transmissi, quod idem rex ab Adriano papa, Alexandri decessore, antea perquisierat per Johannem Salisburiensem, postmodum episcopum Carnotensem, Romam ad hoc destinatum." Unde corrigendus error Richardi Stanihursti V. Cl. avunculi mei, qui in tertio de rebus Hibernicis libro, depravata Giraldi secutus exemplaria, ait " Johannem Salisburiensem, convocato Waterfordiæ antistitum concilio, pontificias literas publice recitasse." Huc vero spectat locus ille Rogeri Hovedeni, in posteriore annalium parte, ad annum MCLXXI. " Rex Angliæ misit transcriptum chartarum universorum archiepiscoporum et episcoporum Hiberniæ ad Alexandrum papam ; et ipse authoritate apostolica confirmavit illi et hæredibus suis regnum Hiberniæ, secundum formam chartarum archiepiscoporum et episcoporum Hiberniæ." Et Johannis Bramptoni in Joranalensi historia. " Rex Angliæ misit nuncios suos ad Alexandrum papam, cum literis archiepiscoporum et episcoporum Hiberniæ, ad regimen Hiberniæ sibi et hæredibus suis auctoritate apostolica confirmandum : sicque factum est. Nam summus pontifex regnum illud sibi et hæredibus suis auctoritate apostolica confirmavit, et in perpetuum eos constituit inde reges."

Digitized by Google

EPISTOLA XLVIII.

EJUSDEM ALEXANDRI[a], AD LAURENTIUM DUBLINIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Laurentio Dublinensi archiepiscopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Cum teneamur ex debito suscepti regiminis circa universum corpus Ecclesiæ aciem nostræ considerationis extendere, et necessitatem patientibus prout convenit suffragari: fratribus et coepiscopis nostris apostolicum cogimur suffragium impartiri, et his maxime qui pro multa locorum distantia, et impedimentis viarum, liberum non possunt accessum ad sedem apostolicam habere. Eapropter, venerabilis in Christo frater archiepiscope, tuis justis postulationibus clementer annuimus; et Dublinensem Ecclesiam, cui auctore Deo præesse dinosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona quæ eadem Ecclesia inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci; firma tibi, tuisque successoribus, et illibata permaneant. Glendalensis, Darensis, Fernensis, Lechlinensis, et Osragensis episcopatus, sicut tibi sunt metropolitico jure subjecti; tibi tuisque successoribus auctoritate apostolica confirmamus. Adjicientes quoque statuimus, ut cathedrales Ec-

[a] A. C. 1179.

Digitized by Google

clesiæ prædictorum episcopatuum, cum omnibus bonis et possessionibus suis quas inpræsentiarum canonice possident, vel in futurum justis modis, Deo propitio, poterunt adipisci; sub beati Petri et nostra protectione consistant.

Præterea ecclesias, villas, et possessiones Ecclesiæ tibi commissæ, inferius adnotatas, tibi tuisque successoribus nihilominus confirmamus: videlicet Luscam cum omnibus suis, Sord cum omnibus pertinentiis suis intus et extra, Finnglas cum omnibus pertinentiis suis, Cluaindolcam cum omnibus pertinentiis suis, Tamlachtan cum omnibus pertinentiis suis, Cell episcopi Sanctani cum pertinentiis suis, medietatem de Tignai cum Ecclesia ipsius villæ, Raithmichael, Cellcomgaill, Cellachaith Driegnig, Cellcrithaith, cum montanis ab Igis usque Sudi, Cheli, Cellcoemgen cum suburbio et aliis pertinentiis suis, et Technabretnach, Lechrecasandi; ad mensam autem canonicorum, medietatem de Rathravini, et portus Beth, Raithchillin, Glasneden cum molendino, Chenudrochit cum molendino pontis, Balemettamlaib, Dun-Cuanach, Balengore, Cellesra, Cenaunsale, Lisluan, tertiam partem de Clochair, tertiam partem de Cellalia, Cluinkeuy, Kalgohc, Tilachacham Cellmgenalenin, Celltuca, Raithsalcan, Tulathnanephscop, Drumind, Baleucharam, Tirodraun, Baleuroolef, Balemochain, Balemaccmurgussa, Baleudelan. Parochiales autem ecclesias, scilicet sancti Thomæ, sancti Nicolai, sanctæ Warburgæ, sancti Patricii in insula, cum omnibus earum pertinentiis; insulam filiorum quondam Nessani, et Delcinsi, cum appendiciis earum, et cæteras ecclesias tuæ dicœcesis, cum decimis et aliis earum pertinentiis.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove

Digitized by Google

commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit; potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, XII. Kal. Maii. Indictione XII. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXIX. Pontificatus vero Domini Alexandri papæ III. anno XX.

RECENSIO.

Est hic Laurentius O Tolus; cujus vitam ab Augiensis collegii monacho descriptam tomo 6. vit. Sanctor. Novembris 14. inseruit Laurentius Surius. Patrem habuit, ut author ille indicat, Muriartach sive Mauricium O Tuohail, ad quem "non modica pars Hiberniæ, quæ Lagenia dicitur, jure hæreditario pertinebat:" matrem Ingen Ybruin (ita enim legunt duo hujus vitæ, quæ ego habeo, MSS. exemplaria) id est, filiam principis, ex Birnorum, ni fallor, familia. Annos natus decem, Dermitio regi (qui non alius quam ille Murchardi filius fuit, a quo Angli in Hiberniam sunt introducti) a patre obses datus, durissime ab eo habitus est: post biennium vero patri restitutus, et Ecclesiæ ministerio ab eo dicatus, sub magisterio Glindelacensis episcopi vixit. Cum annorum esset viginti quinque ecclesiæ S. Comgeni sive Keivini de Glindelach abbas, clero et populo id postulantibus, constitutus est: ac demum Gregorio Dubliniensi archiepiscopo defuncto, ad Dubliniensem cathedram evectus, anno Domini "MCLXII. a Gelasio totius Hiberniæ primate, in ipsa Dubliniensi Ecclesia, multis episcopis præsentibus, gratias agente populo, solenniter consecratus est." Anno MCLXXIX. una cum catholico Tuamensi archiepiscopo, et quinque[a] vel sex Hiberniæ episcopis Romam ad Lateranense concilium profecturus, per Angliam transiit: ubi omnes "pro licentia transeundi juraverunt, quod neque regi, neque regno ejus damnum quærerent;" quemadmodum in anni illius historia refert Rogerus Hovedenus. Laurentium tamen, "ob privilegia in Lateranensi concilio contra regiæ dignitatis honorem, zelo suæ gentis, ut ferebatur, impetrata, Anglorum regi suspectum"

[a] Ita Hovedenus, sed quatuor tantum habentur in nomenclatura episcoporum, quam in notis ad Guilielmi Neubrigensis histor. lib. 3. cap. 2. edidit Johannes Picardus nempe Constantinus episcopus de Quidalua, qui Laonensis fuisse putatur, Bricius Lunbnensis sive Limericensis, Augustinus Waterfordensis, et Fœlix Lismorensis.

Digitized by Google

fuisse, libro secundo expugnat. Hibern. cap. 23. narrat Giraldus Cambrensis. Eo tempore, Dubliniensi suæ metropoli præsens hoc impetratum est ab eo privilegium, ex antiquo Dubliniensis archiepiscopi regesto, quod Crede mihi appellant, a nobis exscriptum. Obiit apud Augiense Normanniæ castrum (cujus Richardus Strongbous comes fuerat, qui Dubliniam et Lageniam, Laurentii sedem metropoliticam et provinciam, ipso vivente et vidente subjugavit:) quum patriæ ab Anglis vastatæ calamitatem deplorasset, miserabiliter lingua materna dicens: "Heu populo stulte et insipiens; quid jam facturus es? Quis sanabit aversiones tuas? Quis miserebitur tui?" Atque ita, XVIII. calendas Decembris, "cum sextæ feriæ terminus advenisset, in confinio sabbati subsequentis spiritum sancti viri requies æterna suscepit;" inquit vitæ ejus scriptor. Annum, quem ille tacet, annales nostri assignant MCLXXX. quo et 14. dies Novembris in sextam feriam incidit. Rogerus Hovedenus, et eum secutus Cæsar Baronius, in annalibus suis ad sequentem annum male referunt. Nam, ut ipse Rogerus postea confirmat, anno MCLXXXI. "Henricus rex Angliæ, filius imperatricis, dedit Johanni Cumin, clerico suo, archiepiscopatum Divelinæ in Hibernia, VIII. Idus Septembris apud Euesham. (ideoque Novembris dies 14. qui electionem hanc antecesserat, ad annum MCLXXX. necessario retrahendus est.) et anno MCLXXXII. Lucius papa III. ordinavit Johannem Cumin in sacerdotem III. Idus Martii apud Velletre: deinde consecravit eum in archiepiscopum Divelinæ XII. calend. Aprilis, Dominica in ramis palmarum, apud Velletre;" cui calendarii quoque ratio suffragatur; quæ anno MCLXXXII. Dominicam Paschalem 28. die Martii celebratam fuisse docet. In sanctorum vero numerum relatus est Laurentius ab Honorio III. anno MCCXXV. cujus canonizationis Bulla, data Reate, III. Id. Decembr. anno pontificatus 10. habetur in Laertii Cherubini Bullario; tomo 1. pag. 49. edit. Rom. anno 1617.

Digitized by Google

EPISTOLA XLIX.

GIRALDI[a] BARRII CAMBRENSIS, AD GUILIELMUM VERUM HEREFORDENSEM EPISCOPUM.

De Mirabilibus Hiberniæ.

Lectio certa prodest, varia delectat. Si ergo legendo proficere quæris: primo continentiam operis cum diligentia seriatim transcurras, quatenus et materiæ tenor, et tractandi modus, et rerum cohærentia cuncta patescat. Quoties vero transcurso volumine delectari volueris; circa titulos istos verseris. In prima distinctione: de avibus earumque naturis, et defectibus. De feris. De vermibus. De comparatione occidentis et orientis; usque in finem illius distinctionis. In secunda distinctione; de lupo cum sacerdote loquente. De muliere barbata, et in tergo cristata. De semibove viro semiviroque bove. De vacca cervina. De hirco ad mulierem accedente, et leone mulierem adamante. De mirandis sanctorum refugiis. De saltu Salmonis, et modo saliendi. De libro miraculose conscripto, et libro compositione. De vita Brendani. In tertia distinctione: de gentis Hibernicæ natura, moribus et cultu. De gentis ejusdem in musicis instrumentis peritia incomparabili. De commodis artis musicæ. In calce vero ejusdem distinctionis; De victoriis Anglorum regis Henrici II. et filiorum titulis, usque in finem operis. Notulas quoque contra magis nota-

[a] C. A. 1190.

Digitized by Google

biles tam sententias quam sermones per loca disposui; ad quæ perfacile tota lectoris acies dirigatur. Præ omnibus autem titulis, meo judicio, de musicis instrumentis et arte musica tractatus, pro sui captu laudabilior: quanto ibidem et materia inusitatior, et stylus elegantior invenitur.

RECENSIO.

" Giraldus de Cambria oriundus, et australi ejusdem parte maritimisque Demetiæ finibus, non procul ab oppido principali de Penbroc castello, sc. de Mainarpu[a]; ingenuis natalibus prosapiam duxit. Ex matre namque Angareth (filia Nestæ nobilis filiæ Resi principis Sudwalliæ, sc. filii Theodori) viro egregio Willelmo de Barri matrimonialiter copulata processit." Ita de genere suo scribit, in 1. de vita sua libro cap. 2. Giraldus noster; qui a patre Barrii, a patria Cambrensis cognomen traxit. Is ab avunculo suo Davide, (Nestæ illius, quam Angli Annes vocant, filio) Brechiniensis archidiaconatus, qui e quatuor Menevensis diœceseos unus erat, munus accepit. Galfrido, anno MCXCVIII. defuncto, in Menevensi episcopatu successisse " Silvestrum Giraldum, vel potius Giraldidam, Mauricio nempe prognatum, Giraldi de Winsor (qui arcem condidit Pembrochianam) et Nestæ (sororis Griffini Australis Walliæ principis) filio;" in Menevensium episcoporum catalogo affirmat eruditissimus antistes D. Franciscus Godwinus. Silvestri nomen primus, quod sciam, Giraldo Johannes Lelandus imposuit: neque enim in vita, quam ipse conscripsit suam, neque in tot manuscriptis, quæ videre contigit, operum ipsius exemplaribus, ejusmodi quid adhuc invenire potui. Giraldi, absque omni dubio, proprium fuit illi nomen: Giraldidæ cognomentum, ut ex materna parte indi illi potuisse fortasse non abnuerim, ita ex paterna Barrensem extitisse, tam certum est quam quod certissimum. Mauricius quidem Giraldides, dominus de Landesteffan, qui in Hibernia fixis postea sedibus comitibus nostris Kildariensibus et Desmondanis originem dedit, matrem habuit Nestam, Giraldi nostri aviam, patrem Giraldum Winsorium, Arnulphi illius qui castrum Penbrochianum primus construxit, ut ad epistolam 37. ex ipso Giraldo ostendimus, Castellanum; ac filium etiam (quod errori videtur præbuisse ansam) Giraldum: verum non nostrum, sed alium, cujus in secundo expugnationis Hiberniæ libro cap. 20. hic noster meminit. Anno vero MCXCVIII. obiit non Galfridus, sed Petrus[b] proximus illius in sede Menevensi antecessor. Indeque longa illa lis est exorta, Romæ coram Innocentio III. agitata, inter Galfridum Huberti Cantuariensis archiepiscopi opera promotum et Giraldum nostrum a Menevensi capitulo electum: cujus historiam fuse lateque ipse Giraldus exequitur, tum in dialogo de statu Ecclesiæ Menevensis, tum in libro secundo de vita sua, ubi ostendit " qualiter ad collyrium (ita enim ille loquitur) efficax in curia pars adversa se convertit, et totam contra Giraldum

[a] Mainor Pyrr, id est, mansio Pyrri: de qua vid. Girald. Itenerar. Cambriæ, lib 1. cap. 12.

[b] Girald. libro secundo de vita sua. Matt. Westmonaster. ann. 1193.

Digitized by Google

curiam per hoc corrupit." Unde demum causa cedere, et Galfrido Menevensem episcopatum relinquere coactus est.

Anno MCLXXXV, ab Henrico II. Anglorum rege, cum filio suo Johanne Moretonii tunc comite, in Hiberniam missus est: ubi dum moram faceret, "duorum episcopatuum qui tunc vacabant, Wesefordensis sc. (qui et Fernensis dicitur) et Lechelinensis, archidiacono comes optionem dedit; et cum utramque recusaret, obtulit ei duas ecclesias illas et dioceses in unum convertendas, si regimen ipsarum suscipere vellet. Ad quod respondit: quod si animum ipsius ad hoc datum videret, ut Ecclesiam Hibernicam extollere vellet et sublimare; se forsan, ut ad hoc cooperari et coadjuvare posset, oblatum honorem suscepturum. Sed quoniam hoc non attendit, maluit esse privatus, quam inutiliter in potestate constitutus; nec aliquatenus ibi præesse voluit, ubi prodesse non potuit. Videns ergo quod comes ibi nil proficeret, sed de die in diem deteriorem per ejus adventum terra statum haberet; considerans etiam multa ibidem nova et notabilia, aliis aliena regnis et prorsus incognita: ut vel ipse questum aliquem aut conquestum suo saltem labore faceret; primum topographiæ suæ, deinde expugnationis Hibernicæ materiam ibi colligere, studio grandi et diligenti inquisitione, curavit. Cum itaque comes, per æstatem totam et hyemis partem mora in Hibernia inutili facta, remenso pelago in Walliam et Angliam remearet: Giraldus cum senescallo Hiberniæ Bertramo de Verdun socius et rerum gerendarum testis relictus, ut studio prædicto plenius indulgeret, non solum congerendo sed etiam digerendo, usque ad Pascha sequens moram in insula fecit." Hæc de seipso Giraldus, libro 1. de vita sua, cap. 25. quibus et capite 28. deinde addit: "Cum itaque magni nominis in insula tunc Giraldus extiterit et famæ præclaræ, inter Pascha et Pentecosten de Hibernia in Walliam transfretavit: ubi et topographiæ suæ, cujus tractatum jam inchoaverat, consummationi studiosam ex toto mentem applicavit. Processu vero temporis opere completo et correcto, lucernam accensam non sub modio ponere, sed super candelabrum ut luceret erigere cupiens; apud Oxoniam, ubi clerus in Anglia magis vigebat et clericatu præcellebat, opus suum in tanta audientia recitare disposuit. Et quoniam tres erant in libro suo distinctiones, qualibet recitatæ die, tribus diebus continuis recitatio duravit: primoque die pauperes omnes oppidi totius, ad hoc convocatos, hospitio suscepit et exhibuit. In crastino vero doctores diversarum facultatum omnes, et discipulos famæ majoris et notitiæ. Tertio die reliquos scholares, cum militibus oppidanis et burgensibus multis. Sumptuosa quidem res et nobilis: quia renovata sunt quodammodo antiqua et authentica in hoc facto poetarum tempora; nec rem similem in Anglia factam, vel præsens ætas, vel ulla recolit antiquitas."

Huic recitationi præmissa fuit Præfatio in Hibernicam topographiam prima: cui in aliquibus exemplaribus titulum appositum inveni, Introitus in recitationem. In aliis duobus, fini operis hanc ad Guilielmum Herefordensem episcopum epistolam subjunctam repperi: in qua tituli recensentur insigniores Topographiæ hujus, sive Libri de mirabilibus Hiberniæ. Cui cum fabulosa complura inseruisse Giraldus insimularetur: præter apologismum, quem primæ in librum expugnationis Hiberniæ præfationi intexuit, hanc etiam in retractationum suarum tractatu admonitionem subjiciendam putavit. "De topographia Hibernica, labore scilicet nostro primævo fere nec ignobili, ubi multa nova aliisque regionibus prorsus incognita (ideoque magis admiranda) scribuntur, hoc pro certo sciendum: quod quorundam, quinimo et quamplurium, perdiligentem et certam indagatio-

Digitized by Google

nem a magnis terræ illius et authenticis viris notitiam elicuimus; de cæterisque totius terræ famam potius secuti fuimus. De quibus omnibus cum Augustino sentimus: qui in libro de civitate Dei, de talibus quæ solum fama celebrat nec certa veritate fulciuntur loquens, nec ea affirmanda plurimum nec prorsus abneganda decrevit."

Digitized by Google

EPISTOLA L.

EJUSDEM GIRALDI CAMBRENSIS IN LIBRUM TERTIUM VATICINUM PROLOGUS; QUI ADJECTUS EST, VICE APPENDICIS, AD DUOS EJUSDEM LIBROS VATICINALIS HISTORIÆ, DE EXPUGNATIONE HIBERNIÆ.

QUONIAM in prioribus libris Merlini vaticinia tam Caledonii quam Ambrosii locis competentibus, prout res exigebat, inseruimus; Ambrosio vero dudum exposito, nondum Caledonius Britannicam exutus barbariem, usque ad hæc nostra tempora latuit parum agnitus: nostræ videbatur interesse diligentiæ, tam ipsum ab antiquis et occultis scrutabunda inquisitione latebris, ut pulchrius elucescat, in commune deducere, et ab ignorantiæ tenebris in lucem transferre, quam translatum quoque præsenti volumini coaptare. Non indecens enim, non incongruum videri debet, si id[a] unde authoritatem et præscientiam nec non et vaticinale nomen sortitur historia, id ipsi statim historiæ continuetur; et ut ea quæ carptim et varie, prout ordo tractatus exigebat, dispersa per opus reperiuntur, ea in ejusdem operis continentia, eo quo prolata sunt ordine, loco competenti lector valeat invenire; plurima tamen quæ vaticinalis[b], quisquis fuerit et undecunque proveniens, varie deprompsit et disperse, sub certos redacta titulos, prout dicti causa vel dicendorum materia potius conjungenda poposcerat, ad majorem evidentiam series ordinata connexit[c]. Nec indignetur inspector, nec in calumniam

[a] *id* redundat. *et* vult doctiss. episc. Kilmor.
[b] *ille spiritus*. MS. Cantabrig.
[c] *nexuit* vel *nectit* vult episc. Kilmor.

Digitized by Google

prorumpat lector delicatus, si ab historia tanquam ad fabulas converti videar. Non enim fabulosa sunt omnia, quæ falsitatis imaginem tenent; sicut nec verisimilia cuncta statim pro veris suscipienda.

Erat itaque Caledonii Silvestris solum hactenus fama percelebris; a Britannicis tamen Bardis, quos poetas vocant, verbo tenus penes plurimos, scripto vero penes paucissimos, vaticiniorum ejusdem memoria retenta fuerat. Quoniam igitur Merlini istius expositionem Anglorum regem Henricum secundum summopere requisisse multoties audieram: tanto propensius elaborandum in hoc duxi, quanto id ipsum et principi placiturum et posteritati profuturum pro certo compereram. Nam, ut ait poeta:

Principibus placuisse viris non ultima laus est.

Quinimo diligi a principe et digne commendari, major est laus quam principari. Illud enim fortunæ, istud virtutis est. In hujus igitur inquisitione libelli, cum penitimos Cambriæ fines frustra pluries transpenetrassem: tandem viro sancto et literatissimo Baldewino Cantuariorum archipræsuli in salutiferæ crucis obsequium laudabili per Cambriam legatione fungenti regio mandato comes effectus, in remotissima quadam Venedotiæ provincia et Hibernico mari contermina, quæ Lein vocatur, in veneratione quadam ab antiquo repositum, operam adhibens et impensam, diu quæsitum desideratumque demum non absque labore libellum elicui.

Functus igitur interpretis officio, peritis quoque linguæ Britannicæ viris mecum adhibitis, in quantum idiomatum permisit diversitas, verbo ad verbum plurima, sententias autem in singulis fideliter expressi. Sed quoniam sicut in aliis, sic et in istis Bardorum ars invida naturam adulterans multa de suis tanquam prophetica veris adjecit: cunctis moderni sermonis compositionem redolentibus quasi reprobatis et abjectis, sola veritatis amica sermonis antiqui rudis et plana simplicitas diligenter excepta mentem allexit. Seriatim itaque singula depromens, et vaticinali historiæ vaticiniorum librum non incompetenter an-

Digitized by Google

nectens; barbaræ linguæ tenebras Latini luce sermonis illustravi: veritus quippe posterorum invidiam, si ea posteris inviderem. In publica namque commoda peccem, si vel hæc studia in tempus differam, vel negligenter omittam. Quibus expletis et in commune deductis, ad Britannicæ topographiæ declarationem, Deo duce vitaque comite, studiosus[a] pedetentim animus aspirabit. Quia tunc mihi molliter ossa cubabunt; si trino saltem nostra diligentia beneficio (tanquam[b] triplici funiculo difficile rumpendo) et longe sui memoriam in ævum extenderit, et favorabilem sibi posteritatis gratiam comparaverit.

TRADUNT BRITONES, ET ANTIQUÆ REFERUNT HISTORIÆ, &c.

Sed hæc hactenus. Hujus enim tertiæ distinctionis editio, et nova vaticiniorum interpretatio suum adhuc saniori consilio tempus expectet: quia nondum venit hora ejus. Satius est enim ut veritas, quanquam perutilis et desiderabilis, aliquamdiu tamen suppressa lateat; quam in lucem cum majorum offensa præpropere pariter et periculose prorumpat.

RECENSIO.

Ut Hibernicam topographiam triennii, ita vaticinalem expugnationis Hibernicæ historiam biennii labore complevit: quemadmodum testatur ipse, tum in vaticinalis hujus historiæ libro 2. cap. 31. tum initio præfationis prioris in descriptionis Cambriæ libros duos; quorum primus, qui *laudabilium* inscribitur, a D. Davide de Pouelo est editus, secundo *illaudabilium* prætermisso. In ea vero præfatione, ad Stephanum Langtonum Cantuariensem archiepiscopum scripta, vaticinalem suam historiam duabus distinctionibus constitisse significat: neque plures ea quam typis vulgatam habemus continet editio. At in codicibus quibus ego sum usus MSS. author hunc vaticiniorum librum subinde pollicetur; ut libro 1. cap. 20. 30. 32. et 44. (nam in editis, vaticinia, et ibi et alibi etiam aliquoties citata, desiderantur) atque secundum librum ita concludit: "Novis de cætero historicis tam indolis egregiæ gesta, digno cæquanda stylo, nunc relinquentes; ad toties promissum vaticiniorum librum transeamus." Deinde sequitur liber tertius vaticinus; vel hic potius, quem jam damus, in illum prologus. Nam ipsum librum, sicut et Britannicam quam hic

[a] Al. *studiosius*. [b] Eccles. cap. 4. ver. 12.

Digitized by Google

et aliis[c] in locis promittit topographiam, Giraldus nunquam videtur perfecisse. Hibernicæ vero expugnationis historiam idcirco vaticinalem a se fuisse inscriptam in hujus præfationis vestibulo significat; quod ei " Merlini vaticinia tam Caledonii quam Ambrosii locis competentibus, prout rex exigebat, inseruerit;" de quo utroque libro 2. Itinerarii Cambriæ cap. 8. sic ipse scribit: " Non procul ab ortu Conwey, in capite montis Eryri, stat Dinas Emrys, id est, promontorium Ambrosii; ubi Merlinus prophetavit, sedente super ripam Vortigerno. Erant enim Merlini duo; iste qui et Ambrosius dictus est (quia binomius fuerat) et sub rege Vortigerno prophetavit, ab incubo genitus, et apud Caermardhin inventus; unde ab ipso ibidem invento denominata est Caermerdhin, id est, urbs Merlini. Alter vero de Albania oriundus, qui et Calidonius dictus est, a Calidonia sylva in qua prophetavit; et Sylvester, quia cum inter acies bellicas constitutus, monstrum horribile nimis in aera suspiciendo prospiceret, dementire cœpit, et ad sylvam transfugiendo sylvestrem usque ad obitum vitam perduxit. Hic autem Merlinus tempore Arthuri fuit, et longe plenius et apertius quam alter prophetasse perhibetur."

Merlinum suum Britanni Merdhyn vocant, et ab eo Caer-mardhyn denominatam censent: cum longe ante Merlinum natum urbs ea Mariduni nomine Ptolemæo nota fuerit. Ut Ambrosius ille Maridunensis cognomentum ab urbe potius traxisse dicendus sit, quam urbs ab illo nomen accepisse. De fabuloso ejus ortu et rebus gestis, videri potest Ninius Britannus in Breviario suo, cap. 41, 42, 43. Galfridus Monemuthensis sub finem 6. libri historiæ Britannicæ. Alanus de Insulis in præfatione explanationum prophetiarum ipsius. Gottefridus Viterbiensis in chronic. part. 28. Vincentius Bellovacensis in Specul. Historial. lib. 20. cap. 30. Martinus Polanus in Chronico. Rabbi Abraham Zachutus in libro Juchasin, fol. 144. Johannes Major de gest. Scotor. lib. 2. cap. 4. Stephanus Forcatulus de Gallorum imperio et philosophia libro 7. Wierus de præstigiis dæmonum lib. 2. cap. 16. Johannes Twinus Commentariorum Britannicorum libro 2. et alii plurimi. Ejus vaticinia, Alexandri Lincolniensis episcopi jussu, Galfridus Monemuthensis Henrico I. regnante de Britannico in Latinum transtulit, et libro 7. Britannicæ suæ historiæ intexuit, quæ deinde, Henrico II. in Anglia imperante, Alanus de insulis Germanus additis commentariorum libris 7. illustravit. Eorum vanitatem, prooemio in historiam sub Richardo I. a se editam, detexit Guilielmus Neubrigensis: quam superiori quoque sæculo perstrinxerunt, inter alios, Richardus Stanihurstus noster rerum Hibernicarum libro 3. pag. 128. et lib. 4. pag. 181. Georgius Buchananus rerum Scoticarum libro 5. (in rege XLIV.) Guilielmus Camdenus in Caermarden-shire, pag. 504. Petrus Maturus in Antonini chron. tit. 11. cap. 2. sect. 1. David Pouelus in annotationib. ad Giraldi lib. 2. Itinerarii Cambriæ cap. 8. et epistola ad Guilielmum Fletewodum de Britannica historia recte intelligenda; quibus et Romanus librorum prohibitorum index accedit, in quem Merlini Angli (vel Britanni potius) liber obscurarum prædictionum est relatus.

Poeticam vel jocosam potius Merlini fabulam versu heroico a Galfrido Monemuthensi descriptam in bibliotheca Cottoniana vidimus. Ab eodem propheticum Merlini Sylvestris (quem Britanni Merdhyn Wylht appellant)

[c] Topograph. Hibern. lib. 3. cap. 16. et in Descript. Cambriæ præfat. 1. Videntur tamen nonnulla ex eo citata esse a Ranulpho Cestrensi in lib. 1. Polychron.

Digitized by Google

libellum in carmen redactum fuisse asserit Johannes Lelandus, commentar. in Cygneam cantionem, voc. Britanniæ, et in assertione Arturii; ubi de funere Arturii ex eodem libello versus quosdam producit Merlini Caledonii a Theliesino vate, ut quidam volunt, edocti. Eosdem versus, ut Thaliessino vati inscriptos, citat D. Johannes Priseus eques auratus, in Historiæ Britannicæ defensione, (pag. 137.) ubi etiam carmina, vetustissima lingua Britannica conscripta, habuisse se significat "Taliessini et utriusque Merlini, Ambrosiani videlicet et Sylvestris: quorum hunc (inquit ille, pag. 10.) tempore Aurelii Ambrosii a quo et nomen sumpsisse videtur, illum vero Vortigerni, Taliessinum vero tempore Mailgonis regis floruisse constat."

Digitized by Google

PROFESSIONES

AB OSTMANNORUM IN HIBERNIA EPISCOPIS, ORDINATIONIS SUÆ TEMPORE, CANTUARIENSIBUS ARCHIEPISCOPIS FACTÆ.

PROFESSIO

I. PATRICII[a], DUBLINENSIS EPISCOPI.

Quisquis aliis præsidet, si et ipse aliis subjaceat, dedignari non debet: sed potius obedientiam quam a subjectis suis desiderat habere, propter Deum studeat prælatis sibi per omnia humiliter exhibere. Propterea ego Patricius, ad regendam Dublinam metropolem Hiberniæ electus antistes, tibi, reverende pater Lanfrance, Britanniarum primas et sanctæ Dorobernensis ecclesiæ archiepiscope, professionis meæ chartam porrigo: meque tibi tuisque successoribus in omnibus, quæ ad Christianam religionem pertinent, obtemperaturum esse promitto.

II. DONATI[b], DUBLINENSIS EPISCOPI.

Ego Donatus, Dublinensis Ecclesiæ antistes, quæ in Hibernia sita est; canonicam obedientiam tibi promitto et successoribus tuis, o Lanfrance, sanctæ Dorobernensis ecclesiæ archiepiscope.

[a] A. C. 1074. [b] A. C. 1085.

Digitized by Google

III. SAMUELIS[c], DUBLINENSIS EPISCOPI.

Ego Samuel, ad regimen ecclesiæ Dublinensis quæ sita est in Hibernia electus, et a te, reverende pater Anselme, sanctæ Cantuariensis ecclesiæ archiepiscope, et totius Britanniæ primas, antistes consecrandus; tibi et omnibus successoribus tuis canonicam obedientiam me per omnia servaturum promitto.

IV. MALCHI[d], EPISCOPI WATERFERDIÆ.

Ego Malchus Ecclesiæ Waterferdiæ electus, et a te, reverende pater Anselme, sanctæ Cantuariensis ecclesiæ archiepiscope, et totius Britanniæ primas, antistes consecrandus; tibi et omnibus sucessoribus tuis canonicam obedientiam me per omnia servaturum promitto.

V. GREGORII[e], DUBLINENSIS EPISCOPI.

Ego Gregorius, ad regimen Dublinensis ecclesiæ quæ in Hibernia sita est electus, et a te, reverende pater Radulphe, sanctæ Cantuariensis ecclesiæ archiepiscope, et totius Britanniæ primas, antistes consecrandus; tibi et omnibus successoribus tuis canonicam obedientiam me per omnia servaturum promitto.

VI. PATRICII[f], LIMBRICENSIS EPISCOPI.

Ego Patricius, ad regimen ecclesiæ Limbricensis electus, et a te, reverende pater Theobalde, sanctæ Cantuariensis ecclesiæ archiepiscope, et totius Britanniæ primas,

[c] A. C. 1095.
[d] A. C. 1096.
[e] A. C. 1122.
[f] A. C. 1140.

Digitized by Google

per gratiam Dei antistes consecrandus; tibi, et omnibus successoribus tuis tibi canonice succedentibus, debitam subjectionem et canonicam obedientiam per omnia me exhibiturum fore promitto.

RECENSIO.

Livonia[a], ad Eoum maris Baltici littus porrecta, in tres partes, locis et linguis distinctas, Estiam, Lettiam et Curlandiam distribuitur. Estiæ sive (ut Crantzius[b] appellat) Estoniæ provinciam ii incoluisse videntur, qui a veteribus[c] Græcis Ostiæi et Ostiones, a Tacito in Germania sua Æstii, ab Eginhardo in Caroli Magni vita Aisti, a Saxone[d] Grammatico Estones, a nostris Ostmanni appellantur. Hos, ducibus tribus fratribus, Amelano, Sitaraco, et Yvoro, de Norwagiæ et insularum Borealium partibus, quasi mercaturæ exercendæ prætextu, in Hiberniam advenisse, et maritimos portus statim occupasse, scribit Giraldus[e] Cambrensis. Factum hoc sub initium seculi post natum Christum decimi: circa quod tempus, "Danos in insulam ingressos cum Hibernis pugnavisse," Caradocus[f] Lhancarvanensis, et "Haraldum Harfagir (sive, Pulchricomum) Hiberniam subjugavisse," is refert, a quo Griffithi filii Conani principis Venedotiæ vita est conscripta. "Ipse (inquit author ille) civitatem Dublinien-sem, aliasque civitates, castella et munitiones ædificabat, ubi jam in hujus regni possessione conquieverat: fratremque alterum in una illarum quas condiderat urbium præfectum constituit, quæ illorum usitato sermone vocatur Porthlarg; cujus posteritas in hodiernum diem ejus urbis dominio potitur." Giraldus vero a tribus illis fratribus, Ostmannorum ducibus, tres præcipuas civitates constructas fuisse narrat: e quibus "Dublinia principatus Amelano cesserit, Waterfordiæ (quæ Hibernis et Cambris Porthlargy dicitur). Sitaraco, Limirici Yvoro." Atque hæ civitates illæ sunt, quarum episcopi a Lanfranco et ejus in sede Cantuariensi successoribus, id est, a Normannis suis potius quam ab Hibernis, inter quos advenæ vixerunt, ordinationem accipere maluerunt. Nam, ut in annalibus nostris ad annum 1095. notatum invenimus, "Norwegenses sive Ostmanni, qui civitates Hiberniæ et maritima occupaverant, Normanni vocati sunt;" quod et mediis temporibus, omnibus Daniæ, Norwagiæ, Livoniæ et reliquarum Borealium gentium commune nomen fuisse docti norunt. Ut omittam quod a scriptore vitæ Griffithi filii Conani est traditum; unum e tribus illis

[a] Vandaliæ et Saxoniæ Alb. Crantzii continuator. edit. Witteberg. ann. 1586. pag. 22.

[b] Alb. Crantz. Sueciæ lib. 1. cap. 41.

[c] Pythea Massiliensi, apud Strabonem, lib. 1. et Stephan. Byzant. de urbibus, in Ὠστίωνες.

[d] Saxo. hist. Danic. lib. 6. fol. 55. edit. Paris. ann. 1514.

[e] Girald. topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 43.

[f] Caradoc. Chron. Cambriæ, ann. Chr. 905.

Digitized by Google

fratribus qui in Hiberniam venerunt, cum Norwagiensibus suis in Galliam concessisse, et Francis devictis sedes in Normannia fixisse. Hunc Rodolphum ille vocat, quem alii Rollonem; a quo Guilielmus, et alii Normanni qui in Anglia regnaverunt, genus deducunt suum.

Lanfrancus autem ante occasionem hanc ab Ostmannis oblatam, in synodo Anglicana anno 1072. habita, ex Bedæ quoque historia, primatum sibi in universam Hiberniam vendicare conatus est. "Allata est," ait ille[g] in epistola ad Alexandrum II. tum scripta, "ecclesiastica gentis Anglorum historia, quam Eboracensis ecclesiæ presbyter et Anglorum doctor Beda composuit. Lectæ sententiæ, quibus, pace omnium, demonstratum est a tempore B. Augustini primi Dorobernensis archiepiscopi usque ad ipsius Bedæ ultimam senectutem (quod fere centum et quadraginta annorum spatio terminatur) antecessores meos super Eboracensem ecclesiam totamque insulam, quam Britanniam vocant, necnon et Hiberniam primatum gessisse, curamque pastoralem omnibus impendisse." Atqui nullus, qui huc pertrahi possit, in tota Bedæ historia occurrit locus, præter unicum illum ex quarto libri secundi capitulo in septimæ epistolæ recensione a nobis productum: in quo multo rectius, si Lanfranci pace hoc dicere liceat, observavit Giraldus Cambrensis in libello Innocentio III. postea porrecto, primatum omnino nullum antecessores illius hic obtinuisse. "Successit," inquit ille[h], "Augustino Laurentius: qui non solum sui gregis, sed et Britonum, Hiberniensium et Scotorum curam gerens, in termini Paschatis observantia eos literis admonuit, nec profecit. Simili enim modo Hibernici Britones et Scoti a quartadecima luna antiquo more servabant. In eadem autem epistola scribunt Laurentius, Mellitus et Justus episcopi; quod Daganus episcopus Hiberniæ ad ipsos veniens, non solum cibum cum ipsis sumere, sed nec in eodem hospitio, quo vescebantur, sumere voluit. Ubi notandum quod literas commonitorias Britonibus, sicut et Hibernicis vel Scotis qui nil ad eos pertinebant, miserunt; sententiam autem nunquam in eos magis quam in alios ullam dederunt, vel sua vel domini papæ autoritate: quod quidem forte fecissent, si eis jure provinciali subjecti fuissent." Hinc tamen Lanfranci vestigia secutus Anselmus[i] non modo totius Angliæ, sed etiam Scotiæ Hiberniæ et adjacentium insularum primatum sibi arrogavit: Et Hibernorum omniumque septentrionalium insularum, quæ Orcades dicuntur, primas a Matilda regina est salutatus[k]; atque a discipulo ipsius Ædmero "Cantuariensis[l] ecclesia (cujus ille fuit monachus) ut totius Angliæ, Scotiæ et Hiberniæ nec non adjacentium insularum mater" celebrata. "Cantuariensis ecclesia insularum transmarinarum primatum obtinuit," dicit Willelmus[m] Gemmeticensis. Cantuariensis denique archiepiscopus a Guilielmo Malmesburiensi sub finem libri tertii de regibus, "episcopos Hiberniæ et Walliarum suæ ditioni subjectos habere" memoratur. Vide chron. Normann. ad ann. 1151.

[g] Baron. annal. ann. 1072. Lanfranci epist. 5. MS. in bibliothec. Cottonian. (nunc edit. op. pag. 301.)

[h] Girald. Cambren. dial. de eccles. Menevensi distinct. 2.

[i] Ædmeri. histor. lib. 4. pag. 93.

[k] Anselm. lib. 3. epist. 55.

[l] Ædmer. hist. lib. 1. pag. 14.

[m] Hist. Normann. lib. 6. pag. 263.

Digitized by Google

Professiones ex Cantuariensis Ecclesiæ codice MS. qui nunc ad Cottonianam bibliothecam est translatus, desumpsimus. De episcopis vero singulis qui eas ediderunt in epistolarum recensione aliquid est dictum: postremo tantum excepto, a Theobaldo ordinato, qui ab anno MCXXXVIII. ad MCLX. Cantuariensi sedi præfuit.

Digitized by Google

ÆDGARI[a] REGIS ANGLORUM CHARTA DE

Oswaldes-Law.

ALTITONANTIS Dei largiflua clementia, qui est rex regum et dominus dominantium, Ego Ædgarus Anglorum Basileus[b], omniumque regum insularum Oceani[c] quæ Britanniam circumjacent, cunctarum nationum quæ infra eam includuntur, imperator et dominus; gratias ago ipsi Deo omnipotenti, regi meo, qui meum imperium sic ampliavit et exaltavit super regnum patrum meorum, qui licet monarchiam totius Angliæ adepti sunt, a tempore Æthelstani, qui primus regum Anglorum omnes nationes quæ Britanniam incolunt sibi armis subegit; nullus tamen eorum ultra ejus fines imperium suum dilatare aggressus est. Mihi autem concessit propitia divinitas, cum Anglorum imperio, omnia regna insularum Oceani cum suis ferocissimis regibus, usque Norwegiam, maximamque partem Hiberniæ cum sua nobilissima civitate Dublinia, Anglorum regno subjugare: quos etiam omnes meis imperiis colla subdere, Dei favente gratia, coegi.

Quapropter et ego Christi gloriam et laudem in regno meo exaltare, et ejus servitium amplificare, devotus disposui: et per meos fideles fautores, Dunstanum videlicet archiepiscopum, et Athelwoldum ac Oswaldum episcopos (quos mihi patres spirituales et consiliators elegi) magna ex parte, secundum quod disposui, perfeci: siquidem temporibus antecessorem meorum regum Anglorum monas-

[a] Anno Christi 964. Ad Oswaldum Wigorniensem episcopum. Fundatio ecclesiæ cathedr. Wigorniensis.

[b] Βασιλεὺς, rex.

[c] *Oceanique Britanniam circumjacentis* Seldenus legit: non recte.

Digitized by Google

teria tam monachorum quam virginum destructa et penitus neglecta in tota Anglia erant: quæ ego ad Dei laudem pro remedio animæ mæ reparare, et servorum et ancillarum Dei numerum multiplicare decrevi[d]. Et ipsis supradictis meis cooperatoribus strenue annitentibus, jam XLVII. monasteria cum monachis et sanctimonialibus constitui; et si Christus vitam mihi tam diu concesserit, usque ad quinquasemum remissionis numerum meæ devotæ Deo munificentiæ oblationem protendere decrevi. Unde nunc in præsenti monasterium, quod prædictus reverendus episcopus Oswaldus in sede episcopali Wiogreceastre[f] in honore Sanctæ Dei genitricis Mariæ amplificavit, et eliminatis clericorum næniis et spurcis lasciviis, religiosis Dei servis monachis, meo consensu et favore confultus, locavit; Ego ipsis monastici religionis viris regali authoritate confirmo, et consilio et astipulatione principum et optimatum meorum corroboro et consigno. Ita ut jam amplius non sit fas neque jus clericis reclamandi quicquam inde; quippe qui magis elegerunt, cum sui ordinis periculo et ecclesiastici beneficii dispendio, suis uxoribus adhærere, quam Deo caste et canonice servire. Et ideo cuncta quæ illi de Ecclesia possederant, cum ipsa Ecclesia, sive eccclesiastica, sive secularia, tam mobilia quam immobilia, ipsis Dei servis monachis ab hac die perpetualiter regiæ munificentiæ jure deinceps possidenda trado et consigno, ita firmiter; ut nulli principum, nec etiam ulli episcopo succedenti, fas sit aut licitum quicquam inde subtrahere aut pervadere, aut ab eorum potestate surripere, et in clericorum jus iterum traducere, quamdiu fides Christiana in Anglia perduraverit[g], &c.

Facta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXIV. Indictione VIII. regni vero Ædgari Anglorum regis sexto, in regia urbe quæ ab incolis Gleapceaſtre[h] nominatur;

[d] Al. *devovi*.

[f] Al. Veogriceanstriæ. Wigorniensi.

[g] Reliqua habentur in appendice tertiæ partis Clementis Reynerii de apostolatu Benedictinorum in Anglia. pag. 210, 211. et D. Henrici Spelmanni conciliis Britannicis pag. 433, 434.

[h] Glocestria.

Digitized by Google

in Natali Domini, festivitate sanctorum Innocentium, feria quarta.

✠ Ego Eadgar Basileus Anglorum et imperator regum gentium, cum consensu et principum et archiepiscoporum[i] meorum, hanc meam munificentiam signo crucis corroboro.

✠ Ego Aelfryth[k] regina consensi, et signo crucis confirmavi.

Ego Dunstan, Archiepiscopus Dorobernensis ecclesiæ Christi, consensi et subscripsi.

Ego Oscitel, Archiepiscopus Eboracensis ecclesiæ, consensi et subscripsi.

Ego Alferic Dux. Ego Bruthnod Dux. Ego Aridgari Dux.

RECENSIO.

Dum epistolas relegerem, decimo seculo, quod propter scriptorum inopiam appellari consuevit obscurum[a], nullam notatam deprehendi. Qui defectus ut aliquo modo suppleretur, Ædgari regis diploma visum fuit adjicere; in quo, quod omnes historiæ tacent, "maximam partem Hiberniæ, cum sua nobilissima civitate Dublinia, Anglorum regno subjugatam" a se fuisse confirmat. Habetur illud inter Wigorniensis Ecclesiæ monimenta: ejusque exemplum inter archiva regia in arce Londinensi, asservatur, hoc auctum procemio[b]: "Edwardus Dei gratia rex Angliæ et Franciæ et dominus Hiberniæ, omnibus ad quos presentes literæ pervenerint, salutem. Inspeximus chartam confirmationis domini Edgari quondam regis Angliæ progenitoris nostri, quam fecit Oswaldo episcopo Wigorniensi et monachis Wigornensibus, in hæc verba." In libro Wigorniensis Ecclesiæ, quo de loci illius fundatoribus agitur, ille quem dedimus titulus est prænotatus, "Charta regis Eadgari de Oswaldes-law, quia mediante (ut ibi dicitur) B. Oswaldo, a clericis in monachos translata est sedes pontificalis honoris." Antea enim, ut in ejusdem Oswaldi vita scribit Andreas Leucander sive Whitemannus Ramesiensis cœnobii abbas, "non monastici viri ipsius sanctæ institutionis regulæ erant in regione Anglorum, sed erant religiosi et dignissimi clerici: qui tamen thesauros suos, quos avidis adquirebant cordibus, non ad Ecclesiæ honorem, sed suis dare solebant uxoribus." Posteaque, ut addit idem, Ædgari regis "obitu turbatus est status totius regni, commoti sunt episcopi,

[i] *Archimeorum meorum* MS. Tirechanus episcopus in procemio libri secundi de vita Patricii. "Video desertores et archiclocos et milites Hiberniæ, qui habent parochiam Patricii: quia substraxerunt ab eo quod ipsius erat." Vide D. Henrici Spelmanni glossarium in *Archiclavo*.

[k] De qua vide Selden. Titles of honor. op. tom. 3. pag. 209. ubi legit hic *Ego Elfyred*.

[a] Baron. in tomi 10. annalium initio.

